




2
6
46














LAELII MANCINI
POLITIANI
In Augusta Patauina Sede Sacrarum Legum Interpretis Primarij

DISQVISITIONVM GENIALIVM
Et Anniuersariarum Iuris Disputationum

CENTVRIÆ III.

Opus ingenij plenum, quod fucatas legum, & canonum interpretationes veritatis luce diligenter expurgat. Veras, sed minus cultas, aut neglectas nouarum rerum claritate, varietateque collustrat. Dissidentes ad hæc vsq; tempora Legumlatorum lites, & super his clamosas, ac valde turbidas Commentatorum altercationes in gratiam redigit.

Cum probatis Scribentium placitis ad vsum fori, vt eodem quasi speculo, & Theoricæ, & Practicæ rei definitiones, quisquis es, aut Professor, aut Aduocatus, aut Iudex, statim valeas intueri.





PATAVII, M.DC.XL.

Typis Pauli Frambotti Bibliopolæ. Sup. permissu.

SERENISSIMÆ MARGARITAE DE ETRVRIA PARMÆ DVCI ETC.

LÆLIVS POLITIANVS F.

NAtaui Iuris Oceanum, SERENISSIMA DVX, concepi, quas nunc exero, inopes virtutis opes. Sunt quippe Literatorum ingenia quasi Conchæ, pariunt hæ, pariunt illa Margaritas, atque eas quidem candidas, si purus influxerit ros. Me miserum! puto enim sorduisse iam meas, aut tonantis vndique Martis pauore affectas in physematum quasi fœtus euasisse. Offero ne eas tibi? Terret vtique, nam te primum decet Margaritum decus, quæ pre-

ciosiſsima ab ETRVRIÆ ſinu, quaſi
a nouo Margaris polo. Terret, retra-
hitque manum eximia virtus, qua be-
ne reddis eos, quorum ſanguinem prę-
fers. Et (proh Deum immortalem)
quanta exhauſta Cæli puritas, cum tu
genita es? Vere Vnio, nam ſola ſine
exemplo. Te regia magnitudo, can-
dor pudicitiæ, læuor manſuetudinis,
rotunditas morum, pondus Iudicij
AVSTRIACA diuite Concha, MEDICEO
rore, taliq; ac tanto nomine dignam
exhibent MARGARITAM. At vero,
cum me, meaq; omnia tuæ iam de-
uouerim voluntati, nec partum qui-
dem hunc mentis, qualiſcumq; ſit, ſui
iuris eſſe volo, quod enim ſcriptum,
non ante ſcriptum, quam tibi inſcri-
ptum, ſuſpenſumque ad aram quaſi
tuam. Te demum legibus oblectari

fas

fas eſt, quibus ſic vitam ornaſti, atque inſtituiſti tuam, vt ſit illa omnium quaſi lex, ac diſciplina. Age, Sereniſsima Princeps, excipe hæc benigne ab hilari animo, & cum Sereniſsimo Coniuge, auguſtiſsimaque prole viue fœlix tanti nominis omine, quo auxit te Deus, hac ipſa gemma, qua fulges, FARNESIORVMQVE ſyderum micantibus radijs Empyreo ſuo lumen additurus.



In librum Genialium Quæstionum Excellentissimi Viri LÆLII MANCINI I.C.

VT placent alij Genium, conuiuia curant,
Et lautis gaudent mensam onerare cibis:
Aurea tu contrà Prudentum scripta diurno,
Nocturnoq; soles peruolitare oculo:
Hinc epulis replens libros, doctissime Læli,
Ingenuas Genio delitiasq; facis.
Non vllum magis ipse sibi conquirat honorem,
Non aliudue Deus munus habere velit.
Hinc etiam gratus tua dicta tuebitur olim,
Et longæua libro viuere secla dabit.

De Quæstionibus Practicis, quæ expectantur.

IAm mentem, Mancine, hilaras Genialibus escis,
Suauiaq; in chartam dogmata abire iubes.
Mox pia bella cies, defensurusq; clientes
Ingrederis tetricum tetricus ipse forum.
Omne tibi ferimus punctum, si mobilis actu
Nunc hilaris, sed mox serius esse potes.

ad eundem.

Has tibi non ideò defert mea littera nugas,
Vt celeres subeant lumina docta virûm.
Illis sat famæ penetrare Antenoris vrbem,
Inque tua, LAELI, posse latere domo.

Paganinus Gaudentius IC. in Athenæo Pisano è prima Sede eloquentiam profitens scribebat Florentiæ VII. Cal. Octobris, MDCXXXVIII.

In Geniales Quæstiones Eiusdem.

NOn thalami genialis Amor, sed prodit in orbem
Ingenij, & Genij luxuriantis opus.

Has

Has Mancinus opes legum de diuite cornu
Fundit, & instar apis dulcia mella parat.
Cum Venere et salibus Sophiæ distringit acumen,
Et venit arguto culta Minerua pede.
Per Themidis saltus, et amœna vireta coortas
E' legum Spinis colligit ecce rosas.
Sicq; omnes Iuris griphos, nodosq; resoluit,
Vt Pandectarum sit Liber iste loco.
O tu, qui cernis, nec perlegis ista frequenter,
Vis dicam quid sis; Desidiosos homo.
Tuq; Operis tanti, Mancine, et Scriptor, et auctor,
Vis dicam quid sis; Ingeniosus homo es.
Dumq; adeo Legum perstabit gloria, viuent
Ingenij, et Genij lausque, decusque tui.

Scipio a Grandimonte.

ALIVD.

Tu, qui tam dextrè docta hac Genialia tractas,
Scæuola non vltra, sed mage dexter eris.

Idem.

In opus Genialium Eiusdem.

QVi Mancine rosas, manibus qui lilia plenis
In Geniale tuum spargere quærit opus,
Fallitur: hæc Genio breuis æui munera reddat,
Qui vitæ memorem se cupit esse breuis.
Æterni memores æui decet esse tuorum
Lectores operum, quæ sine fine manent.
Quæque suo voluit Genialia nomine dici
Astrææ Genius, qui dedit illa tibi.
Versibus æternis igitur, non flore caduco
Cœlestem Genium condecorare decet.
Hunc cane Gaudenti celebras quo carmine Reges,
Hunc cane Grammonti quo canis ore Deos.
Et tu quæ quondam terras Astræa Dearum
Vltima liquisti, labere prima polo.
Ac librum hunc totis complectere Diua lacertis,
Ad terras iterum qui tibi pandit iter.

Tu repetes terram, liber hic tolletur Olympo,
Astrææque loco sideris instar erit.

Claudius Berigardus in Gym. Pat.
Philosophus par primo.

In triplicem Centuriam
Perilluſt: atq; Excellentiſſ. D.D. LÆLII MANCINI, &c.
Annis triginta in tergeminis Italię Gymnaſijs, ter
Ciuilis, ter itidem Pontificij iuris Interpretis.

TErgeminas cape fama tubas, ſonituq; tubarum
Percita tergemino terra, poluſq; ſonent.
MANCINI, numero cui virtus omnia trino
Summa dedit, toto perſonet orbe decus.
Interpres legum terdenis floret ab annis,
AEtherei referens tela triſulca Iouis.
Cæſareiq; legens ter bella forenſia Iuris,
Cæſareum triplici tollit honore decus.
Ter quoq; Pontificum pro roſtris iura reuoluens;
Romana illuſtrat culmina trina mitræ.
Centuriam triplicem felici publicat orbi,
Vt charitum numero gratior illa foret.
Omnia cum numero celebrent te grandia trino,
Laudari hoc numero gloria ſola negat;
Principium, medium, finem complectitur ille;
Indefinitum gloria currat iter.

Hieronymus Santaſoſſia Patau.
Philos.

ILLVSTRISS. EQVITIS, ET COMMENDATORIS
HIEROSOLYMITANAE INCLITAE RELIGIONIS

FR. FRANCISCI MANCINI
POLITIANI

NOMEN GRATA RECORDATIONE PROSEQVITVR

Lælius Mancinus Nepos.



Vam probe illud?
Haud facile emergunt, quorũ virtutibus obstat
Res angusta domi ....
Profusa aui liberalitas genitorem æris alieni fecit hæredem, meque, & fratres in spem alteram nuncupauit calamitatis, & miseriæ. Enimuero, si stetisset Decemuiralis lex, an non trans Tyberim peregre? Adfuit Vindex assiduus oberatę domui Iacobus Eques frater tuus, quem tunc sustulit Sicarius, cum expeditionem paranti in Belgas SPINVLAE operam dabat, factus iam consors immortalitatis. In te frater viuit, virtus, meritum, amor, gratia. Qui itaque opus hoc meum inspecturi sunt, si quid in eo sit boni, statuant mecum oportet, non mihi, sed ei, quem refers, tibique præterea referendum esse acceptum. Vale.

AD ALVMNVM SVVM PRÆFATIO.



Ibi, Alumne candidißime, tuæ (inquam) rei scriptum opus. Hæc sunt, quæ apposui tibi olim inter voluptuarias horas condimenta quasi studiorum tuorum, aut lenocinamenta; hæc, quæ annis ab hinc quatuor inter publicas, priuatasque exercitationes seposui tibi præcipuarum rerum compendia. Reposcebant inclitæ sedis, ac perhonorabilis stipendij decora nouum aliquid vigiliarum mearum testimonium, sed decreueram alio scribendi genere. Adduxisti tu precibus, vt hæc non emitterem tantum, sed præmitterẽ, quippe, quæ hauseris ab ore, tibi scripto, & typis confirmari desideras. Egi, sed miscellis quæstionibus, hunc enim scribendi modum laboris impatientia celebriorem hodie fecit. Si quid legeris, quod & alibi in me [a] *reperias, scito, non tam repetitum, quam vtiliter restitutum, aut emendatum. Si quid etiam aliorum sententia, vel ore, ne obmurmura, laudare enim debes, quod, cum melius facere non potui, stare volui, vt plus tibi scripsisse viderer, quam mihi. Illud crede.* Nil dictum, quod non dictum prius. *Habes id ipsum, quod optas, quod contendis, quod obtulerunt scholæ per annorum vices, aut repertũ, auctumue ingeniose, vt sæpius, aut receptum ab ijs, vt raro, qui, & docere me possent, & mecum loqui. Nusquam vero obreptum; nam mihi Budæos, Eguinarios, Alciatos, Brissonios, Connanos, Duarenos, Donelos, Cuiacios, Goueanos, Reuardos, Fabros, & alios huius notæ viros dictasse bis, terue aliquid, quod eorum verbis reponendum censuerim, si dis-*

simu-

simulo, fraudo te, ignoras enim, quos habuerim ego, & quos habere te oporteat legitimæ scientiæ præceptores. Sed opus non excuso, ne incipiam accusare. Tu, si accusatorem audis, siste me plus supplicem, quam vindicem; nam, vel ille aliquid ediderit, & talionis pęnam non deposco, vel nihil, & non contemno; quin, quo arguar vehementius, eo modestius sentiam de me; tu itaque tuum tibi munus ipse tuere. Atqui vix patior hominem, nosti. Si offerat se is, fac tibi offam medicatam, quæ tam oleat bene, quam, si literam præmisero Palamedis, & os eius obtura. Hic forte, si titulum legerit inflatum, suspendet naso, vel vsurpabit illud sibi ex Lyrico. Non fumum ex fulgore, &c. Ignoro equidem, dignum ne quid tulero, neque interim silere possum, mihi hiatum illum cessisse in partem æris. Sed missa hæc quæso. Vides, alumne, potuisse opus hoc meum, vel tuum potius in plures Centurias dilatari, & nunc posse, immo eo consilio cœptum opus, vt, quo possem pluribus, Commentatorum prolixa, turbida, atque implicita ipsa hac breuitate tentarem, aggrederer q; eas, quas maioris nominis Interpretes ad hanc vsque horam desperasse videntur, quæstiones, ac legum contrarietates. Quid facturus de hac re sim, breuibus enarro. Incidimus in pessima tempora, quibus illud Sapientis intonuit bene. Quicquid delirant, &c. Si Typographo opus exhibeo, si dico, meriturum æra, non audit, vel illud obijcit Martial. Nescit sacculus ista meus. Sic, postquam cerebrum effudi totum, & ventrem exinanire oportet, & ventrale. Quæ itaque editurus sum deinceps, expedit forte, nonum vt premantur in annum, vel nonagesimum potius. Si Męcenas affulgeat mihi quis, aut librarius bene nummatus, reuertor protinus ad te. Si minus, nec dicere fas sit, quod olim Demost. Non quod magnum bonum, sed quod bonum

ma-

magnum. *excipe tu hæc, atque excole, erunt enim tibi quasi tot synapis grana. Et vale.*

α In prælect. ad tit. Decretal. de Constit. Floren. 1622. penes Cecconcell.
In to. 1. Sac. Iuris controuersi. Pisis 1630. penes Tanaglium, post quem alij tomi non imprimentur.
In Compendio pract. de Relaxat. Iuris iuran. Floren. 1635. penes Onofr.

β Comment. ad horas matut. Iuris Ciuilis ex ordine.
Comment. ad horas matut. Iuris Canon. ex ordine.
Comment. ad proem. Instit. Imper.
Disquisitionum practicarum Centurias nouem:
Tract. de Iure Domicil. &c.
Opus inscriptum. *Apes Iuridica, quæ diuinarum, humanarumq; legũ Flores, &c. delibauit.*
Opus inscriptum. *De Ciuilis Iurisprudentiæ a diuinarum legum fontibus multiplici haustu.*
Opusculum de Votiua paupertate.
Opusculum de Ieiunio.
Et quæ alibi repromissa.



Materię pręcipuę, quę in Patauino augustissimo Lyceo per annorum vices ab Authore explicantur, & in miscellaneo hoc opere quasi ex instituto controuertuntur.

De iure, lege, ęquitate, & immun. Eccl. *Ad tit. 2. lib. 1. Decret.*
De Rescriptis, & priuilegijs. *Ad tit. 3. d. lib. 1.*
De vsu, more, & consuetudine. *Ad tit. 4. d. lib. 1.*
De Iudicijs, & pactis, quæ circa ea. *Ad tit. 1. lib. 2. Decr.*
De causa possessionis. *Ad tit. 12. d. lib. 2.*
De Edendo. *Ad tit. 19. d. lib. 2.*
De Iureiurando. *Ad tit. 24. d. lib. 2.*
De Vsucapione, & præscriptione. *Ad tit. 26. d. lib. 2.*

Inter has permistim de Actionibus, Appellationibus, Contractibus, Ludo, Remedio rescind. vendit. Testamentis, Nuptijs, & alijs pluribus, quæ ad alia pertinent argumenta, vti sequens demonstrat Capitum series.

Disquisitionum, disputationumque Capita.

ACCEPTILATIO.

Acceptilatio an Iuris Ciuilis, vel gentium. *Ad l. an inutilis. ff. de Acceptil. Cap. 26.*

ACCESSIO.

Quæ causa sit, vt purpura, licet pretiosior, vestimento cedat, & pictura, quæ itidem preciosior, tabulæ non cedat. *Ad l. qua ratione. §. literæ, & seq. ff. de acq. rer. dom. Cap. 112.*

ACTIO. ACTOR.

De celebri quæst. An petitio hæreditatis sit actio in rem, vel mista. *Ad l. hæreditatis. C. de petit. hæred. Cap. 34.*

An actiones mistæ aduersus non possidentem dentur. *Ad l. communis seruus. §. cum agere. ff. comm. diuid. Cap. 35.*

De actionibus in rem scriptis cōia scribentium placita, quæ refelluntur.

cti-

IVS.

IVS ACCRESCENDI.

IVS PATRONATVS.

LEGITIMATVS.

LEX.

decisionem possit. *Ad §. hunc igitur. C. de Iustin. Cod. confir. &c. Cap.* 227.

An lex consilij vere, & proprie lex sit. *Ad l. 7. ff. de ll. Cap.* 228.

De eadem re, & lege permissiua. *Ad d. l. 7. Cap.* 229.

An consilij lex obliget ad consilium capiendum. *Ad l. consilij. ff. de Reg. Iu. Cap.* 230.

An lex ad populum lata Clerum liget. *Ad c. si sententia. de sent. exc. in 6. Cap.* 236.

Quæ potestas legis præsumentis in foro Cęli. *Ad c. is qui fidem. c. tua nos. de sponsal. Cap.* 237.

An si pœnam lex ipso facto indixerit subeundam, in foro etiam animæ vim exercere suam possit. *Ad c. cum secũdum. de hæret. in 6. Cap.* 238.

An in dubio legis, si hinc æquitas pugnat, aut benigna interpretatio, illinc simile alterius legis, amplectenda sit ratio benignitatis, vel ratio similitudinis. *Ad l. non possunt. l. benignius. ff. de ll. Cap.* 240.

LIBER.

Librum rationum probare aduersus scribentem. *Ad l. certum. §. qui absente. ff. de Confess. Cap.* 21.

MANDATVM.

In grauioribus negocijs præcedens mandatum absque ratihabitione sufficere. *Ad l. generali. ff. de Ritu Nupt. Cap.* 152.

MERETRIX.

An ex meretricio possit mulier aliquid capere, aut exigere. *Ad l. 4. §. sed & quod Meretrici. ff. de condict. ob. tur. cau. Cap.* 111.

MORS.

Cur furari liceat imminẽte mortis metu, nec tamen ob eũdem metum męchari fas sit. *Ad c. si quis propter. de furt. Cap.* 109.

NVPTIÆ. MATRIMONIVM.

De Nuptijs a lege prohibitis antinomiæ quędam explicatæ. *Ad l. Præfectus ff. de Ritu. Nupt. &c. Cap.* 47.

Quali consensu perfici matrimonium dicatur. *Ad l. Nuptias ff. de Reg. Iu. Cap.* 92.

De coniugio B. Mariæ cum voto. Ad c. *Beata. 27. q. 2. Cap.* 100.

An pœnæ fœminis intra annum luctus statutæ a Iure Ciuili videantur omnes Iure Canonis abrogatæ. *Ad cap. penul. & vlt. de Sec. Nupt. Cap.* 140.

De eadem re; Et an relictum pro viduitate possit hodie intra annum peti, perutiliter disputatum ad Auth. *cui relictum. C. de ind. vid. toll. Cap.* 141.

De sententia Aureliani Imp. *in l. cum in te C. de donat. ante Nupt.* Et numquid donatio facta nuptiali die quasi a spõso videri possit, vel quasi a Marito. Cap. 203.

OBLIGATIO.

Obligationem ex delicto consensum aliquem habere delinquentis, sed inefficacem. *Ad l. 4. ff. de oblig. & act. Cap.* 18.

OBREPTIO. SVBREPTIO. VIDE RESCRIPTVM.

De vulgari discrimine obreptionis, & subreptionis quædam. *Ad l. 1. C. si Nupt. ex rescrip. & c. Cap.* 89.

An fraudolosa subreptione, quæ solius formæ causa fuerit, totum rescriptũ corrumpatur. *Ad c. si eo tempore. de Rescr. in 6 Cap.* 261.

An subreptio dolosa noceat ipso Iure. *Ad c. super literis. de rescript. Cap.* 262.

De eadem re. Et conciliatus Innoc. 3. *in c. plerumque. de Rescript. Cap.* 263.

An

Ci-

PROBATIO.

QVAESTOR. EXQVAESTOR.

REMEDIVM RESCINDENDAE, Etc.

INDEX RERVM
ET VERBORVM.

Æqui-

quodque

Donatio.

Dos.

Ecclesia.

Editio.

Emphyteusis. Ager vectigalis.

Iuriſconſultus. Iuriſprudentia.

Ius.

non

Liber.

Libertas. Libertus. Liberta. Liberalitas. Liber.

Lis. Causa.

Magistratus.

Mandatum.

Mansum.

Ma-

di-

tuali

Qui



ERRATA. CORRIGE

ERRATA.	CORRIGE
Fol.2.pag.4.in Egigr. Romana	Romanæ
ibidem Santasoffia	Sanctasophia
Cap 6.n.4.Qui perceptis	Qui præceptis
Cap.12.n.1.Seu bilis	Sua bilis
Cap.15.verſ.Existimo Non tam restituti	Non tam restituit
Cap.20.n.1.Mirum itaque non videtur	Dele negatiuam
Cap.25.n.2.Cadere debeat	Cadere debeam
Cap.42.in princ.Aduerſus	Aduerſatus.
Cap.61.n.3.Notabis a te ipſo excurſum calami, & eſſe, quam veluti tradere.	donare illic nihil aliud
Cap.67.n.3.Ecce ſola	Ecce enim ſola
Cap.77.in Rub.penes dominium	penes dominum
Cap.84.n.2.ver.ſenſus Quid ſi Nundinator	Quod ſi, &c.
Cap.103.in Rub.Quod illud ſit	Quid illud ſit
Cap.112.n.2.alter ſentiunt	Aliter, &c.
Cap.113.n.3.dicto alterus	dicto alterius
Cap.151.in fi.quatuor Inſtit.libros	dele quatuor
Ibid. inprofecto Iudice, quæ	in præfato Indice qui
Cap.168.n.3. Interabili	iterabili
Cap.174.n.5.liberos non eſſe	liberos nos eſſe
Cap.219.n.8.vt ablata	Vt ablato
Ibid.n.10.Priuſquam lineatur	Priuſquam ineatur
Cap.230.n.3.Velle anciſci	Velle nanciſci
Cap.234.n.6.Penes quam	Penes quem
Cap.235.n.6.intra ratio	Intrat ratio
Cap 244.n.9.ſolent illud	ſoluent illud
Cap.251.in princ.ver.ſed grauis in ſētētijs Iudiciū	Iudicum
Cap.253.n.1.an ex priori	an ex poſteriori
Cap.256.n.5.ne dubium	nec dubium
Cap.266.n.1 ad exercitum Iuriſd.	ad exercitium
Cap.277.n.2.immemorale	immemoriali
Cap.291.n.3.moribus armari	moribus firmari
Cap.297.n.3.conditoris	creditoris

Cap.300 n.2.Nomina illa magnorum virorum literis maioribus ſcripta in exemplari ſunt, vt decet; prout & alia multa in hoc ipſo Dialogiſmo, in quibus paſſim cęcutiit Typographus. Næc alia alibi deerunt errata, quæ hic notari debuere. Tu igitur, qui legis, boni conſule.

XXVI

LAELII MANCINI POLITIANI GENIALIVM, &c.

CENTVRIA PRIMA.

De Iure publico ad ſenſum Vlp. in *l. 1. §. huius ſtudij. ff. de Iuſt. & Iure.* Cap. I.

1 *Publicum ius quod.* 3.
2 *Species eiuſdem.*
4 *Status, regimen, & reſpub. idem; & quid Ciuitas?*
5 *Forma Ciuitatis, quæ.*
6 *Aliud Reſpub. aliud Ciuitas.*
7 *Ius publicũ omiſſum in Inſtit. & cur.*
8 *De publico, & priuato Iure noſtrorum placita.*

1 *PVblicum ius eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat, priuatum, quod ad ſingulorum vtilitatem; ſunt enim quædam publice vtilia, quædam priuatim. Publicum ius in ſacris, in Sacerdotibus, in Magiſtratibus conſiſtit.* Ita Vlp.
2 Species Iuris publici longe plures numerat Vult. [a] quod tamen in ſacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus plane conſiſtere Vlpianus docet. Cur ita?
Refert, quo pacto intelligas, ius publicũ illud eſſe, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Hopper. [b] ſic explicat. *Quemadmodum in corpore aliæ ſunt ægritudines, quæ totum corpus afficiunt, vt febris, aliæ, quæ partem aliquam, vt*

calculus, ita in Ciuitate alia sunt, quæ ad totius Ciuitatis statum conseruandum pertinent, alia, quæ ad partem aliquam.
3 Propius accessit Franc. Broeus, γ qui nuper ius publicum esse docuit illud, *in quo forma est Reip. seu Ciuitatis*. Res est in altissimo loco posita, quã nunc cominus monstrare libet.
4 Ait Vlp. publicũ ius esse, *quod ad statum rei Romanæ spectat*. Status, regimen, ac Respub. vnum, atque idem sunt. Cum itaque Respub. sit forma Ciuitatis, status mehercule Romanæ rei forma erit eiusdem. Ciuitas vero nihil est aliud, quam societas quædã ex Arist. ꝺ cuius quidem societatis forma ad publicam potestatem, Iurisdictionemque pertinet, quæ si abfuerit, continuo Ciuitas
5 resoluetur, nam Magistratuum regimen quasi nexus est ciuilis consortij. Ad formam pertinet Ciuitatis, cui nã parendum sit, Regi ne, an populo, aut primoribus populi; ad hanc itaque rem statutę leges pertinere dicuntur ad
6 ius publicum, statum enim respiciunt Ciuitatis, hoc est regimen, seu Rempublicam. Improprij sunt, qui duo hęc nomina confundunt Reip. & Ciuitatis, illa enim quasi forma, hæc veluti materia est.

In qualibet autem bene constituta Rep. esse debent, qui sacris præsint, & qui profanis, ergo vtramque rem com-
7 plexus Vlp. publicũ ius dicit esse, *quod in sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus consistit*. Hoc autem ius præterijt Iustin. *in suis Instit.* forte, quia regimentis Reip. in Imperatores perpetuo translatis. *l. 1. ff. de Constit. Princ. §. sed & quod Principi. Instit. de Iu. nat.* eadem quidem nomina mansere Magistratuũ (ait Tacit. *lib.* 1.) sed non Iura eadem

dem. Vel ideo omisit (ait Fab.[ε]) quod quæ ad sacra, Sacerdotes, Magistratusque pertinent, fere omnia sunt Iuris constituti, quorum ars vix vlla esse potest, quę vero ad priuatum ius pertinent, maiore ex parte sunt iuris recepti, pendentque ex principijs Iuris.

Leges itaque, quæ de Magistratibus sunt, ad ius publicum referuntur, quæ vero eisdem Magistratibus in custodiã dantur, vt singulorum negocijs præsint, ius priuatum sunt.

Hæc de iure illo publico, quod statum respicit, idest, formã Ciuitatis, & quod *in Sacris, Sacerdotibus, &c.*

α *§. vlt. Instit. de Iust. & Iu.*
β *de vera Iurisprud. lib. 5. tit. 7.*
γ *d. §. vlt.*
δ *3. Polit. 6.*
ε *In Rational. ad d. l. 1. §. huius studij.*

De sententia Celsi adolescentis, in quæstione, quæ de bono, & æquo oritur, plerumque sub authoritate Iuris scientię perniciose errari. Ad *l. si seruum §. sequitur. ff. de Verb. obl.* Cap. II.

1 *Æquitas iustum extra ordinem.*
2 *Æquitatis natura.*
3 *Æquitatis exempla.*
4 *Æquitas in contractibus.*
5 *Verus Iuris interpres.*
6 *Æquitatis munus.*

1 PHilosophi ęquitatẽ ad iusta illa, quę extra ordinẽ sũt, referunt, eamq; definit Arist. supra omnẽ, vel Philosophorum, vel Iurisconsultorum curam, vt & Faber[a] pe-

2 regregie retulit. *Natura autem æquitatis* (ait ille) *est correctio legis, quatenus aliquid omittit lex, propterea quod vniuersalis est*. Quod ita accipio. Ius nostrum non nisi finitum esse potest. *l 2. ff. de Iuris & fa. ignor.* facta autem, quibus accommodari ius debet, ex circumstantijs, quæ finem nullum habent, vltra numerum ipsa sunt quoque, & infinita. Vt itaq; de singulis factis singula statuerētur iura, effici nusquam potuit, aut poterit. *l. neque leges. cum seq. ff. de ll.* Denique legem oportuit fieri generalem, & cum generalis esset, plura etiam necessario prætermitti, quæ interpretatione nostra supplerentur. Quin agunt sępe Legumlatores ex industria, ne quaque in re nimij videri posśint, authore eod. Arist. β

Interpretatione (inquam) nostra, nam quod supplemus, aut remittimus natura duce, id ex mente Legislatoris benigne facimus, non ex nostra, ne alioqui ipsi legem cōdere videamur, quando ipse Legislator illud ipsum pręcepisset, si aduerterē potuisset, & ea quidem interpretatio correctionis, aut emendationis titulo censetur, seu laudabilis cuiusdam transgreśsionis. Laxamentum legis vocat Cic. γ Supini equidem ingenij est, qui rationem ex hoc non percipit æquitatis.

3 Sed, ne quid hęsitent iuniores, addo exemplum. Lex est, vt ferro percutiens moriatur. Duo pugnis se contundunt, quorum alter ferreū anulum forte gestabat; an mori debeat, quæritur. Et iustum quidem, vt moriatur, est, sic enim lex scripta est, sed non æquum, nam non ea fuit Legislatori mens, vt pugno cædens cum ferreo anulo morti traderetur, qui si præuidisset, non maiorem pœnā

per-

percussori statuisset, quam, si absque anulo cęcidisset. Sunt a Romano Iure exempla prope innumera, ex quibus non pauca seligit Pet Fab. [d] sed minime necessaria, in hoc enim quotidie sumus, vt Legumlatorum placita iustis commentationibus assequamur, & scriptas leges iuxta ea, quæ circumstant, ex æquo, & bono temperemus, spectantes diligenter, quo quidque consilio, quo animo, quo loco, quo tempore, qua, vel occasione, vel necessitate factum sit, aut dictum; quod cum facimus, iuris apices, rigorem, scrupulositatem, duritiem, nimiamque subtilitatem, aut strictam rationem dicimur ęquitate naturali, quę hominum pectoribus insidet, nec satis lege pręscribi potest, hoc est, benigna, liberali, & humana aliqua interpretatione moderari; nam benignitatis est, liberalitatisque de suo aliquid remittere, & liberalis ideo ęquitas dicitur, & benigna, quia plus ipsa præstat, quam verba legis patiantur. Stat itaque, quod in prouerbium abijt, authore Tull. [e] *Summum ius summa iniuria. Summum ius summa crux.*

4 Est & contractibus sua ęquitas, quę bona fides appellatur. *l. bona fides ff. depos.* & vide, quę de hac re pręclare Connan. [f]

Summũ ius, merum ius qui peruicaci animo retinet, hunc Celsus dicit sub authoritate Iuris scientię perniciose errare, [g] nam & in artem continuo peccat, & in legẽ, vtrobique male sanus, acerbusque, & malignus Iuris interpres. In artem, quia nec Iurisconsultus habendus quidem est, qui leges Principis, aut Reip. in memoria habet, quod facile factu est (inquit Duaren.) sed qui ea-

rum legum vim, & potestatem tenet. *l. scire leges ff. de ll.* idest, qui iuris arte instructus, atque edoctus legem quã-cumque ex bono, & æquo interpretari potest, vnde & pro synonymis capiuntur iustitia, & æquitas *in l. placuit. C. de Iudic.*

6 In legem, nam vbi locus æquitati est, vbi (inquam) talis casus emergit, qui apertam omnino legem non habeat, sed quæ recipere interpretationem possit, tunc non ex callida quadam, aut malitiosa Iuris interpretatione agẽda res, est sed ex personarum qualitate, ex causa, ex tempore, ex bona fide, & alijs, quæ dicebamus, rem æstimare Iudex debet, vt placuit Rotæ & est *in l. & si quis §. hæc actio. ff. de Religios. & sumpt. fun.* & ambiguam, atq; legum diuersis interpretationibus titubantem causam benigno, atque naturalis Iuris moderamine temperare. *l. nõ sine ratione. C. de bon. quæ lib.* placuit enim in omnibus rebus præcipuam esse Iustitiæ, æquitatisque, quam scripti Iuris rationem. *d. l. placuit.* Et huc pertinet illud Modest. *in l. nulla ff. de ll. Nulla Iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducũtur, ea nos duriore interpretatione producamus ad seueritatem*; id enim si faciat Iudex, & qui duram legem potest ex æquitate, & naturalis Iuris lenitate temperare, malit illam tamen ex toto Iuris rigore, ex tota verborum subtilitate exasperare, reus legis est, litemque suam facit, nam (vrgeo iterum) *summum ius, summa iniuria, summum ius, summa Crux.* Et vere Crux, si scriptum legis, quod saluti hominum præscriptum fuit, vt ait Modest. machina aliqua contorqueas ad seueritatem, & duritiem, nec secus

ac qui bonis, & salutaribus medicamentis ad perniciem ægrotantium abutitur. Cæterum, cum aperta lex est, seu ex verbis, seu ex ratione manifesta, seu melius ex vtraque re, tunc summum illud legis ius neque iniuria est, neque crux, aut malitia, sed quod bonum, & quod rectum seruari in Rep. ab omnibus debet. Exempla sunt *in l. sunt personæ. ff. de Religios. l. adeo. §. quod si. ff. de acq. rer. dom & inf. cap. seq.*

α *l. in omnibus. ff. de reg. Iur.*
β *Rhetor. 1.*
γ *pro Cluent.*
δ *d. l. in omnibus.*
ε *2. Offic.*
ζ *lib. 1. Comment. c. 11. n. 12.*
η *d. l. si seruum. §. sequitur. ff. de Verb. oblig.*
θ *coram Mantic. decis. 148. n. 3.*

De sententia Constantini *in l. 1. de C. de ll.* Cap. III.

1 *Certam legem ex æquitate temperat solus Princeps.*
2 *Æquitas cerebrina, quæ.*
3 *Obscuræ legis interpres quis.*

IVrisconsulti itaq; est cum æquitate leges explicare. Sed obstat Constantin. *in d. l. 1. Inter æquitatem, iusque interpositam interpretationem nobis solis* (inquit) *& oportet, & licet inspicere.* Non itaque Iurisconsulto id licet, sed solius est Principis.

Adhæret, quod de obscuritate, duritiaq; legum rescripsere Valent. & Mart. Impp. *in l. antepen. C. eod. Si quid vero* (aiunt) *in ijsdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab Imperatoria interpretatione pateferi, duritiam-*

que legum nostræ humanitati incongruam emendari.

Et quod in eandem sententiam Iulian. *in l & ideo.* 11. *ff. eod. Et ideo* (inquit) *de his, quæ primo constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi Principis certius statuendum est.*

Inde etiam Modestin. *in l. si expressim ff. de appell.* ait. *Si expressim sentẽtia contra Iuris rigorẽ data fuerit, valere non debet, & ideo & sine appellatione causa denuo induci potest.*

Et hæc quidem contrariari videntur, cum tamen non sint contraria; quando enim Iurisconsultus legem ex æquitate explicat, non ex sua mente id facit, sed Principis; alioqui legem ipse condere videretur, quod non po-
1 test. Si itaque lex adeo certa est, vt nulla egeat interpretatione, non potest eam Iuris interpres æquitate emendare, licet duram, sed solus Princeps. *d. l. 1. & antep.* Nihil enim periculosius dici, vel perniciosius posset, quam, si Iudici liceret ęquitatem sibi suo arbitrio fingere, aut
2 prætextu ęquitatis legibus illudere, quæ cerebrina æquitas apte solet appellari. Casus est *in l. prospexit. ff. qui, & a quib.* quę enim maior durities legis in tam fauorabili causa manumissionis? *Perquam durum est* (inquit Vlp.) *sed ita lex scripta est.* Nõ itaq; Iurisconsulti, sed Imperatoris fuit durissimam hanc legem æquitate moderari. *l. in adulterij. C. ad l. Iul. de adult. cum glo. vlt.*

Eadem est ratio obscuræ legis, & potissimum nouæ *in d. l. antep. d. l. & ideo.* Obscuram dico, quando Legislatoris voluntas colligi nequaquam ex verbis potest, quid enim hic faciat Iuris interpres? Obscuram legem, & quæ multiplicem habeat intellectum, nec posse quidem

ad

ad causarum decisiones allegari, tritissimum est ex Bart. [a] obscura namque lex nec lex quidem est. *c. erit autem lex. 4 dist.* quam nullus perinde interpretatur, quin no-
3 uam legem condere interpretando videatur. Ergo solius Principis interpretatio est, vel saltem consuetudinis, quę pro lege seruatur. *l. de quibus. ff. de ll.* Hinc duo illi Impp. *in l. penul. C. de ll. Cum de nouo Iure* (inquiunt) *quod inueterato vsu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat, necessaria est tam suggestio iudicantis, quam sententiæ principalis authoritas*, optima enim legum interpres consuetudo. *l. si de interpretatione. ff. de ll.*

Denique legis interpres legem æquitate explicat, si Principis mentem consequi leniore aliqua interpretatione potest; & (quod ait Cels *in l. 19. ff. de ll.*) *in ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret, præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi potest*. At si omnino certa est Legislatoris voluntas, aut versa vice adeo incerta, vel obscura, vt nullatenus deprehendi possit; si adeo ambigua, vt hinc iubere ęquitas videatur, illinc scriptum vetare, quiescere Iurisconsultus debet, ne, si certam moderetur, incertam ve suo modo explicet, & (quod aiunt) cerebrina quadam interpretatione, ipse quodammodo condere legem videatur.

Modestino autem satis respondet Fab. [b] Quamuis enim (inquit) plerumque ius ab æquitate separetur, ibi tamen sic accipiendus iuris rigor est, vt æquitatem quoque cóplectatur, vt (inquam) iuris tenorem, verbaque, & mentem legum, constitutionumque significet, quod & verum est.

α *l. in ambiguo. ff. de reb. dub. cum quo, & aliјs Oſaſc. deciſ. 22. inſi. reluctante in vanum Caſſad. de acq. rer. dom. decis. vni. n. 15.*

β *l. in omnibus ff. de Reg. Iur.*

De ciuili æquitate, an aliqua ſit, & quæ. *Ad l. 1. in princ. ff. ſi is, qui teſt. lib. eſſe iuſſ. fuer.* Cap. IV.

1 *Æquitas an naturale ius ſit.*
2 *Exempla ciuilis æquitatis*
3 *De Ciuili æquitate ſententia Authoris.*

QVę de æquitate ſcripta ſunt, ad eã pertinent, quæ naturalis dicitur, hoc eſt, ad naturalem illã moderationẽ, quæ pectoribus inſidet hominum, nec ſatis lege pręſcribi
1 poteſt. Eandem non improprie dixeris ius naturale eſſe, hoc eſt, quod pręſcribit recta ratio, eo tamen differens, quod naturale ius totum ſuum eſt, non alterius, nec ad legem refertur, aut aliud quiduis (abſolutum dixero cum Dialecticis, non relatiuum) ęquitas vero ad relationem dicitur legis, cuius eſt ęquitas.

Eſt & alia ęquitas ciuilis, ſic enim Vlp. *in d. l. 1. in princ. ff. ſi is, qui teſt. lib eſſ. iuſſ. fuer. Hæc autem actio* (inquit) *naturalem potius in ſe, quam Ciuilem habet æquitatem.*

Sed profecto ciuilis ęquitas nihil aliud Vlpiano ibi eſt, quã
2 in conſtituendis actionibus mera iuris ratio. Quapropter ciuilis ęquitatis exempla nunc a nudis pactionibus peti ſolent, nunc ab vſucapionibus, ſeu pręſcriptionibus. Æquum a natura eſt ea, quę inter homines placuerint, ſeruari. *l. 1 ff. de Pact.* non tamen ęquum ciuili ęquitate, vt nuda pactio obligationem pariat, vel actionem. *l. iu-*

ris gentium. §. igitur nuda ff. eod. Vt etiam vſucapionibus rerum dominia transferantur, non tam naturæ eſt (inquiunt) quam ciuilis cuiuſdam æquitatis.

3 Mihi nulla alia eſt æquitas, quam naturalis; aut ſi quæ mihi eſt ciuilis æquitas, talem eſſe volo, qualis naturali æquitati proportione reſpondeat. Æquitatis naturalis eſt ciuilem conſtitutionem moderari, & quaſi ex naturæ penu ſupplere, ſi quid omiſſum in ea fuerit. Sed & naturalis quoque lex interdum ſuppletione indiget, & moderatione; non quidem ex ſe ſe, ſed ad refrenandam hominum malitiam; ſic, cum nihil minus natura velit, quam hoſtilitates, & bella, hæc tamen ius gentium contra naturam inuexit, & ad reprimendas malorum hominum incurſiones ipſo naturalis rationis titulo condecorauit; credidit enim, non aliter naturam communionem rerũ voluiſſe, quam ſi in ea perſiſtere homines poſſent, ſeruato pacis, & concordiæ vinculo, quo abrupto naturę fœdere, & dominiorum diſtinctiones, & bella, & ſeruitutes ipsã per ſe fuiſſe ſuaſuram. Hoc etiam Ius Ciuile facit, & naturalis Iuris dictamenta (ſic loqui liceat) ſupplet, & temperat ciuili, & politica quadam æquitate, quæ reparandis Ciuium neceſſitatibus expedire videatur, nec tamen ex naturæ Iure aliquid minuit, ſed illud agit, quod in eadem re natura ipſa ſtatuiſſet. Vt ecce. Nudæ pactionis actio nulla eſſe debuit, vel exactio, quia proſpiciẽdum fuit, ne litibus omnia replerentur, vt re ipſa contingeret, ſi promiſſa omnia, quę inter homines quoquo modo fiunt, & plerumque ex vrbanitate, & ingenuo quodam loquendi more, quaſi pacta ſeruari oporteret.

Ea-

Eademq; vsucapionis ratio fuit, non enim satis Reip. consultũ videbatur, si rerũ dominia semper in incerto relinquerentur, vt Trib. ait *in princ. Instit. de Vsu c.* perindeque nullus fuisset litium finis, cum deficere nusquam potuisset litium causa.

Scriptam æquitatem nullam esse. *Ad l. placuit. C. de Iudic.* Cap. V.

1 *Scripta æquitas nulla.*
2 *Scriptum non confert ad substantiam*
3 *Emendata d. l. placuit.*

QVicquid sit de ciuili ęquitate, quã hystoriarũ exemplis eleganter ornat Per. Fab. [α] certe, quod de scripta ę-
1 quitate dicitur, adeo impatiẽter audio, vt nihil magis. Inualuit tamen, vt rigori legis preferatur æquitas, si scripta est, non si scripta non est. [β]

At vbi, obsecro, scripta hęc ęquitas? Non enim aliud ęquitas est, quam benigna iuris interpretatio, & laudabilis quędam transgressio legis, quę scripto non continetur, vt dicebam. Præterea, si scribitur ęquitas, tunc aut in nouam speciẽ demigrat, quasi noua forma adueniente, & non æquitas vltra dicitur, sed lex. Aut certe non mutatur, sed formam retinet æquitatis, & hoc casu quid ex scripto accrescere ei possit, non video. Nec satis intelligo, quid illud sit, quod nostri frequentius dictitant, scriptam æquitatem pręferri quidem rigori Iuris, sed non
2 illã, quę scripta nõ est *l. 1. C. de ll. l. prospexit. ff. qui et a quib.* nã & scripturã eo nuspiã deuenire potuisse, vt vel minimũ

mũ conferre ad ſubſtantiã rei poſſet, dixi *alibi*[γ] & ſcriptã ęquitatẽ cõmentitij Iuris eſſe, nunc non vereor affirmare.

At quorſum ſcripta illa ęquitas, de qua Impp. *in d. l. placuit?* *Placuit in omnibus rebus* (inquiunt) *præcipuam eſſe iuſtitiæ, æquitatiſque ſcriptæ, quam ſtricti Iuris rationem.*

Connanus[δ] ſcriptam æquitatem eſſe ſuſpicatus eſt, quæ circa ius ſcriptum verſaretur, non ſcriptam vero, quæ circa Ius gentium poſitiuum non ſcriptum, vt ſic ab obiecto nomen ſortiatur.

Reuard.[ε] ſcriptæ æquitatis nomine Prætorium ius ſignificatum putat.

3 Sed nihil hæc. Expunge verb. *ſcriptæ*, quod bene Ruſſard.[ζ] monuit abeſſe omnibus codicibus. Pro qua etiam emendatione Anton. Auguſtin.

α *l. in omnibus. ff. de Reg. Iu.*
β *Accurſ. Bart. Bal. Alex. Ias. Garz. & alij in l. 1. ff. de Iuſtit. & Iu. quorum ſententiam frequentius probatam retulit Ioann. Bellon. in ſuis. comm.*
γ *Sac. Iu. controu. diſſert. 1. c. 6. & 7.*
δ *lib. 1. c. 11. n. 6.*
ε *d. l. in omnibus.*
ζ *4. cap. 8. Duaren. 2. diſput. c. 18. ipſe Conna. d. n. 6. Fab. d. l. in omnibus. Vult. §. 1. n. 3. Inſtit. tit. 1. Donel. comment. lib. 1. c. 13. lib. 26. c. 2. Fachin. controu. lib. 1. c. 3. Et Theologi. Vide Salas de ll. diſput. 21. ſect. 10. infi. ex Vaſq. quem memorat.*

Ius a Iuſtitia bene appellari; *ad l. 1. ff. de Iuſtit. & Iu.* Cap. VI.

1 *Deriuãdi modus Stoicorum a grammaticali ratione diuerſus.*
2 *Ius poſterius Iuſtitia, & quomodo.*
3 *Ars, & ſcientia differunt.*
4 *Iuriſprudentia per hyperbolem definita ab Vlp.*

Ius

IVs a Iustitia appellatum docet Vlp. *in l. 1. ff. de Iust. & Iu.* Grammaticus a Iure iustum, a iusto iustitiam dici autumat, nam Iuris nomen simplex esse, iustitiæ compositũ. Sic a Venere venustas penes Tull. [a] Relege *princ. auth. vt omnes obed. Iudic. Prou.* ibi, *Vnam quidem esse omnium perfectißimam;* & quæ *Isid. in c. forus. de Verb. sig.* [β]

1 Ius a iustitia dictum Vlpiano placuit, nec male, nam deriuandi modum habuere Stoici a grammaticali ratione longe diuersum. Grammaticus vocabulo inhæret, totusque est in persequenda vocis ratione, vt in exemplo Tullij. Stoicus rẽ considerat, eique rationem vocabuli, & vocis seruire iubet; denique ab idæa ipsa, a forma ipsa rei denominationem suam format. Deduceret Stoicus sapientem a *sapientia*, Grammaticus *sapientiam* a *sapiente*. *Hominem* ille ab *humanitate*, hic *humanitatem* deriuarit ab *homine*. Vterque bene, humanitas enim prior est homine quasi Idæa, seu forma hominis, sed posterior homine quasi deriuata ab illo vox. Pactum a pactione deduxit Vlp. *in l. 1. ff. de Pact.* liberum a libertate Iustin.. *in §. 1. Instit. de Iu. pers.* procul vterque a grammaticali regula.

Hæc Vlpianum non tuentur modo, sed commendant; illud vero magis, ni fallor, quod & iunioribus placuit. *Ius (inquit Vlp.) a iustitia appellatum est, quia, vt elegã-*
2 *ter Celsus definit, ius est ars boni, & æqui.* Quis vero dubitet, ius, quatenus ars est, posterius esse Iustitia? Sic enim Vlpiani ratio conficitur ex Cuiac. [β] Ius est ars boni, & æqui; ars posterior eo est, quod arte continetur, arte autem boni, & æqui Iustitia continetur, ergo Iustitia

prior

prior est iure, & ex iustitia factum iuris nomen quasi per apocop.

Vera interpretatio & suffragijs Scribentium nititur, & Vlp. verbis. sic enim exorsus iste, & quidem *sub tit. Instit. Iuri operam daturum prius nosse oportet, &c.* Sensus est. Qui legali scientiæ dare operam vult, a nomine incipere, & natura nominis debet. Nam si intelligas, iuris operam daturum, hoc est, iusta facturum a notitia nominis auspicari debere, ridiculus sane es, eoque maxime, quod statim subiungitur *studij* nomen. *Huius studij duæ sunt positiones, &c.*

Sed vrgent, Si ius per artem definitur, neque artis nomine aliud venit quam studium, & disciplina, quorsum noua illa definitio Iurisprudentiæ? Vide Cuiac. [γ]

3 Forte verius, aliud esse artem, aliud scientiam, sicut aliud est ars dialecticæ, aliud scientia dialectices. Nam sciẽtia est in homine, ars vero existit per se, & si nemo eam percipit, quippe ars nihil aliud videtur esse, quam collectio preceptorum naturalium, vel ciuilium, quæ collectio per se stat, licet nemo sit, qui perceptis illis instrui

4 velit. Ius igitur ars est, hoc est, collectio, iurisprudentia vero notitia, vel scientia. Et, quicquid sit, prima definitio tradita fuit ex mente Celsi, & fortasse breuior, quam par esset, & obscurior, neque ob aliud, quam vt demonstraretur deriuatio iuris a Iustitia; posterior eiusdem Vlpiani est, & quasi per hyperbolem plenior, atq; explicatior, quod bene sensit, licet non ita explicet, Vues. [δ]

[α] lib.

α *lib. 2. de Nat. Deor.*
β *Alciat. Pareg lib. 1. c. 19. Conna. lib. 1. c. 2. n. 4. Coras. d. l. 1. n. 2. Duaren. de Iust. & Iu. c. 2. Hotom. ibid. in Instit. Cuiac. d. l. 1. Vuesf. in paratit. eod. tit. Ræuard. Varior. lib. 1. c. 2. Gouean. Var. lib. 1. c. 18. Fab. de Papin. Iurispr. Ego ipse Sac. Iu. contr. dissert. 6. cap. 1.*
γ *d. l. 1.*
δ *vbi prox.*

An bene ius definiatur ars boni, & æqui.
Ad eand. l. 1. Cap. VII.

1 *Finis legis commune bonum.*
2 *Summum bonum, quod & fælicitas.*
3 *Cuius artifex moralis Philosophus.*
4 *A quo diuersus Iurisconsultus, & quomodo.*

VT *eleganter Celsus definit, ius est ars boni, & æqui*, ait Vlp. *in ead. l. 1.* Definitionem commendant Iuriscõsulti authoritas, & ratio, quam nunc meo Marte lubet explicare.

Ars dicitur, hoc est, collectio, seu comprehensio præceptorum, vt *supra*. Adde, quæ Alciat.[α]

Quod *boni* dicitur, abundat ex Vult. quod enim æquum (ait) idem & bonum, & vicissim, quibus consequens est, vt ius recte finiatur *ars æqui*. Alij aliter. Vide Cuiac.[β]
1 Rem ego sic interpretor, nihil de alijs immodeste sentiens, qui procul dubio rectius iudicarunt. Legum statuta respicere eo debent, & collimare, vt communi. Ci-
2 uium, & Ciuitatis bono prospiciant. Vide Arist.[γ] Hoc illud bonum, quod summum dicit Ciuium bonum, &
3 fælicitatis nomine appellat idem Philosoph.[δ] Huius sum-

mi

mi boni, quo & boni redduntur Ciues generalis artifex est morum sapiens. Sed & Iurisconsultus virtutum omnium præcepta legibus suis continet, queis bonos facere
4 Ciues studet. *d. l.* 1.[ε] In eo tamen diuersus Iurisconsultus est, quod Iustitiæ potissimum seruit, cuius se sacerdotem profitetur. *d. l.* 1. bonumque expetit sub ratione æqui, & non sub ratione boni simpliciter. Ars igitur boni, & æqui ad Iurisconsultum pertinet, hoc est, boni ars quatenus ad alterum est, nam & Iustitiæ virtus ad alterũ est.

α *lib.* 1. *Parerg. c.* 30. *Duaren. tit. de* 8. *Instit. c. Vult.* §. 1. *Instit. eod.*
β *d. l.* 1. *Alciat. d. c.* 30. *Connan. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 1.
γ 3. *Polit.* 5. *Plat. de ll. Tull.* 1. *off. D. Thom. de Regimin. lib.* 1. *c. vlt.*
δ 7. *Polit.* 14.
ε *Tull.* 1. *de Orat.*

De Iure naturali primario, seu primæuo, vt appellant, & de gentium iure non nihil degustatum ad explicationem *d. l.* 1. §. *ius naturale.* Cap. IIX.

1 *Definitio Iuris naturæ.*
2 *Ius naturale vnum, recta ratio.*
3 *Duæ naturæ in homine.*
4 *Communia cum brutis duplicia.*
5 *Ius naturale bifariam capitur, & de gentium Iure.*

IVs naturale est, quod natura omnia animalia docuit. d. §. *ius naturale.* Profitetur Cuiac. nullum Iuris locum fuisse ab Interpretibus nostris foedius explicatum; ridere igitur Valla potuit ad hæc vsque tempora. Superuenere deinceps sinceri Iudices, quibuscũ rem paucis explicare libet.

Dixerat Vlp. ius Ciuile tripertitum fieri posse, collectum namque esse ex præceptis naturalibus, gentium, & ciuilibus. Definiuit postmodum ius naturale, sed quatenus in iure Ciuili partem facit; non ergo vt in brutis est, sed vt in homine, in quo non datur aliud ius naturale,
2 quam recta ratio. Non enim ignorauerat, in recta ratione totum esse ius naturæ, nec dubitauerat, ius gentium, hoc est, rationis, quod ipsum quoque naturale est, a iure naturali non differre, nec crediderat, aut credere potuerat, in brutis animantibus ius esse a natura, satis enim nouerat, fieri nequaquam posse, vt naturalis iuris quidpiam esset, quod prius non esset Iuris, in brutis autem nullum esse ius, quasi quod consistere nequeat absque ratione, vt aiebat Cic. [a] Cur autem sic definierit naturale ius, & a gentium Iure segregauerit, explico facillime.
3 Sciendum, duobus quasi homines indutos esse naturis, quarum vna communis animantium omniũ est, & qua homo aspicitur, consideraturque, vt animal est; altera, quæ ratione corrigitur, & solius hominis propria est, qua homo aspicitur, vt homo, vel vt homo politicus, seu ciuilis; nam & animal est, & rationale animal, & animal politicum, hoc est, ad societatem natum ciuilis consortij.
4 Quæ vero homini cum brutis animantibus communia sunt, ea vel eo modo fiunt ab hominibus, quo etiam a brutis, & magis necessitate, atque impetu naturæ, quam ratione aliqua; vt edere, bibere, dormire, &c. vel non fiunt ab hominibus, nisi ex ratione, cuiusmodi maris est, atque fęminæ coniunctio, non quælibet, sed casta, &

mode-

moderata, vnde ſtatim ſequitur Vlp. *Quam nos matrimonium appellamus*. Et hæc ipſa, quæ cum brutis communia ſunt homini, ſed ab homine per rationem fiunt, videntur & a brutis quodammodo, hoc eſt, per ſimilitudinem & iure, & ratione fieri, quaſi vnum ſit naturale lumen, quo natura, & Deus homines ſimul docuit, & animantes. Vide Connan. [β]

Quamuis itaque æſtimari ius debeat ex ratione, noueris tamen, non tantum ius eſſe rationem inſitam a natura, ductumque, aut dictamen rationis, vti appellant, ſed eſſe etiam quid rationi conſequens, proximumque, vt in brutis. Sic Iulianus *in l. de quibus. ff. de ll.* cuſtodiri iubet vice legis, quod proximum, & conſequens legi eſt. Vide Cuiac. [γ] & nouiſſime Fab. [δ] qui præclarius explicat,
5 ius naturale bifariam capi. Vno modo, quatenus verſatur circa res, quæ hominibus, brutiſque animantibus communes ſunt, quo ſenſu licet cum Iure gẽtium ſimile id habeat, vt æſtimetur ex ratione naturali, differt tamẽ, quod circa res cum reliquis animantibus communes ius gentium non verſatur, nam neque ad eas dilatatur, ſed eas tantum continet, quæ humani generis propriæ ſunt. Altero modo, quatenus eas res, quæ propriæ ſunt hominum, reſpicit, vt cum dicimus, obligari aliquem iure naturæ, qui fidem ſuam dederit. *l. cum amplius. in fi. ff. de reg. Iur.* Eiuſmodi ſunt religio erga Deum; & vt parentibus, & Patrię pareamus. &c. *l. 2. & 3. ff. de Iuſt. & Iu.*

Hoc autem poſterius ius naturale (inquit) quandoque ex tota natura ęſtimatur, vt in ſuperioribus exemplis, quandoque magis ex communi gentium vtilitate, & ne-

cessitate, quæ exigit plerumque, vt ad humanam societatem conseruandam, ea induci necesse sit, quæ a se, & simpliciter considerata ab huiusmodi societate prorsus abhorrerent, vt bella, captiuitates, seruitutes, dominiorum distinctiones, & alia, de quibus *in l. ex hoc Iure. ff. de Iustit. & Iu. in §. ius autẽ gentium. Instit. de Iu. natur.* Neque eo minus tamen naturale est. *§. singulorum Instit. de rer. diu* licet enim a tota natura non ęstimetur, ab eiusdem tamen principijs est. Quæ nos olim publice legentes vniuersam, vel Philosophorum, vel Theologorũ scholam ad Vlpiani legem conuocauimus; nunc paucula hæc, vt pręmisimus, cum authore eximio degustasse sat est.

α *2. de Nat. Deor.*
β *lib. 1. c. 4. n. 7.*
γ *d. l. 1.*
δ *Papin. Iurisprud. tit. 2. princ. 4.*

De incerto iure Pomponij *in l. 1. §. exactis ff. de Orig. Iuris.* Cap. IX.

1 *Historia Iuris ex Pompon.*
2 *Consuetudo formam habuit a lege.*
3 *Consuetudo ante legem informis.*

REfert Pompon. *in d. §. exactis.* initio Romanæ Ciuitatis populum sine certo iure, sine certa lege primum
1 agere instituisse. Postea latas fuisse a Romulo leges Curiatas, cum in Curias populum diuisisset. Demũ sublatis hisce legibus iterum cœpisse populum Romanum *incerto*

magis iure, & consuetudine aliqua uti, quam per latam legem. Refert, quid verbo *iterum* repetatur, nam repeti aliquid necesse. *l. veluti. §. hæc vox iterum. ff. de Eden. c sua. cum gl. ver. iterum. de appell.* Certe manus Regia non repetitur, quæ iam defecerat; non leges Curiatæ, quæ exoleuerant; sed neque vlla alia lex, nam immo ius istud incertum opponitur legi, cum dicat Pompon. *Quā per latam legem*, Ergo nihil aliud repeti, quam consuetudo, potuit. Sic itaque olim interpretabar. [a] *Incerto iure, hoc est, consuetudine*, posito & pro *idest*, vt alibi sę pe inter genus, & speciem; nam ius generale nomen est, consuetudo species, & pars. *c. ius generale. dist. 1. §. constat. de Iu. nat. gen. & ciu.*

2 Sed obijcies. Consuetudo, quæ ius facit, formam, & speciem a lege suam mutuata est. *l. de quibus. ff. de ll. c. vlt. de consuet. &c.* Quomodo ergo potuit ante legem esse?

3 Æstimo, ante legem fuisse consuetudinem quandam informem, quæ facti plus esset, quam Iuris, neque alio quopiam niteretur, quam actuum frequentia. Inde enim habuit, vt incerti iuris nomine significaretur, nam ius certum esse oportet. *§. erit autem lex. 4. dist.* quod autē incertum est, id a facto habet, vt tale dicatur, & sit. Fuit tempus ante diluuium, quo rudes erant homines, & literarum prorsus ignari, his a Cadmo nondum repertis. Eo certe tempore non alio viuere poterant, quam moribus, & consuetudine, quapropter æstimauit Plato, ius non scriptum esse vetustius. Vide Connan. [β]

Idque fortasse est, quod Isidor. tradidit *in c. consuetudo. 1.*

dist. Consuetudo est partim redacta in scriptis, partim moribus tantum vtentium reseruata. Quæ in scriptis redacta est, constitutio, siue ius vocatur; quæ vero in scriptis redacta nõ est, generali nomine, consuetudo videl. appellatur.

Iunge Connan.[γ] qui elegantioribus verbis id ipsum explicasse visus est. *Prima* (inquit) *iuris fundamenta iecit natura, tum permulta hominum moribus accessere, quæ vtilitatis ratione venerunt in consuetudinem. Et horum quædã, quia certa, vtilia, & necessaria, ne quid contra peccaretur, obsepta sunt legibus: quædam, quia incerta, dubia, atq; obscura, consuetudinis arbitrio sunt relicta, vt magis permissa, quam iussa, & imperata viderentur.* Hæc ille.

α *In prælect. pag. 7.*
β *lib. 1. c. 10. n. 2.*
γ *Ibid.*

De obedientia Patriæ quædam; & excusatus Pompon. *in l. veluti. ff. de Iust. & Iu.* Cap. X.

1 *Obedientia Patriæ a quo iure.*
2 *Officium Ciuis erga Patriam.*
3 *Parenti ne, an Reip. parendum magis sit.*
4 *Parentibus patriam cur postposuerit Pompon.*

1 OBedientiam Patriæ a Iure naturæ esse, quod & gentium dicitur, plane docuit Pomp. *in d. l. veluti.* nec mirum, nam & obedientia parentum ab eodem Iure est. Patria est, quæ & nos, & parentes nostros in lucem dedit, quæque & illis, & nobis cuncta largita est.

Pa-

Patriæ, a qua omnia accepimus, omnia redonemus, (in-
2 quit Æmil.α) *& quam a Patria mutuatus es vitam, eam illi iure optimo reposcenti redde*. Plato β obediendum Patriæ docet, & rigidius se gerenti mitius assentiendum, quam Patri; quodcumque etiam iusserit, inhibueritque patienter sustinendum, vinculaque, & mortes subeundas, ne quid illa habeat mali. Denique, quod nefas est contra Patrem, aut contra Matrem, maxime omniũ contra Patriam esse

Contra patrem (inquiunt) aut matrem. Immo contra vtrumque, si vel coniunctim capiantur. Audi Herocl. γ *Est* (inquit) *Patria per Iouem velut alter quidam Deus, & primus, maximusque Parens; quare qui nomen ei imposuit, a re ipsa non temere Patriam nominauit, vocabulo quidem a Patre deducto, prolato tamen fœminea terminatione, vt ex vtroque parente mistum esset. Hæc itaque ratio innuit, patriam vnam ex æquo duobus parentibus colendam esse*.

3 Qua etiam ratione liquet satis, quid respondendum quęstioni fuerit, quã ex Odof. & Accurs. excitauit Bar. δ *Parenti ne, aut Reip. parendum magis sit.*

4 Cum itaque anteire parentibus Patria debeat, a Pomponio tamen postponitur *in d. l. veluti. Vt parentibus* (inquiunt) *& patriæ pareamus.*

Sed vt patria postponeretur, forte egit ordo temporum. Prima enim societas fuit liberorum cum parentibus, & ea quidem procul dubio anterior ciuili societate; ergo & prima obedientia parentum fuit, posterior Patriæ, quæ ante conciliatos hominũ fœtus esse nõ potuit. Vt enim parẽtibus, pareamus, tam est antiquũ, quam Matrimonium

ipsum, & liberorum educatio ipsa, quæ omnia longe Patrijs anteriora esse, nemo ambigit. Vide Connan. ε Sed nec magna fuit Iurisconsultorum de hisce minutissimis cura.

α lib. 3.
β In Crit.
γ In Serm. Quales in Patriā esse debeamus.
δ In d. l. veluti. n. 1.
ε lib. 1. c. 5. n. 5.

Cur de officio parentum erga liberos siluerit Pompon. *in d. l. veluti*. Cap. XI.

1 *Obedientia Patris a quo iure.*
2 *Item liberorum educatio.*
3 *Amor parentis in filio supernaturalis est.*

1 VT parētibus pareamus, a Iure naturali rationis, hoc est, a iure gentium est. *d. l. veluti*. De liberis autem quid? An non illud quoque eiusdem rationis est, vt officium, quod parentibus liberi impendunt, id liberis rursus a parentibus rependatur?

Resp. Officium parentis erga liberos est recta educatio, in
2 quam bruta etiam animantia naturæ Author inclinauit. At educatio liberorum non a Iure hoc gentium est, sed a naturali illo primo, cuius brutę quoque animantes participes sunt. *l. 1. ff. de Iust. & Iu.* Porro non itidem natura docuit brutas animantes, vt parentibus obedirent suis,
3 immo nec quidem, vt parentes amarent suos. Quin & in nobis parentum amor non tam naturalis dicitur esse,

quam

quam supernaturalis, & quodammodo diuinus, quod ita accipio, vt non sit ab instinctu naturæ, sed totus a recta ratione. Quam bene os illud aureum? [a]

Quod est (inquit) *in herbis, aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor; sicut .n. herbæ ex humore nascuntur, & crescunt, sic homines per amorem incipiunt, & augentur. Humor quidem de radicibus adscendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed rursum transmittitur in semen; sic & amor de parentibus adscendit in filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur a filijs, quia sicut herba nō deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem, sic & homo non ad parentes, sed ad procreandos liberos transmittit affectum.* Hæc ille.

[a] *Math.* 19.

Propulsatio violentiæ an Iuris naturæ, vel gentium; & defensus Florent. in *l. vt vim. ff. de Iust. & Iu.* Cap. XII.

1 *Vim vi repellere a quo Iure.*
2 *Cognatio naturalis inter solos homines.*
3 *Inculpata tutela quæ.*
4 *Propulsare proprie quid.*

1 Vim vi repellere brutis quoque animantibus adeo commune videtur esse, vt nihil magis. M. Tullius principio generi animantium omnium tributum esse docet a natura, vt se, vitam, corpusque tueantur,

de-

declinentque ea, quæ ipsis nocitura videantur, tritumq́; est Græcorum oratione prouerbium. *Formicæ seu bilis est·* Ettamen, vt vim, atque iniuriam propulsemus, a Iure gentium esse docet Florent. *in d.l. vt vim.*
Respondēt, hoc ideo esse, quia rem deducit Florent. a ratione naturalis cognationis, quæ nisi inter homines esse non potest. Belluæ impetu naturæ vim repellunt, nullaque ratione id faciunt, vel moderatione, quia nec rationis compotes sunt, nec cognationem aliquam vel inter se se, vel cum hominibus agnoscunt. Homines ratione agunt, non impetu, vel vltionis ardore. De hac re Paul. *in l scientiam. §. 1. ff. ad l. Aquil. Qui* (inquit) *cum aliter tueri se non possunt, damni culpam dederint, innoxij sunt, vim enim vi defendere omnes leges, omniaque Iura permittunt. Sed si defendendi mei causa lapidem in aduersarium misero, sed non eum, sed prætereuntem percussero, tenebor lege Aquilia; illum enim solum, qui vim infert, ferire conceditur, & hoc, si tuendi duntaxat, non etiam vlciscen-*
3 *di causa factum sit.* Et hæc quidem tutela illa inculpata est, de qua Impp. *in l. 1. C. Vnde vi.* Eandem hanc Florent propria *propulsationis* appellatione significat, quod not. belluæ enim non *propulsant*, hoc est, non agunt cū tutelę moderatione, cuius expertes sunt, sed rabido quodam impetu.
4 *Propulsare* itaque intelligo eum, qui vel a se *procul*, vel *pro se*, suaue tutela vim arcet seruatis finibus inculpatæ defensionis, hoc enim sonat præpositio

a *off. lib. 1*

De

De septimestri, & octimestri partu. *Ad l. septimo. ff. de sta. hom.* Cap. XIII.

1 *Septimestris partus perfectus.*
2 *Natura certos menses prægnanti non fecit, quibus pareret.*
3 *Cur de septimestri plus, quam de alijs quæsitum.*
4 *De octimestri partu disputatur.*

1 *SEptimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est propter authoritatem doctissimi Hippocratis. Et ideo credendum, eum, qui ex iustis nuptijs septimo mense natus est, iustum filium esse.* Ita Paul. *d. l. septimo.*
2 Cum natura certos menses prægnanti non fecerit, quibus pareret, oportuit id legibus edisseri. Nam & Plin.[a] *Cæteris animantibus* (inquit) *statum, & pariendi, & partus gerendi tempus est; homo toto anno, & incerto gignitur spacio. Alius septimo mense, alius octauo, & vsque ad initia decimi, vndecimique.* De qua re Gell.[b] & ad Paulum Coras.[γ] Audio & de causa integri partus iusta volumina esse penes Hispanos authores, quos ipse videris.
3 Cur autem de septimo plus, quam de alijs quæsitum fuerit, en tibi causa. Credebatur olim iustus partus, iustus filius, decimum qui mensem attigisset, compleuissetq; idq; aut legem inspicias, aut temporum documenta. *l. Gallus. in princ. ff. de liber. et post. l. in testato. §. vlt ff. de suis, & legit. l. vlt. C de post. hæred. instit. Gell & Coras.*[δ] Donec rigorem vndecimi mensis temperauit Iustin. *in §. vlt. Auth. de restit. & ea quæ parit, &c.* Nono quoque mense perfectissimos partus nostris hisce temporibus reddi pos-

se,

ſe, experientia crebertima edocti ſumus, ait Coras. [e] Probatus tamen Hippocrati fuit ſeptimeſtris partus, ſeu pythagoræi numeri, qui perfectiſſimus vndequaque eſt, ratio, ſeu aliud quodlibet ita ſuaſerit. Vide Ariſt. [ζ]

4 De octimeſtri autem partu quid? Cur (inquam) ſufficere ſeptimus annus poteſt, nec tamen ſufficere octauus poſſit? Sunt hæc mehercule naturæ ſecretioris, quorum ratio, quia phyſice minus certa, nunc a Cœlo petitur, nunc a numeris. Nec credo, octimeſtrem partum legibus improbari, nam & illud nouimus, octauo menſe filium edi poſse, & quidem perfectum, vitalemque ex Ariſt. [η] Quod ipſum Cæcil. h. v.

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?

Pol nono, etiam ſeptimo, atque octauo.

Neque inficiatur hæc Plin. [ϑ] exemplo Veſtiliæ Romanę, quæ enixa quater Sempronium genuit ſeptimo menſe, Suillium Ruſum vndecimo, Corbulonem ſeptimo, vtrūque Conſulem, poſtea Cæſoniam Caij Principis coniugem octauo. Et frequens eſt quidem mulieribus Ægyptijs octimeſtris partus, nam fertiliores iſtæ ex eod. Ariſt. [ι] qui tamen græcis mulieribus rariſſimum id eſſe teſtatur; quod ſi interdum octauo menſe pepererint, vitamque habeat partus octimeſtris, æſtimari frequentius, vt conceptionis ſuæ tempus ignorarint.

Sed vnde rurſus tanta hæc raritas in octauo? Cur non maior in ſeptimo raritas, ſi remotior eſt ſeptimus?

Auerr. [κ] rem abſoluit. Nam in ſeptimo naſciturus (inquit) multum habet caloris, & humoris, quo fit, vt finiatur tempore hoc breuiſſimo. Hinc octimeſtris partus

tus

tus raro viuit, quia, vt vitalis sit, medius esse debet inter septimum, & nonum, quod perraro accidit.

Medius (inquit) esse debet, quoniam in octauo natus necessario vnius est trium dispositionum, vt, vel sit complexionis nati in septimo, vel nati in nono, vel mediæ inter vtrumque. Et siquidem complexio septimi est, tardauit exitum ad octauum mensem ob aliquod accidens, quare natus non dicitur iuxta naturalem vsum. Si vero complexio est noni, naturalis pariter non est, nam exitum accelerauit ob aliquod accidentale. Quod si complexio media fuerit inter hæc duo, tunc naturalis erit partus huiusmodi, & viuet, prout viuunt in septimo, & in nono nati.

Hæc ille totidem verbis, ex quibus legitimum fore partum non dubitaueris, quem octauus proferat mensis.

α *hist. natur. lib. 7. c. 5.*
β *lib. 3. c. 16.*
γ *d. l. septimo.*
δ *sup.*
ε *sup.*
ζ *lib. 7. de nat. anim. Aphrodisæ. lib. 1. de Anima.*
η *lib. 4. de generat. animal. c. 4. lib. 7. de hist. anim. c. 4. Auic. lib. 3. Fen. 21. tract. 1. c. 2. Varro (referen. Gell.) lib. rer. diu. 14.*
θ *d. c. 5.*
ι *d. lib. 7. de hist. anim. c. 4.*
κ *d. lib. 4. de generat. anim. c. 4.*

Neminem in sua, suorum ve causa idoneum Iudicem esse; *ad l. qui Iurisdictioni. ff. de Iurisd. om. Iud. & l. in priuatis. cum seq. ff. de Iudic.* Cap. XIV.

1 *Nemo in sua, suorum ve causa idoneus Iudex. 6.*

2 *Nisi in priuatis negocijs.* 5.
3 *Iusdicentis, & Iudicis differentia.*
4 *Priuata negocia Africano quæ.*
7 *Necessarium non vno modo dicitur.*

Regula Iuris est, neminem in sua, suorum ve causa
1 idoneum Iudicẽ esse. *l. vni. C. ne quis in sua cau. etc. l. qui Iurisdictioni. ff. de Iurisd. om. Iud.* A qua tamen exci-
2 pere oportet, quod African. docet in *l. 77. & seq. ff. de Iudic. In priuatis negocijs* (inquit) *pater filium, vel filius patrem Iudicem habere potest.* Quæ sint priuata hæc negocia, aut quæ componendarum legum æquabilior ratio, incertum vbique est. Corasius [α] rem aggreditur, de quo tamen parum modeste sentit Duaren.[β] Alij plerique nodum soluere tentarunt, de quibus Author Patauinus.[γ] Inualuit ille ipse Duaren.[δ] cuius sententiam doctissimi vi-
3 ri amplexi frequentius sunt,[ε] inter quos Ant. Fab.[ζ] Docent hi, Vlpianum *in d. l. qui Iurisdictioni* loqui de iusdicente; Africanum vero *in d. l in priuatis.* de Iudice. Nota est differentia Iusdicentis, & Iudicis. Ille non iudicat, sed ius dicit per formulam, hic iudicat ex formula sibi a Iusdicente præscripta. Non potest Magistratus, hoc est, Ius dicens sibi, aut liberis suis ius dicere. *d. l. qui Iurisdictioni.* quia liberum Iusdicentis arbitrium est, valet enim pro sua potestate quiduis statuere, nec certę formulæ adstringitur; contra vero potest Iudex pedaneus, cuius scilicet non est ius dicere, sed iudicare, etiam de causa Patris, si Filius est, & de causa filij, si pater est, iudicium ferre. *in d. l. in priuatis.* quia neq; periculosũ id, neque iniquum

quum est, cum ex præscripta sibi formula iudicaturus omnino sit, a qua nec latum quidem vnguem recedere ei liceat. Eoque maxime coloratur distinctio Duareni (alioqui nec recipi posset, quod ait, nullum subesse periculum) quod vix esse poterat, vt Iudex hic pedaneus vtriusque litigatoris consensũ non haberet; dabatur enim quandoque ex Centumuiris a Prætore, quandoque, & sępissime ex priuatis hominibus, in quos litigatores ipsi consensum præstitissent. *l. ex consensu. cum not. ff. de Appell.*"

Sed vtinam satis; obstat enim Vlp in *l. ille a quo. in fi. ff. ad Trebell.* vbi aperto Iurisconsulti testimonio Magistratum filius gerebat, & ius dicebat, potuitque tamen, aut debuit pro sua Iurisdictione parentem cogere. *Si quis* (inquit) *filiusfam. sit, & Magistratum gerat, patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit suspectã dicentem hæreditatem adire, & restituere.* Addita ratione in l. seq. *Nam, quod ad ius publicum attinet, non sequitur ius potestatis.* Et quasi discrimen haberi non debeat Iudicis, & Iusdicentis, eadẽ ipsa ratione vtũtur Iuriscõsulti *in d. l. in priuatis. 77. et seq.* postquã .n. dixit, Afric. in priuatis Iudicijs, seu negocijs fas esse & patri filiũ habere Iudicẽ, & filio patrẽ, subiungitur statim ex Paulo in l. seq. *Quippe iudicare munus publicum est.* Obstat etiam, quia si periculosum nullatenus esse poterat, vel iniquum, vt pedaneus Iudex quasi formulæ alligatus in causa aliqua filij iudicaret, cur non etiam poterat in sua iudicare? Certe enim non poterat in sua. Hinc Vlp. *in l. Iulianus ait. ff. de Iudic. Si alter ex litigatoribus* (inquit) *Iudicem solum hæredem, vel ex*

par-

parte fecerit, alius Iudex necessario sumendus est, quia iniquum est, aliquem suæ rei Iudicem fieri. Adde *d. l. vni. C. ne quis in sua cau. &c.*

4 Mihi rem aptissime omnium dirimit Iac. Cuiac.[a] illud exornans peregregie, quod a nostris Commentatoribus hausit. Priuata negocia Cuiacio sunt, vt & Accursio, quę & priuata Iudicia dicuntur. Notum discrimen est inter priuata, & publica Iudicia. In publicis Iudicijs nec pater filium, nec filius patrem habere Iudicem potest, hoc est, in criminalibus negocijs, in quibus nec iudices dabantur, nec formulę, sed cognitio erat populi, aut Magistratuum, qui gladij potestatem haberent a populo. In publicis sane causis (ait Cuiac.) neque ius, neque honestas patitur, vt iudicet filius de capite patris, vel contra, secus in priuatis, quam differentiam Gręci interpretes eo teste confirmant, quod si quid in priuatis Iudicijs peccatum fuerit, emendari id facile possit remedio appellationis, in publicis non item.

5 Restat, vt in priuatis iudicijs & pater filium, & filius patrem habere & Iudicem potuerit, & Iusdicentem, cum iusdicere, & iudicare publicum munus sit, quod rationē nescit filij, & patris. Sed aliud est, posse patrem in causa filii, vel filium in causa patris Iudicem esse, aliud debere. Potest quidem vterque, quia Magistratus est, & deberet etiam, si filius non esset, aut pater, sed non debet, quamuis possit, cum filius sit, vel pater, quia non decet. Aut, si debet, parce debet. *arg. l. senatusconsulto. ff. de off. Præsid.* & vbi non potest affectione seduci, ibi tantum debet, exceptis tamen criminibus, in quibus nec de-

debet, nec poteſt. Ad rem. Africanus docet *in d. l. in priuatis.* poſſe patrem in cauſa filij Iudicem eſſe, nec male, poteſt enim, vt ibi, & *d. l. ille a quo.* & ideo, niſi recuſatus fuerit, iudicium valet. Sed non debet. *d. l. qui iuriſdictioni.* & ideo bene recuſatur.

At denuo turbat Vlp *in d. l. Iulianus ait.* vbi alium Iudicem neceſſario ſumendum docet. At, ſi neceſsarius ſecundus eſt, procul dubio primus nec debuit, nec potuit.

6 Tu igitur ſic conſtitue. In cauſa propria iudicare nemo poteſt, aut debet, ſed neceſſario ſumendus alius Iudex eſt. *d. l. Iulianus ait.* Sed in cauſa patris, vel filij ſui iudicare quiſq; poteſt, licet non debeat, vt dicebam. Obſeruabis, tres illos Imperatores *in d. l. vnica. C. ne quis in ſua cau.* decreuiſſe ſingulariter, ne quis in propria cauſa Iudex ſit, in cauſa autem filij nihil nouum ſtatuiſſe, ſed eam ſub veteri diſpoſitione reliquiſe, quaſi propria cauſa non ſit, ſed alterius. Eſt quidem patris, & filij vna perſona. *l. vlt C. de imp.* vnum corpus. *l. cum ſcimus.* §. *vlt. C. de Agric. & Cenſit. lib.* 11. vna caro. *c. contradicimus.* §. 1. 35. *q.* 3. ſed a fictione hæc ſunt, non a certitudine Naturę, qua alius a patre filius eſt, maxime quod ad Ius publicum attinet. *l. nam quod. ff. ad Trebell.*

Sed & illud credere par eſt, primum Iudicem fuiſse vni ex litigatoribus ſuſpectum *in d. l. Iulianus ait.* cur enim dubitatum de hac re fuiſset, & maxime pendente iam lite? Hinc alius Iudex ſumendus neceſsario fuit, quia recuſatus primus fuit.

7 Illudque etiam a Dialecticis accepimus, non vno modo neceſsarium dici. Quin & a Iuriſconſultis, quibus ſæpe

C ne-

necessarium idem est, atque opportunum, sicut e contrario impossibile interdum dicitur, quod difficile. *l. cum in plures. §. vestimenta. cum Accursio. ff. loca.*

α *d. l qui Iurisdictioni. l. Magistratum. ff. de adopt. & lib. 4. Miscell. c. 9.*
β *disput. lib. 1. c. 51.*
γ *In conciliat. legum. &c. Nicol. Genua.*
δ *d. c. 51.*
ε *Loriot. Iul. Pac. Ant. Gubert. Petr. Costal. Hierony Teutler. Pet. August. Eric. Hadelman. penes. Gen. Patau. sup. Adde. Vult. in §. omniũ n. 48. Instit. de Act.*
ζ *d. l. qui Iurisdictioni in Rational. & Iurispr. Pap. tit 1. princ. 4. ill. 3.*
η *Coras. lib. 3. Miscell. c. 8. n. 5. & lib. 4. c. 9. n. 3. Alciat. lib. 3. Pareg. c. 2.*
θ *d. l. 77. in priuatis.*
ι *Cast. in d. l. qui Iurisdictioni. n. 2. vbi Alex. n. 2. Bart. Socc. n. 2. & alij Scriben. penes Gen. Sup.*
κ *Duaren. d. c. 51.*

De vulgari quęstione legitimati per subsequens: Et tentatus Tribuniani locus *in §. liceat. Auth. Quibus mod. nat. eff. legit. & in §. illud. Auth. quib. mod. nat. eff. sui.* Cap. XV.

1 *Legitimatus per subsequens, an legitime natus dici possit.*
2 *Mens disponentis pro legitime natis, quæ.*
3 *A natura omnes liberi æquales.*
4 *Legitimati proprie legitimi an sint.*
5 *Restitutio priuationem præmittit.*

PAter sibi filium hæredem scribit, eique Caium substituit ea conditione, *si decesserit institutus absque liberis de legitimo Matrimonio natis.* decedit institutus cum filio naturali, sed legitimato per subsequens matrimonium. Quæritur, an sit locus Substituto.

Com-

1 Communis schola substitutum excludit, quasi defecerit conditio, quasi (inquam) legitime natus dici possit, qui sequenti coniugio legitimatus est; idque Alciatus [a] plene consuluit contra Alexandrum; [b] quod & Couarr. [c] recepit, & passim ordinarij interpretes [d].

2 Sed qui ita sentiunt, hi & a verbis testatoris manifeste recedunt, & a sentẽtia; neque enim dubitandum videtur, eam fuisse mentem disponentis, quam verba demonstrant, vt videl. legitimatos excluderet, successoresque perinde suos traheret ad iustas nuptias initio contrahendas, & dedecus auerteret, quod ex concubinarijs amplexibus inijci solet.

Neque habet communis traditio fundamentum, quod non facile subuerti possit. Et pro ea præcipuum illud visum est, quod Tribunian. scribit *in d. §. liceat. Auth. quib. mod. nat. eff. legit. & in §. illud. Auth. quib. mod. nat. eff. sui*. a natura scilicet nullum fuisse discrimen naturalis, & legitimi, sed omnes liberos fuisse æquales, nisi quod differẽ-
3 tiam huiusmodi inter filios inuexit lex. *Sicut enim* (ait ille) *natura quidem liberos fecit omnes, bella vero seruitutem adinuenerunt, sic etiam hinc natura quidem legitimas produxit soboles, attamen ad concupiscentiam diuersio naturales eis immiscuit*. Quo arguebant, naturales nullum habere impedimentum, præterquam Iuris positiui, vt legitimi euadant, quales a natura fuere, quapropter, si impedimentum illud e medio tollat lex, inde effici, vt ab initio fuerint legitimi, & e legitimo matrimonio nati, quemadmodum cum ventus repellit nubes, solem nobis demonstrat, qui ante fulgebat super terram, sed nubi-

bus operiebatur.

Equidem, nisi bis, ac pluries sic Tribunian. loqueretur, mirarer, si ita scripta lex esset. Quomodo enim potuit natura facere legitimos, si naturalium, ac legitimorum discrimen nec quidem agnouisse potuit natura? Vrgeo similitudinem ex eodem Trib. *in princ. Instit. de libertin. Et cũ vno* (inquit) *cõi nomine omnes homines appellarentur, Iure gentium tria hominum genera esse cœperunt, liberi, & his contrarium serui, & tertium genus libertini, qui desierant esse serui.* Sic omnes a natura communi nomine *filii* vocabãtur, nec dum facto discrimine inter naturales, & legitimos; quomodo igitur potuerunt filij, qui ex concubina nati essent, legitimorum denominationem a natura concipere? Nam si non potuerunt, falsum est sublato legis impedimento fieri legitimos, quasi ad naturam ipsam remeantes.

Existimo, Tribuniani sensum esse, vt restitutio naturæ sit restitutio æqualitatis; Sicut enim filij a natura erant æquales, ita restituti per legitimationem filij reliquis ex iusto matrimonio editis æquales fiunt, quasi ad naturæ modum reuertantur. Ergo non valet argumentum pro communi sententia, nam, si proprie loqui velimus (quod Tribun. non facit) lex non tam restituti, quod a natura erat, quam naturalem vocat ad ius legitimi, quod a natura non habebat.

Sed & illud animaduerto, non esse ob id legitimatum filiũ cum ijs, qui legitimi dicuntur, & sunt, vsquequaque cõparandum, cuius rei bonum argumentum præstat idem Trib. *in d. §. liceat sicut. Et in liberis* (ait) *natura quidem*

li-

liberos fecit omnes, bella vero seruitutem adinuenerunt, &c. Sicut ergo manumissi veram habent libertatem Ciuium Romanorum, nec tamen ingenui dicendi sunt, sed libertini, sic legitimati verum quidem habent legitimorũ ius cum legitimis, sed non ideo legitimi proprie dici possunt; sique contendas cum Trib. *in §. vlt. Auth. de incest. nupt.* legitimos proprie esse, & plura sileam de hac re, quæ alterius sunt instituti, nemo tamen dixerit, vere & proprie dici posse e legitimo matrimonio natos, cum factum repugnet.

4 Ea denique ad naturæ modum restitutio, qua Tribun. nititur, non tantum filios tangit, qui per connubium sequens legitimi fiant, sed & eos, qui per rescriptum, vel alijs quibusdam modis, cum tamen fateamur omnes vno ore, legitimationem per rescriptum ad exclusionem substituti non valere.

Nec valde solidum a restitutione illa, quam dicimus, confi-
5 ci argumentum potest, si rem diligenter inspicimus; Nã restitutio priuationem præmittit, quam testator manifeste abhorret, quando non legitimos vocat, sed ex legitimo matrimonio natos, vt dicebam.

Reliqua prope inutilia sunt, quæ pro communi sententia afferri solent, a qua subinde latius rem disputans bene defecit Card. Mant. cum quo & alij tam multi, vt non facile secerni posse, quæ communior sententia sit, scripserit, plures hinc inde referendo, & grauem quæstionem fusius examinando Vincent. Fusar.

α lib.9.cons.52.vbi de magis comm.
β lib.7.consf.5.
γ de sponsal.par.2.c.8.§.2.in fi.
δ ad Rub.ff. si cer.pet. Ex quibus Rip.n.3.Bolognet.n.13.Alf.n.20. Pro qua etiã parte Surd.decis.319.n.5.Boer.decis.159.n.20.
ε De coniect.vlt.volunt.lib.11.tit.12.n.17.
ζ Gui.Pap.decis.482.n.4.Thesau.decis.196. & passim alij.
η de substit.q.409.

Custodiendum esse tempus, seu conceptionis, seu partus, quod magis infanti proficuum futurum sit; ex *l. nuper.* *§ vlt.C.de natur.liber.* & conciliatus Paul. *in l.11.* *ff.de sta.hom.* Cap. XVI.

1 *Matrimonium filij ignorante patre de Iure Ciuili nullum est.*
2 *Iustus filius vnde æstimetur.*
3 *Sequenti matrimonio spurius legitimatur.*
4 *Idque operante lege per fictionem.*
5 *Concubinatus nomen accepit per legem.*
6 *Non tamen per legem Canonis.*
7 *Definitur quæstio nobilis de retrahẽda dispẽsatione Papæ &c.*

ET *generaliter definimus* (ait Iustin. *in d. §. vlt.*) *& quod super huiusmodi casibus variabatur, definitione certa concludimus, vt semper in huiusmodi quæstionibus, in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tẽpus inspiciatur, & hoc fauore facimus liberorum, vt editionis tempus statuamus esse inspectandum, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis vtilitas expostulat.*

Hoc itaque retento, quod & certum est, tempus illud custo-

ſtodiendum ſemper eſſe, ſeu partus, ſeu conceptionis, quod infanti magis proficiuum futurum ſit, requiro, cur
1 reſponderit Paul. *in l. 11 ff. de ſta. hom. eum, qui viuente patre, & ignorante de conceptione filiæ conceptus eſt, licet poſt mortem aui natus ſit, iuſtum filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri.*

Caſus, de quo quæritur, eſt. Filia nubit ignorante Patre, eodemque ſuperſtite filium concipit. Concepto filio pater moritur, & mortuo patre naſcitur filius. Quæritur an iuſtus ſit. Negat Paul. iuſtum eſſe, quia conceptus fuit viuente auo, hoc eſt patre, qui ignorauit de conceptione filiæ, & quo tempore valere matrimonium non poterat. Ergo (aiunt Hiſpani authores) quando quæritur, an iuſtus filius ſit ex habilitate, vel inhabilitate parentis, non eo tempore quærendum eſt, quo in lucem editus, ſed quo conceptus eſt, potuit enim prodeſſe Nepoti, vt poſt Aui mortem naſceretur, quo tempore valere matrimonium cęperat, & tamen nocere debuit eidem, vt viuo auo conciperetur.

Quid igitur hoc? Non hercle aliud, quam ratio infectæ radicis. Erant enim Nuptiæ prohibitæ, adeoque inualidę, ſi pater ignoraſset, nec vel expreſse, vel tacite conſenſiſſet. *l. 2. l. filiusfā. l. Nuptiæ. 18 ff. de. Ritu. nupt. l. nec filium. l. in coniunctione. C. de Nupt. Iuſtin. in Nouel. 22. et in princ.*
2 *Inſtit. de Nupt.* vbi Balduin. [α] & Vult [β] valde erudite. Cumque iuſtum filium æſtimemus non ex inſtanti ſuæ conceptionis, ſed ex die iuſtarum Nuptiarum. *Inſtit. de pat. pot. (t) de Nupt. in princ.* nec iuſtus dici poſſit, qui nō fuerit ex iuſtis nuptijs procreatus, vt ibi, nec procreatus

poſſit ex iuſtis Nuptijs dici, qui ante iuſtas nuptias conceptus fuerit, ſequitur, veriſſimum eſse, quod Coraſius docet, ſemper conceptionis tempus ſpectari oportere, quādo filiorum qualitatem dignoſcere volumus ob iuſtas, vel iniuſtas Nuptias, quicquid de alijs.

Quod autem opponebatur ex Iuſtin. editionis, ſeu natiuitatis tempus ſpectari oportere, quando id partui commodius eſt, valet, ſi retrahi partus poteſt ad tempus cōceptionis; valet (inquam) ſi fingere poſsimus, conceptionis tēpus habile fuiſse, quod hic non poſsumus, nam ſi fingere velimus, iuſtum fuiſse matrimonium eo tempore, quo conceptus Nepos auo eſt, fingemus ſimul, ſtare potuiſse Matrimonium ſine conſenſu aui, quod impoſſibile a Iure eſt.

3 Sed hic ſtatim difficultas. Statuit Iuſtin. *in l. cum quis. et d. l. nuper. in princ. C. de Natur. lib. & §. vlt. Inſtit. de Nupt.* ſequenti matrimonio legitimos reddi filios, qui ſpurij nati eſsent, eoſque rerum omnium, & hæreditatis cum ijs, qui in ipſo Matrimonio deinceps naſcerentur, fieri participes; *cum gratias agere* (inquit) *fratribus ſuis poſteriores debeant, quorum beneficio ipſi ſunt iuſti filij, nomenque & ordinem ſubſecuti*. Arguunt itaque a maiori ſic. Si filij tum concepti, tum etiam nati ex iniuſta coniunctione efficiuntur legitimi, ſique coniunctio iſta fit legitima,
4 & iuſta, & quidem ope legis, quæ fingit, iuſtum fuiſse Matrimonium tunc, qnando ſpurij illi nati fuere, cur quaſi renouato, & purgato Matrimonio per mortem Aui non magis iuſtus euadet filius, qui non ſpurius natus, ſed conceptus duntaxat, antequam iuſtum matrimoniū

eſset

eſſet, natus deinceps eſt, poſtquam iuſtum matrimonium factum eſt? Cur (inquam) natalis dies ad tempus conceptionis non retrahitur ope eiuſdem fictionis? Nam cõſtat, quo tempore filius naſcitur in ſpecie Pauli, ſublatum eſſe impedimentum morte aui, quod faciebat, ne patri ſuo poſſet naſci iuſtus, patriam ſcilicet poteſtatem, qua agebatur, ne poſſet filia iuſte nubere ſine iuſſu patris.

Reſpondet Accurſ.[d] diſcrimen eſse, nam extremum illud,
5 ad quod fictio reducitur in oppoſitis legibus, iuris interdictionem non habet, concubinatus enim nomen per legem accipit, ſcilicet, vt legitima coniunctio ſit. *l in concubinatu ff. de Concub.* quo fit, vt & liberi ex concubina nati proprie naturales fuerint appellati.

Connanus[e] aliter ſentit, in eo enim inſiſtens, vt concepti ex non iuſtis nuptijs nunquam iuſti fiant, reſpondet, id quod emendatum a Iuſtiniano fuit *in d. l. cum quis.* ſingularem habere cauſam, vel rationem, quia videl. gratias agere fratribus ſuis poſteriores debent, vt ante dixi, cum filiorum ante ſuſceptorum amor iungendi poſteà matrimonij voluntatem dediſſe videatur. Cur autem nõ idem fuerit conſtitutum in ſpecię Pauli, promptum eſſe dicit rationem afferre. *Nam* (inquit) *ſi eo matrimonio geniti, quod ſine conſenſu Patris factum eſt, eius morte confirmato matrimonio, erunt legitimi, nullus erit, qui ſine Patris voluntate non facile ducat, quod ſperat, eo defuncto, iuſtum fore matrimonium, iuſtosq́ ex eo venientes liberos. At, quod de Concubinæ liberis inſtitutum eſt, contrariam habet æquitatis rationem, vt ſcilicet inuitaretur quiſque ad iuſtas nuptias, & quam concubinæ loco tenebat, eam vt legitimam*

vxo-

vxorem sibi habere vellet. Quod igitur in Concubinis sancitum est, allicit nos ad recte facta, vt a concubinis ad iustarum vxorum amplexum confugiamus; quod si in filijsfam. idem statueretur, delinquendi præberet materiam, neque post hac filij patris authoritatem in matrimonijs suis expectarent. Hæc ille.

6 Accursium sequerer, nisi vnum maxime obstaret. Hodie enim concubinarius coitus nomen legis non habet, cum a Iure Canonico damnetur, & tamen Ius Ciuile approbarunt Romani Pontifices, quo fit retractio temporis per fictionem. *c. tanta. Qui fil. sint legit.*

Soluo quæstionem. Ius Canonicum patitur, natos a Concubina fieri iustos filios per matrimonium subsequens, quia fictio nō reducitur ad impossibile aliquod Iuris; fingitur enim concubina fuisse vxor, quæ & potuit vxor esse, iustumque cum ea fingitur matrimonium fuisse, nam & iustum esse potuit ab initio. Conceptus autem Nepos ante mortem Aui, & post Aui mortem natus non potest iustus effici, quia non potest fingi, vxorem fuisse illam, cum qua matrimonium lege interdictum fuerat, hoc est, quæ Patris consensum minime habuerat. Sic nec natus quidem ex concubina effici iustus potest per matrimoniū subsequens, si fictio ad impossibilitatem Iuris referatur. *d.c.tanta.*

7 Non dubitabis, perutilem quæstionem esse hanc in disputationibus quoque nostri temporis. Pone, Romanum Pontificem dispensasse, vt matrimonium cum impedimento aliquo non iuste contractum denuo ineatur. Statim requiris, an ita porrigi dispensatio illa queat, vt proles

les

les ex iniusta coniũctione suscepta iusta deinceps fiat, & legitima, quamuis nihil de illa fuerit in literis expressum. Negabis ex Paulo iustam fieri, quod semper scio post hac responsuros legum peritos. De qua re latissime Thom. Sanch. ζ

α *n.25.*
β *n.16.*
γ *d.l. Paulus. n. 3.*
δ *in l. & si contra. in gl. vlt. C. de. Nup.*
ε *lib. 8. Comment. c. 4. n. 6.*
ζ *de Matrim. lib. 8. disput. 7. cum relatis.*

Selectiora quædam de fructibus annorum sequentium vbertate compensandis, & sublatæ legum antinomiæ cum resolutione practicæ quæstionis; *Ad l. cum certus. ff. de trit. vino, & ol. leg. l. legatum. §. Vini falerni. ff. de ann. leg.* Cap. XVII.

1 *Debitor an, & quando teneatur fructus, qui vno anno deficiunt, annorum sequentium vbertate compensare. 2.*
3 *Resolutio practicæ quæstionis.*

NEgat Iulianus in eleganti specie quęstionis, teneri debitorem fructus, qui vno anno deficiant, annorum
1 sequentium vbertate compensare. Vide *l. cum certus. ff. de trit. vino, & ol. leg.* h. v. *Cum certus numerus amphorarũ vini legatus eßet ex eo, quod in fundo Semproniano natum eßet, & minus natum eßet; non amplius deberi placuit, & quasi taxationis vicem obtinere hæc verba. Quod natum erit.* Eodemque modo respondet idem Author *in l. si debitor. §.*

veri-

verisimile. ff. de contrah. empt. vtens eisdem verbis in persona stipulantis. *Et stipulatus est decem pondo olei, quod natum esset.*

Sed contrarius videtur Paul. *in l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de Verb. oblig.* h. v. *Si stipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, expectare debeo, donec nascatur, & si natum sine culpa promissoris consumptum sit, rursum expectare debeam, donec iterum nascatur, & dari possit, & per has vices cessaturam, aut ualituram obligationem.*

Responderem, non esse in lege Pauli verba illa taxatiua. *Quod natum erit, uel esset,* quæ sunt in legibus Iuliani, neque ideo mirum esse, si compensandum est, quod defuit cum sequenti fertilitate.

Sed turbat Labeo *in d. l. legatum. §. Vini Falerni. ff. de Ann. leg.* Is proponit, sic legasse testatorem. *Vini Falerni, quod domi nasceretur, quotannis in annos singulos binos culleos hæres meus Attio dato.* Videbatur non esse locus compensationi, cum scripta fuerint verba illa taxatiua. *Quod domi nasceretur.* Et tamen in contrarium sic resoluit. *Etiã pro eo anno, quo nihil uini natum esset, deberi duos culleos, si modo ex uindemia cæterorum annorum dari possit.*

Sed & Vlp. *in l. ex eo. ff. de Trit. ui. & ol. leg.* sic legatum fingit a testatore. *Ex eo uino, quod in illo fundo nascetur, hæres meus amphoras decem quotannis in annos singulos dato.* Hic quoque taxationem legimus per ea verba, *quod in illo fundo nascetur,* & tamen compensatio iniungitur ex fructibus anteacti temporis. h. v. *Quo anno natum non fuisset, ex superiore anno eius fundi eum numerum amphorarum hæredem daturum Sabinus existimat, quæ sententia, si uolun-*

tas

tas non aduerſetur, mihi quoque placet.
2 Quid dicendum? Cuiacius diſtinguit. a Aut teſtator vnicum annum, & quidem præſentem reſpexit, adiecitque verba illa. *Natum erit*, vel *eſſet*, & tunc illa taxationem ſignificant ad ſenſum Iuliani *in d.l. cum certus. d. l. ſi debitor.* quod enim præſtandum eſt, niſi ſemel præſtari non debet, ideoque ſolum id, quod natum eſt, taxatiue datur, & debetur. Aut teſtator in annos ſingulos quid legauit, & tunc, quia plures anni adſcripti ſunt, & alter alteri fert ſuppetias, ſuppleturque alter facile ex altero, quaſi mutua cognatione, mutuo ve vinculo iungerentur, propterea verba illa, *naſcetur*, vel *naſceretur*, taxationem non faciunt ex ſententia Labeon. & Vlp. *in d. l. ex eo. & d. §. Vini Falerni.*
Addiderim, verba illa, *natum erit, natum eſſet*, completum aliquid, vel abſolutum denotare, cum rem actam ſignificent; Illa verò, *naſcetur, naſceretur*, cum futurum quid ſonent, interpretatione legis taxationem non facere, quod velim notes in difficili legum contrarietate. Reſtat, compenſationẽ fieri debere ex reliqui temporis vbertate; quando verbum nullum eſt, quod taxationis vicem valeat obtinere.
3 Habes, quid reſpondere tuto valeas vſitatæ quæſtioni Ordinariorum Iuris interpretum. β Stat decretum, vt nouus Canonicus de primis fructibus dare Cappam teneatur valentem decem. Dubitant, an ſupplere teneatur ex fructibus anni ſequentis, ſi priores non ſufficiant. Negauit Rip. γ Sed perperam, nam verius eſt, teneri Canonicum, vt ex fructibus ſuppleat anni ſequentis, cum
decre-

decretum de primis fructibus loquatur, nec taxationem aliquam in verbis habeat, quod not. Si itaq; primo anno nulli nascantur, supplebitur ex fructibus anni insequentis, qui dicentur primi. Vrget etiam pro veriori nostra Papin. *in l. Firmio. ff. quan. dies leg. ced.*

α *d. §. Vini falerni.*
β *ad Rub. ff. si cer. pet.*
γ *d. Rub. n. 5. Cagnol. n. 3. & alij comm. teste Alf. n. 13. post Bal. in l. si plures. n. 34. C. condit. insert.*

Obligationem ex delicto consensum aliquem habere delinquentis, sed inefficacẽ. *Ad l. 4. ff. de oblig. & Act.* Cap. XVIII.

1 *Obligatio ex delicto realis est.*
2 *Principium pœnæ extra nos.*
3 *Consensus duplex.*
4 *Et qualis sit delinquere volentis quoad obligationem pœnæ.*
5 *Contrahens matrimonium quomodo consentiat in copulam.*

1 OBligatio ex delicto re tantum constat, non verbis,
2 aut consensu, inquit Gaius *in d. l. 4.* Consentit D. Thom. [a] dum principium pęnæ extra nos esse, non ineleganter scribit, cui consequens est, de ratione pœnę esse, vt voluntatem non habeat.

At neque id quidem negari potest, consensum esse aliquem facientis crimen. *l. 1. § Bestias. ibi, passi sunt. ff. de Postul. l. Imperatores. ibi, ipse te huic pęnæ subdidisti. ff. de Iure fis. l. vlt. ibi, sua mente punitus est, C. ad l. Iul. Maiest. §. quia vero Leonis. 2. Auth. de nõ alien. aut perm.* Vide Accurs. [ε]

3 Ego

3 Ego itaque cum Theologis consensum facio duplicem;
4 alterum implicitum voco, alterum explicitum. Implici-
tum dico eum, qui virtute continetur in consensu ad de-
lictum, in quo delicto radix est pœnæ, qui enim in de-
5 lictum assentitur, is necessario cõsentit in pœnam, quæ
delicto inest legis authoritate. Est tamẽ ea conditio cõ-
sensus impliciti, vt nihil operetur, si contrarius ei sit con-
sensus explicitus. Ergo implicitus hic consensus, quem
dico, nullam producere obligationem potest ad pœnã
habet enim explicitum ei contrarium, qui nihil minus
velit, quam pœnam.[γ] Nec repugnat, duos hosce con-
sensus in vno, eodemque homine sibi inuicem con-
trariari. Exemplum alibi habeo;[δ] qui enim Matri-
monium contrahit, vi ipsa contractus coniugalis, & tra-
ditionis proprij corporis consentit in copulam implicito
quodam consensu, & tamen explicite dissentire interdũ
potest, aut debet. Casus est *in c. commissum. de Sponsal.
& in c. Beata Maria. 27. q. 2.*[ε]

α *4. sent. dist. 18. q. 5. art. 5.*
β *d. §. bestias. vers. onerari. Cagnol. cum relatis ad Rub. ff. si cer. pet. n. 46. Gomes. in §. omnium. n. 2. Instit. de Act.*
γ *Vide Couarr. in c. alma Mater. §. 10. n. 10.*
δ *Sacr. Iur. contr. dissert. 10. c. 7.*
ε *Vide d. c. 7. n. 24. & infra cap. 100.*

Nobilitatem adoptione minime acquiri. *Ad l. in omni l. per adoptionem. ff. de adopt.* Cap. XIX.

1 *Nobilitas adoptione non mutatur, sed dignitas.*
2 *Nobilitas ex duplici fonte.*

3 *Gene-*

3 *Generis, & gentis differentia.*
4 *Filius Senatoris adoptione non mutat genus.*
5 *Vxor æstimatur ex genere Viri sui.*
6 *Matrimonium cum adoptione haud bene collatum.*
7 *Adoptione cur dignitas adijciatur, non genus.*
8 *Dignitates a Iure Ciuili publico.*

IGnobilem, qui se nobili in adoptionem dederit, ex adoptione nobilem fieri, quæsita scilicet dignitate, nobilitateque Patris adoptiui, probatum videtur *l. in omni. l. per adoptionem. ff. de adopt. l. Senatoris. cum seq. l. emancipatũ. ff. de Senator. l 4. C. de Decur. lib.* 10 Hinc refert M. Tullius, Publium Clodium, qui se plebeio homini adoptandum dederat, vt Tribunus plebis fieri posset, e nobili plebeiũ factum esse. Enimuero, si per adoptionem crescere nobilitas posset, magnus vndique exiret adoptiuorum numerus, qui obscuro loco geniti nobilitatem ambirent per adoptiones, ad quos effrænandos constitutione aliqua opus esset, pro vt in similibus factum videmus.

1 Non itaque sic se habet res; non (inquam) nobilitas ad-
2 optione mutatur, sed dignitas, vt satis explicant memoratæ leges. Nobilitas nisi a duobus esse non potest, aut enim a genere, aut a Principis largitate, inquit Cuiac. non igitur ab adoptione; adpotio enim gentem quidem
3 mutat, hoc est, familiam, & familiæ nomen, sed genus non mutat, hoc est, stirpem, sanguinem, & originem. Differentia aliqua est generis, & gentis, licet confundi interdum videantur. Genus originem dicit, gens vero familiæ longam seriem, & ex longa illa serie familiæ suę

quasi

quasi præscinditur is, qui in alienam familiam adoptatur, & nouum consequitur nomen alterius ordinis, hoc est, alterius illius familiæ, in quam adoptatur.
Neq; obstat exemplũ Clodij; immo enim eligi Clodius nequaquam potuit ad Tribunatum plebis; nam nec potuit desinere esse Patricius per adoptionem, quæ non minuit, sed addit, propterea M. Tull. adoptionis illius cõmentum euertere pluribus tentat, negans in primis, Clodium hominem Patricium secundum leges Tribunum creari potuisse. Vide Connan. »
Cauẽdum itaq; a Cuiacio est, dũ hoc ipso exemplo Clodij verius esse existimat, vt nobilis per adoptionem plebeius fiat; & ratio, quam reddit, commentitia est. *Quia* (inquit) *ipsemet prodit suam nobilitatem, qui se dationi subijcit, & familiæ plebeij hominis, nec secus, ac is, qui ad præcium participandum venundari se passus est.* Hæc (inquam) ratio, si generalis est, fiet ex consequenti, vt filius quoq; Senatoris se ipsum prodat, si se subijciat inferiori alicui per adoptionem; & tamen contrarium docet Paul. in *d. l. Senatoris. h. v. A Senatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis est, quasi Senatoris filius videtur, quia non amittitur Senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis non magis, quam, vt Consularis desinat esse.* Sin hæc ratio singularitatem aliquam a Iure habet in causa nobilitatis, probanda vtique singularitas ista erat.
5 Neque aliquid pro Cuiacio facit exemplum mulieris, quę Matrimonium contrahit, de qua re sic habet iste. *Et ita quoque mulier patricij generis, si elegerit nuptias plebeij, trãsit in plebem, vt de Virginia nominatim scripsit Plin. lib.* 10.

& de se queri debet, quæ nupsit plebeio, atque ita prodidit nobilitatem sui generis, et sanguinis. Contra autem mulier plebeia (quia videl. se non prodit) per Matrimoniũ non mutaret genus, si abesset constitutio Imperatoris, quæ specialiter constituit, vt plebeia per Matrimoniũ, puta, si nupserit Patricio, non tantũ erigatur honore Mariti, sed etiam nobilitetur genere Mariti, atque ita proprium genus commutet in genus Mariti. *l. vlt. C. de Incol lib.* 10. *l. Mulieres. C. de dignit. lib.* 12. Sed commentitium id quoque est, qua enim ratione, Mulier plebeij generis nobilitatur genere Mariti, si Patricio nupserit, eadem prorsus ratione Patricia mulier inferiorem Mariti conditionem sequitur, si inferiori se copulauerit. Non igitur quia se prodit, sed quia placuit, vt non ex proprio genere mulier æstimetur, sed viri, sic .n. loquũtur Diui Principes in *d. l. Mulieres. et d. l. ult. Mulieres honore Maritorũ erigimus, genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus, & domicilia mutamus. Sin autem minoris conditionis virum postea sortitæ fuerint, priore dignitate priuatæ posterioris Mariti sequentur conditionẽ.* Nec tamen ita faciunt Principes, vt genus mutare velint, quod immutabile a natura est, sed vt æstimetur mulier ex genere Mariti.

6 Sed nec recte Matrimonium cum adoptione confertur, etiam si ius solum Ciuile intueare. Vt ecce. Adoptio nõ mutat conditionem, vt latius probat Cuiac. & tamẽ Matrimonium conditionem mutat mulieris, vnde Impp. *in l.* 3. *C. de Murileg. & Gynæc. lib.* 11. *Ingenuæ mulieres, quæ se Gynæciarijs sociauerint, si conuentæ denunciatione solemni splendorem generis contuberniorum vilitati præferre vo-*

voluerint, suorum Maritorum conditione teneantur. Et profecto nullibi de adoptione audiuimus, quod de matrimonio scriptum legimus *in l. 1. ff. de Ritu nupt.* vt sit *consortium omnis vitæ, diuini, & humani Iuris communicatio.* Nam, quia consortium est omnis vitæ, propterea, & genus communicari intelligis, & aliam quamlibet conditionem, non enim potest Mariti sors alia esse a sorte vxoris suæ, vt consortium dicatur, & sit. Vide Conn. [d].

7 Cur autem sic statuerint Legumlatores, & dignitatem adijci voluerint per adoptionem, non etiam genus, seu generis claritatem, causa fortasse fuit, quia dignitates extrinsecus obueniunt, & a Principe, seu Ciuitate pro meritis cuiusque decerni solent, nulloque habito discrimine, patricius ne sies, aut plebeius. Sic plebeio natus, & Senatui adscribi potest, & honores omnes adipisci, cuius rei præclarissimum exemplũ Romanis præbuit M. Tull. humillimo loco natus. Propterea (quod pulchre Conna [e].) vt fortuitum est nasci a Senatore, & Consulari viro, sic ab eo etiam adoptari, neque vlla inuidia est, si a Senatore adoptatus filius adoptiui Patris gaudet honore, cũ & honori succedere valeat, qui natus ab huiusmodi est. Immo valere plus debuit, vt adoptiuus patriam dignitatem consequeretur, quam vt naturalis; nasci enim fortuitum est, adoptari vero, hoc est, in filium ex multis deligi, non a fortuna est, sed a merito personæ, quod quidem meritum communicare potuit dignitatem adoptiui Patris. Hæc Connan.

8 Denique dignitates a Iure Ciuili publico sunt. *l. 1. ff. de Iust. & Iu. §. vlt. Instit. tit. 1.* genus vero a tota natura,

cui Diui Principes in solo matrimonio præiudicare voluerunt, quatenus possent.

α *pro domo sua.*
β *d.l. in omni.*
γ *lib.2.cap.15.n.10. Coras. d.l. per adoptionem.n.4.*
δ *lib.8.c.4.n.2. Rauard. coniect. lib.2.c.11.*
ε *d.c.15.*

Iudices de facto respondere, non legum Conditores. *Ad l. eum, quem temere. §. 1. ff. de Iudic.* Cap. XX.

1 *Iurisconsultus non respondet quæstionibus facti.*
2 *Recuperatores, &c. qui.*
3 *Præsides cur de facto consulentibus non respondeant.*
4 *Quæstio facti in arbitrio est iudicantis.*

1 Communibus Scribentium votis resolutum est ad *l. 1. C. de Eden.* iurisconsultum, eundemque legis conditorem non respondere quæstionibus facti. *l. non statim. ff. de plagiar. l. Seiæ. §. vlt. ff. de fun. instr.* cum alijs penes scriben[α].

Nec probatur oppositum *ex l. Diuus. ff. de Off. Præsid. l. Insulam. ff. qui potior. in pign. hab. l. miles. §. mulier. ff. de adult.* cum eæ resolutiones de Iure sint, si bene considerentur, non de facto. Fuit denique non Legumlatorum, sed iudicantium munus, vt ipsi de facto responderent. *d. l. non statim. l. 3. §. ideoque Diuus. ff. de testib. l. viro. ff. sol. Matrim. l. 1. ff. ad Turpill.* cum alijs penes Duaren[β].

Mirum itaque non videtur, quod scribit Vlp. *in d. l. eum, quem temere. §. 1.* neque ipsos quidem Præsides, aut Ma-

gistratus de facto respondere debuisse h. v. *Iudicibus de Iure dubitantibus Præsides respondere solent, sed de facto consulentibus non debent Præsides consilium impertiri.*

2 Sed ante me alij considerarunt, hanc legem de Præsidibus esse, qui de Iure interrogantur ab ijs, quos ipsi dant Iudices, & interdum Recuperatores dicuntur, quandoq; etiam dati, delegati ve, aut simpliciter Iudices, & alijs quibusdam modis, quasi vero sic dictum esset. Præsides non tantum crimine, sed etiam criminis suspicione vacare oportet, quo fit, vt iudicibus de Iure consulentibus responsuri quidem sint, sed non de facto consulentibus; nam ius certum vbique est, & hæc Iuris certitudo facit, ne responsum Præsidis ulla possit, vel gratiæ, vel ambitionis suspicione laborare, prout neque vllus gratiæ, vel ambitioni locus relinquitur in ea re expedienda, quæ aliter habere se non possit. At facti incertitudo e contrario facit, vt si de facto consulentibus Iudicibus respondeant Præsides, materiam calumniæ, & infamiæ ea res dare possit, vt (inquam) per gratiam, vel ambitionem aliquid fecisse Præsides videantur, cũ res aliter habere se posset. Hoc enim est, quod ibidem subiungit Vlp. *Hæc enim res nonnunquam infamat, & materiam gratiæ, vel ambitionis tribuit.*

4 Nec consultius aut loqui poterat, aut definire, nam quęstio facti tota pene est in Iudicis arbitrio, cum ipsæ etiam coniecturæ in eiusdem Iudicis arbitrio sint. Vide *d. l. 1. ff. ad Turpill. l. ordine ff. ad Municip.* & quæ de singulis erudite Duaren. [γ] & Fab. [δ] Sic male contorquet se Accurs. [ε]

α Dec.Bolognet.Alf. & alios in l.1.C. de Eden.
β lib.1.disput.cap.41.
γ Ibid.
δ In Rational. ad d.l. eum quem temere.§.1
ε In d.§.1.ver.tribuit.

Librum rationum probare aduersus scribentem. *Ad l. certum.§. si quis absente.ff. de Confess.* Cap. XXI.

1 *Liber rationum valet in præiudicium scribentis*
2 *Qui absente Aduersario confitetur, quando haberi pro iudicato debeat.*
3 *Confessio per scripturam absenti facta valet, & cur.*

Librum illius, qui cum officium habeat, vel artificiũ,
1 rationes suas inde conficit, valere in præiudicium scribentis, æstimant Ordinarij interpretes,[ε] & reliqui frequentius; quis enim credat, falso aliquem se scripsisse debitorem, vt se ipsum iugulet, vt (inquam) rem suam iactet, & male perdat? Vide *l. cum de indebito.ff. de Probat.* Sic itaque resolutum *ex l.Lucius.§. tutelæ.ff. de admin. tut.l.Argentarius.ff. de Eden.l. non est nouum.C.eod. Clem. vna.§. cæterũ. de Vsur.*
2 Sed valide obijcitur *l.certum. §. si quis absente.ff. de Confess.* Quærit Vlp. an is, qui absente Aduersario confitetur, pro iudicato haberi debeat, cum nec qui de operis iurat absente Patrono obligetur, nec soleat quis absenti condemnari. Et respondet, sufficere, si procurator, tutor, curator ve præsens sit, quasi velit Vlp. si nemo pręsens sit, nihil agere confessionem. At is, qui debitorem se facit in rationibus, confitetur absente parte, ergo, &c.

Pyrr.

Pyrr. Alſ. noua quadam, vt ait, expoſitione difficultatẽ dirimit. Non enim eam eſſe Vlpiani ſententiam in *d. §. ſi quis abſente.* vt confeſſio non probet, quæ aduerſario abſente facta eſſet, ſed, vt aduerſarius non poſſit ex ea confeſſione pro iudicato haberi. Nam (inquit) qui aduerſario præſente confeſſus eſt, cum pro iudicato haberi debeat, quippe qui ſua ſe ſententia condemnauit, vt dicitur *in l. 1 ff. de Confeſſ. in l. poſt rem. ff. de re iudic.* propterea Iudicium ſuſcipere non compellitur. *l ſi reus. ff. de Procur.* ſed tempus ei datur ad ſoluendum, ſicut dari ijs ſolet, qui iudicati ſunt. *l. ſi debitori. ff. de Iudic.* At confeſſus abſente aduerſario pro iudicato non habetur, & ideo ceſſant effectus iudicatæ rei, nam & iudicium ſuſcipere cogitur, nec tempus ad ſoluendum recipit inſtar iudicati. Verumtamen, licet confeſſio iſta iudicatum nõ faciat, probationem tamen efficit, & quidem veram illam probationem, quam in præſenti volumus. Hæc Alſ. non improbabiliter.

3 Placet tamen, vt dicamus, confeſſionem, quæ libro, & ſcriptura fit, vtcumque nemo præſens fuerit, præſenti tamen, non abſenti factam videri, neque enim abſentis, aut præſentis diſcrimen capere. Oſtenditurque id faciliime, nam quæ viua voce confeſſio fit, momento finitur, nec quicquam proficit abſente aduerſario, quia eo iterum accedente nihil replicaret. At, quæ per ſcripturam confeſſio fit, ex interuallo etiam confitetur, & veniente aduerſario replicat id ipſum, quod initio dixerat, cum literis mandaretur. Denique ſcriptura ſemper loquitur, ſe ſeque offert Aduerſario ad eius fidem recurrẽti,

silere nescia. γ Igitur quasi confessio habetur præsenti facta, & ad modum iudicati confitentem grauat, *vt d. §. si quis absente.*

α *Ad l. 1. C. de Eden.*
β *Ad d. l. 1.*
γ *Bal. ad Rub. C. de Constit. pec. n. 18. Rip. ad l. admonendi. n. 118. ff. de Iure iur.*

De eleganti disceptatione Pomp. & Vlp. *in l. & eleganter. §. seruus pactionis. ff. de Dolo.* Cap. XXII.

1 *Actio de dolo subsidiaria est.*
2 *Nil refert, an actionem quis habeat ipso Iure nullam, an eã, quæ exceptione infirmetur.*
3 *Seruus de his, quæ in seruitute promisit, manumissus non tenetur.*
4 *Nisi promiserit, vt libertatem consequeretur.*
5 *Adpromissoris, & expromissoris discrimen.*

SEruus pactionis (inquit Vlp.) *pro libertate reum domino dedit ea conditione, vt post libertatem trãsferatur in eũ obligatio. Manumissus non patitur in se obligationẽ transferri. Pomponius scribit, locum habere de dolo actionem, sed si per patronum stabit, quominus obligatio transferatur, dicendum ait, patronum exceptione a Reo summouendum. Ego moueor, quemadmodum de dolo actio dabitur, cum sit alia actio. Nisi forte quis dicat, quoniam exceptione Patronus summoueri potest, si agat cum Reo, debere dici, quasi nulla actio sit, quæ exceptione repellitur, de dolo decernendã. Atquin Patronus tunc summouetur, si nolit expromissorem* ipsum

ipſum manumiſsum accipere. Expromiſſori plane aduerſus manumiſsum dari debebit de dolo, aut, ſi non ſit ſoluendo expromiſſor, domino dabitur.

Obſcurus ſane locus eſt, & a Cõmentatoribus plane neglectus. Seruus dominum ſuum rogat, vt eum liberet, & reum, hoc eſt, expromiſſorem domino dat pro aureis nũmis centum, ea tamen conditione, vt transferretur obligatio in ſeruum, poſtquam liber factus eſſet. Expromiſſorem Dominus accipit, ſeruum manumittit. Manumiſſus recuſat in ſe ſuſcipere obligationem. Quæritur, qua actione teneatur pro eo, quod recuſat, & quis agere cõtra eum debeat.

Dicebat Pompon. patroni actionem eſſe contra manumiſſum, quia fraudem commiſerit, cum dato expromiſſore libertatem extorſerit, nolueritque deinceps obligationem in ſe ſuſcipere.

1 Vlpianus contra. Actio (inquit) de dolo ſubſidiaria eſt, vt & *l. 1. §. 1. ff. de dolo;* At patronus actionem habet aduerſus expromiſſorem, quem a manumiſſo accepit, non ergo poteſt cõtra manumiſſũ habere de dolo actionem. Replicabat Pompon. patroni actionem, quæ ei aduerſus expromiſſorem dari poſset, inanem fieri, nam expromiſſori competere exceptionem, quæ patroni ius perimat, nihil autem referre, an quis actionem ipſo iure nul-
2 lam habeat, an eã, quæ exceptione infirmetur. *l. nihil intereſt. ff. de Reg. Iu.*

Occurrit tamen Vlp. tunc enim (inquit) expromiſſori liceret aduerſus patronum excipere, cum patronus ipſe nollet libertum ſuum recipere in expromiſsorem, adeo-

que

que patronus ipſe in culpa eſſet.

Rem ſic definit Vlp. Aut expromiſſor eſt ſoluendo, aut nō. Si ſoluendo eſt, in eum, hoc eſt, in expromiſsorem patronus actionem habet ex ſtipulatione, ſique libertus ſubire onus expromiſſionis non vult, poteſt deinceps expromiſsor aduerſus libertum de dolo agere, non enim hæc actio competere patrono poteſt, quia actionem ſatis efficacem contra expromiſsorem habet. Si ſoluendo expromiſsor non eſt, poteſt ipſe patronus aduerſus manumiſsum de dolo agere, cum aduerſus expromiſsorem inanem habiturus ſit actionē, quaſi qui ſoluendo non ſit. Sed hic dubitatur. Nam, vel patronus ipſe aduerſus manumiſsum agat, vel expromiſsor iuxta diſtinctionem poſitam, non de dolo actio dari videtur, ſed (& ecce caſus, quo pactum nudum actionem parit efficacem) in factū

3 actio: quod patet in patrono agente, licet enim ſeruus de iis, quæ in ſeruitute geſſit, vel promiſit, non teneatur poſt manumiſſionem. *l. 1. & tit. C. an ſeruu. ex ſuo fac.* tāquam qui nouus homo, & alius ſit. *l. ſeruus. in fi. ff. de adim. leg. l. ſi Pamphilo. ff. de opt. leg. l. qui res. §. aream. ff. de*

4 *ſolut.* ſi tamen promiſit aliquid ſeruus domino, quo libertatem conſequeretur, tenetur per in factum actionem. *l. 3 C. an ſeruu. ex ſuo fact.* Et cur non eandem in factum actionem expromiſsor habeat, qui in eandem libertatis cauſam ſe obligauit?

Negat Accurs.[a] aliquid ſeruum promiſiſse Domino in ſpecie illa Pomponij, & Vlpiani, nam expromiſsorem a ſeruo datum certum eſt, promiſsum tamen aliquid fuiſſe non probatur.

Sed

Sed obſtat Vlpianus, ait enim poſse Patronum exceptione ſubmoueri, ſi liberti obligationem recuſet accipere. Ergo, ſi accipere tenetur, vtique de hoc pactus cum ſeruo eſt, vt acciperet.

Veriſſimum tamen puto eſse, quod ait Accurs. ſic enim conijcio, ſeruum dediſse expromiſsorem Domino ſuo, ſe ſeque expromiſsori obligaſse ad ſuſcipiendam in ſe obligationem expromiſſionis illius, poſtquam manumiſſus eſset, expromiſsoremque ſimul ea conditione obligaſse ſe domino, pactumque cum eo eſse, vt acceptaretur libertus in expromiſsorem, vbi primum liber eſset, ſic enim loquitur Vlp. *Si nolit expromiſſorem ipſum manumiſſum accipere*. Nota, quod ait, *accipere*. Ergo nihil ſeruus promiſit Domino, ſed dumtaxat expromiſso-
5 rem ei dedit, ſe ſeque expromiſsori deuinxit, vt transferretur in eum obligatio. Simul etiam expromiſsore dato liberatus a Domino eſt, nam qui fideiuſsorem dat, ſeu adpromiſsorem, non liberatur, qui vero expromiſsorem dat, is vtique liberatur, vt bene Cuiac. & Fab.

Non mirum itaque, ſi dominus in ſeruum manumiſsum actionem non habet in factum, cum nihil ei promiſsum a ſeruo fuerit, ſed de dolo ſubſidiariam, quaſi in eum, qui in graue præiudicium domini libertatem dolo extorſerit. Expromiſsor vero actionem in factum non habet, quia hæc datur Domino manumittenti, cui ſeruus pecuniam promiſit ſe daturum. *d. l. 3. C. an ſeruu. ex ſuo fact.* cumque expromiſsor nec dominus fuerit, nec libertatem ipſe dederit, ſequitur, vt & ipſe ſubſidium habeat actionis, quæ de dolo eſt.

a d. l. 3. ver. per in factum. C. an seru. ex suo fact.

An bonæ fidei, & stricti Iuris conuentionum ciuile discrimen iure etiam Pontificio stare videatur. *Ad c. cum venerabilis. de except. & c. cum Ecclesia. §. verum. de cau possess. & propriet.* Cap. XXIII.

1 *Rigor iuris Ciuilis Romanis Pōtificibus improbatur, et quādo.*
2 *Testamentum Pontificium cum Parocho, &c.*
3 *Filiusfam. de aduentitijs nullo iure testatur.*
4 *Ius Ciuile stare debet, vbi non reperitur emendatū a Iure Can.*
5 *Discrimē cōtractuū bonæ fidei, et stricti iuris vnde processerit.*

CRediderat Bal. *a* de canonica æquitate omnes, quot quot in Mundo sunt, contractus æquales esse, hoc est, bonæ fidei omnes, nec quidem improbabiliter; quādo enim Ciuilis lex rigorosam aliquam subtilitatem exquirit, vt in contractibus stricti Iuris, in quibus nulla habita ratione voluntatis tantum dictum fuisse intelligit, quantum scriptum (sic enim vulgo loquimur *ex l. 1. l.*
1 *quicquid astringendæ. ff. de Verb. oblig. l. consensu. ff. de oblig. & act.*) tunc licet expresse Canones eius legis rigorē minime emendent, a pijs tamen Pontificum legibus quasi omnino extraneus, vel extorris reijciendus creditur. *arg. c. dilecti de Iudic. c. filius. c. cum esses. de Testam.* At secus existimo, nam quid statuendum in hac Iuris causa videatur, pene dixerim, res ipsa docet. Fateor, non semel canones a nimia Ciuiliū legum subtilitate declinasse, sed mirum videtur, quomodo se se cum exquisitissimo

mo earundem legum rigore non ſemel etiam Canones
2 conformaſſe videantur. Ecce enim *in d. c. cum eſſes. de teſtam.* valet teſtamentum, quod cum Parocho, & duobus, tribus ve teſtibus conditum fuerit, exploſo illo rigoroſo, & pene ſuperſtitioſo ſeptem, aut quinque teſtium numero, idque ipſum deinceps obſeruari præcipitur in quolibet teſtamento ad pias cauſas. *c. relatum. eod. tit.* Et
3 tamen Pontifex *in c. licet. in fi. de ſepult. in 6.* in eadem ipſa cauſa teſtamenti, &, quod magis eſt, in teſtamento ad pias cauſas ciuilis Iuris exactam quandam ſubtilitaté recipit; Vt enim filiusfam. non poſſit de aduentitijs bonis teſtamentum condere quoad proprietatem, quę eius eſt, immo nec poſſit teſtari quidem in illis caſibus, in quibus ipſi acquiritur Vſufructus, non patri, totum hoc a mero Iuris Ciuilis rigore, & ſubtilitate eſt, nihil hic vel minimum cooperante natura, nec tamen de aduentitijs iſtis decernere etiam ad pias cauſas filius poteſt, nihil hic moderante Pontifice, ſed ciuilis legis diſpoſitionem amplectente, vt *d. c. licet.*

4 Equidem ęſtimauerim potius, ex alia Iuris regula fuiſſe propoſitæ quæſtioni reſpondendum, vt ius Ciuile ſeruatum videatur a Pontificibus, quando expreſſe non reperitur immutatum. *c. 1. & 2. de no. oper. nunc.* quod veriſſimum in ſecularibus negocijs, adeoq; in noſtra hac quęſt. prorſus indubitatum. Et, quod plus eſt, non tantú hæc differentia, quæ inter bonæ fidei, & ſtricti Iuris conuentiones intercedit, a Iure Canonico non reprobatur, verú etiam ſatis aperte comprobatur *in d.c. cum venerabilis. ibi. cum permutatio, & c. de excep. & d. c. cum Eccleſia. §. verum*

rum

rum . ibi . cum iure Ciuili ſit cautum. de cau.poſſeſs. & propr. quibus reſpondent contrarij quidem, ſed adeo frigide, vt a ſe ipſis confundi videantur.

Sententiam itaque Baldi laudarunt plures, ſed multo etiam plures condemnarunt, vt videre eſt penes Gomes. [β] & bene, non enim puto, cõtractuum ſtricti Iuris rigorẽ eſſe eiuſmodi, vt a Iure Pontificio corripi debuerit, aut
5 leniri. Suadet id mihi, quod differentia illa non aliunde prouenit, quam a natura cõtractuum, eorundemque neceſſitate, & frequentia, id .n. cũ Prætor diligentius animaduertiſset, e re fore exiſtimauit, ſi formulas aliquas ex bona fide conciperet, eas (inquam) formulas, quæ ob contractus darentur magis ad humanum conuictum, ſocietatemque neceſſarios, & ſine quibus humanæ vitæ communio nec momento quidem temporis conſiſtere poſset. [γ] Nam publice expediebat, vt ex bono, & æquo magis iudicarentur, quæ quotidie in hominum actionibus verſarentur. [δ] Vt itaque differentia illa retineretur, communis Ciuium vtilitas ſuaſit, quam & Romanorum Pontificum animis inſediſse veriſimilius eſt.

α *In Rub. de lus petit. n. 2.*
β *In §. Actionum. n. 4. Inſt. de Act. Couar. ad Reg. poſseſsor. par.* 2. *§. 6. n. 5. Alciat. & alios, quos retulit Valaſc. de Emphyt. q. 5.*
γ *Vide, quæ nuper Bellon. de mand. Iuriſd. c. 7. q. 3. n. 12. & per tot. Dixi Sac. Iu. contr. diſsert. 13. c. 2. n. 23.*
δ *Vide in ſimili gl. ad l. 2. in princ. ff. de Vſucap. pro Empt. l. iuſto. ff. de Vſucap.*

Rei appellatione an & perſona contineri poſſit, diſputatum cum Ordinarijs Interpretibus *ad l.* 1. *ff. ſi cert. pet.* Cap. XXIV.

1 *Re-*

1 *Rerum appellatione ſerui continentur.*
2 *De ſeruis idem iudicamus, ac de brutis.*
3 *Perſonæ ſub aſpectu duplici conſideratæ.*
4 *Item, & actiones.*
5 *Liberi homines an rerum appellatione cenſeantur.*
6 *Rei vendicatione certa res deſignanda.*
7 *Homo liber an, & quomodo vendicari poßit.*

1 PLacet, appellatione rerum generali ſeruos quoque cum reliquis rebus contineri. *l. omnia. §. cum ita legatur. ff. de leg. 2. l. 1. ff. rer. diu. l. vlt. C. de verb. ſig. l. cum Ancillis. C. de inceſt. nup. §. ſi eadem res. §. ſi res. §. optionis. Inſtit. de leg. & Inſtit. tit. de reb. corp. & incorp.* Sic
2 mancipia æque, ac pecora ſub rerum nomine comprehendit Conſtant. *in d. l. cum Ancillis*, nam re vera idem iudicamus de ſeruis, ac de mulis, & aſinis. *l. 2. ff. ad l. Aquil.* [a]

Vna eſt ambiguitas in Gaio, & Tribun. *Omne ius, quo vtimur* (inquiunt hi) *vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. l. 1. ff. de ſta. hom. §. vlt. Inſtit. de Iu. natur. &c.* Nam ſi talis perſonarum, rerum, & actionum diuiſio eſt, quo pacto rerum appellatione veniant ſerui, hucusque non videmus, de qua re Connan. alijque [b].

3 Equidem cum ijs pene conſenſerim, qui perſonas docent ſub duplici aſpectu conſiderari oportere. Vel enim primo ſecundum varias, quæ in ipſis ſunt, qualitates, & differentias, vt quod aliæ ſui Iuris, aliæ non; & quod aliæ in tutela, aliæ in curatione, aliæ neutro Iure, &c. Vel ſecundo prout in patrimonio noſtro, & extra patrimoniũ

ſunt

ſunt. Si enim priori modo conſiderentur, magis eſſe, ne *rerum* vox ad perſonas porrigi debeat. *d. l.* 1. *d.* §. *vlt.* Si poſteriori, contrarium ſtatuendum videri, vt *rerum* vocabulo perſonæ etiam comprehendi poſſint, cum ſatis aperta ſit Tribuniani ratio, per quem & Gaius explicatur. Nam ille in *princ. tit inſtit. de rer. diu.* de rebus ſibi agendum proponit, prout, vel in patrimonio noſtro ſunt, vel extra patrimonium noſtrum habentur, & ſub hac ipſa ratione homines, hoc eſt, ſeruos, qui in patrimonio noſtro ſunt, complectitur, *vt d. tit. Inſtit. de reb. corp. & incorp. & d. d.* §. §. *Inſtit. de leg.*

4 Eadem prope & de actionibus reſolutio eſt, quæ interdum eximuntur a rerum genere, interdum ſub eodem ſtatuuntur. Eximuntur vero, prout ſunt iudiciales quædam diſceptationes, & formulę, modique rerum in Iudicio perſequendarum; par enim eſt, vt modum, quo rem perſequimur, a re ipſa diſtinguamus, quo ſenſu res ab actionibus ſeiunctas voluere Gaius, & Tribun. *d. l.* 1. *d.* §. *vlt.* At quatenus iura ſunt patrimonij noſtri, ſub rerum genere rurſus conſtituuntur, vt *d. tit. Inſtit. de reb. corpor. &c.*

Satis hercle fuerat, ſi dixiſſent hi, magiſtralem fuiſſe Gaij, & Tribuniani diuiſionem, quæ librorum ordinem pulchre concinnaret.

An etiam liberi homines generali rerum appellatione cen-
5 ſeantur, quæſitum eſt ad practicam Iuris controuerſiam de Municipij lege, qua de omnibus rebus præcipitur ſolui vectigal. Iunge. *l.* 1. § *per hanc.* 1. *cum l. ſi in rem. in*
6 *princ. ff. de rei vend.* & ſic mecum ratiocinare. Rei vendi-

dicatione certa res designari in indiuiduo debet, quam
7 petamus. *d. l. si rem.* Nunc, si quæritur, an vendicari possit homo liber, cum affirmatione resoluimus, potest enim pater filium vendicare, quem in potestate habet, *d §. per hanc.* dummodo vendicet adiecta causa *ex lege Quiritium*, quæ verba faciunt (inquit Fab. γ) vt, dum pater in solemni formula vendicationis dicit, filium suũ esse, non de filij dominio sentiat, sed de filiatione sola, quasi diceret, filium, quem petit, esse suum filium. Denique, si rei vendicatione liber homo peti potest, iam dubitandum non est; appellatione rei generali liberum quoque hominem contineri. Reliqua de quæstione vectigalis penes alios. δ

α *Cagnol. d. l. 1. ff. si cer. pet. n. 59.*
β *Connan lib. 2. c. 1. n. 1. Duaren. disput. lib. 1. c. 55. Pyrr. Alf. d. l. 1. n. 67.*
γ *In Rational.*
δ *Cagnol. Sup. n. 60. &c.*

De receptaculis mulierum. Ad *l. si pater. ff. de Solut.* Cap. XXV.

1 *Leges ad ea aptantur, quæ frequentius accidunt.*
2 *Plus petens causa cadit.*
3 *Quot filij ab vtero expectari poßint.*
4 *Duo in vtero sinus ex Arist.*
5 *Receptacula quæ.*

MOritur mihi pater vxore prægnante; non possum ego a debitoribus hęreditarijs petere integrum debitum,

donec naſcatur ille, vel illi, qui in vtero ſunt, aut eſſe
creduntur, & quibus pars aliqua debetur illius crediti, &
hæreditatis; immo nec poſsum petere dimidium debiti
quaſi hæres pro æquali, nam poſsunt plures filij in vtero
eſse, quam vnus, vt diſerte habetur in *l. ſed & ſi reſtituatur. §. vlt. ff. de Iudic. & l. antiqui. ff. ſi pars hæred. petat.*
Sed quia pleno interim manente vtero mihi pars aliqua
danda eſt hæreditatis, cum ſaltem pro parte hæres eſſe
debeam, propterea lege ſtatutum eſt, vt quartam conſequi
poſſim, ſeu debiti, ſeu hæreditatis, quaſi tres filij na-
1 ſcituri videãtur, aptantur enim ad ea leges, quæ frequẽ-
tius accidunt. *d. l. antiqui. l. nam ad ea. ff. de ll.* Cum itaque
nihil plus conſequi debeam prægnante matre, quã
totius debiti quartam, plus tamen audeo, & exhibeo petitionem
pro toto debito. Excipiunt debitores, poſtumũ
in vtero eſſe, meque idcirco niſi quadrantem petere non
potuiſſe, cumque plus petijſſem, quam deberetur, etiam
cauſa cecidiſse. *§. ſi quis agens. Inſtit. de actìon.* ſic victus
2 acquieſco. Deinceps ex vtero nemo naſcitur. Quæritur
in d. l. ſi pater. an aliquid amiſerim, vel amittere potuerim,
cum deinceps poſthumus natus non ſit.
Reſpondebant Proculiani, nihil amiſſiſſe me, nã quod
incertum erat apud homines, certum tamen erat in rerũ
natura, nullũ hominem in vtero eſſe. Neque obſtare
rem iudicatam, quia lis amiſſa fuerat eo prætextu, quod
aliquis in vtero eſſet, qua ſpe ceſſante alia res facta eſt,
cui propterea nocere non potuit exceptio iudicati *l. ſi quis l. ſi is qui. ff. de except. rei iud.*
Sed contrariũ definit Iulian. *in d. l. ſi pater.* ex Sabiniano-

rum

rum ſententia, vt quarta, aut ſexta pars amiſſa fuerit; Quarta, quia tres naſci potuere; Sexta, quia naſci potuerunt quinque. An autem quarta, vel ſexta cadere debeat, non determinat eo loci Iulianus, quinque vero fi-
2 lios naſci potuiſſe probat, dicens. *Nam & Ariſt. ſcripſit, quinque naſci poſſe, quia vuluæ mulierum totidem receptacula habere poſſunt, & eſſe mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque ſimul peperit, & tum habebat incolumes, & hoc & in Ægypto affirmatum eſt mihi.* Statuitur ergo ex ſententia Ariſt. quinque filios educi ſimul poſſe.

Scribit Alf.[a] teſtatum quidem Ariſtotelem de quinque filijs,[b] ſed nullibi de quinque receptaculis, quæ in vul-
4 ua mulieris ſunt, immo eodem Ariſt. authore[c] duos in vtero patere ſinus, alterum in dextro alterum, in ſiniſtro, additque Alf. ſe duarum mulierum vidiſſe vuluas,& nuſquam receptacula quinque hæc aſpicere potuiſſe; neque aliter Iulianum defendi poſſe exiſtimat, quam ſi expoſuerimus, fœmineas vuluas habere quinque receptacula, hoc eſt, quinque fœtus recipere poſſe, non vt quinque habeant ſedes diſtinctas.

5 Mirarer, ſi tam fœde Iulianus offendiſſet. Explicat Cuiac.[d] receptacula ea eſſe, quæ vocantur *Secundinæ*; ſatiſque animaduertere Alf. potuiſſet, non eſſe receptacula diſtinctas ſedes, non enim Iulianus dixerat, mulierum vuluas quinque receptacula habere, ſed habere poſſe, nec rurſus negauerat, poſſe eſſe plura receptacula, quã quinque, nam alioqui reprehendendus fuiſſet, cum plures, quam quinque filios vno partu educi potuiſſe ibidem

Cuiac. probet, & vide *d. l. antiqui.*

α *l. 1. n. 149. ff. si cer. pet.*
β *7. de Hist. animal. c. 4.*
γ *ibid. lib. 3. c. 1. Adde, quæ perbelle Plazz. de part. gen. ius. lib. 2. c. 7.*
δ *d. l. si pater.*

Acceptilatio an iuris ciuilis, vel gentium. *ad l. an inutilis. ff. de acceptil.* Cap. XXVI.

1 *Acceptum fieri quid possit.*
2 *Acceptilatio a Iure Ciuili, & gentium. 5.*
3 *Nihil tam naturale est, quam solui unumquodque eo modo, quo ligatum est.*
4 *Esse a Iure gentium, & iuris gentium differunt.*
6 *Quæ Iuris Ciuilis sunt, in ius gentium sæpe commutantur.*

1 DOcet Vlp. *in l. an inutilis. § 1. ff. de Acceptil.* acceptum fieri non posse, nisi quod verbis colligatum est; acceptilatio enim (inquit) verborum obligationem tollit, quia & ipsa verbis fit.

2 Ergo a Iure Ciuili acceptilationem esse, dubitandum nō est, sicut a Iure etiam Ciuili verborum obligatio est.

Sed contrariatur, quod ibid Vlp. *in §. ult. Hoc Iure utimur* (ait) *ut Iurisgentium acceptilatio sit*. Quid est hoc, acceptilationem esse a Iure gentium?

Respondet Accurs. α, id per approbationem esse, vel propter pactum, quod in se acceptilatio continet.

Bar. β pactum quidem approbat, sed quod de approbatione dicitur, falsum existimat, quia (inquit) non potuit

tuit approbare ius gentium, quod non cognouit. Respondet etiam Bar. esse Iuris gentium per fictioné, quia acceptilatio est imaginaria solutio, at solutio de Iure gentium est.

Inualuit, quod de pacto dicitur a Commentatoribus melioris notæ; mihi tamen placere nusquam potuit, prout neque ijs, qui docere me, & alios possint, quid illud sit, quod Vlpianus habet. *Hoc iure vtimur.*

Cuiac.[d] rem aggreditur, & quod ait IC. in eum sensum dici putat, vt acceptilatio non sui natura quidem, sed vsu omnium hominum Iuris gentium sit. Cum enim (inquit) acceptilatio ita esset introducta ab initio, vt per eam non omnis contractus, sed verborum tolleretur, cumque & stipulatio, & acceptilatio Iuris Ciuilis esse dicerentur, inuenta scilicet acceptilatione ob solam stipulationem, &
3 dicente iuris regula, nihil esse tam naturale, quam, vt vnumquodque eo ipso modo dissolueretur, quo ligatum esset, factum deinceps est successu temporis per stipulationem Aquilianam, vt acceptilatione tolleretur non tantum verborum obligatio, sed & alia quælibet, quæ vel a Iure Ciuili esset, vel a gentium iure, vnde & contigit, vt sicut obligatio, quæ per acceptilationem tollebatur authore Aquilio erat Iurisgentium, ita quoque intelligeretur acceptilatio iurisgentium esse.
4 Addere poterant grauissimi Authores, aliud esse, vt a Iure gentium quid sit, aliud, vt Iurisgentium, nam primus loquendi modus ortum significat, seu originem, posterior vero vsum, & potestatem, *vt l. Nemo. ff. de rer. diuis.* §.
5 1. *Instit. eod. ibi. quia non sunt Iurisgentium, sicut & mare.*

Est igitur hodie acceptilatio Iurisgentium, quia omnibus patet, non tamen a Iure gentium.

6 Notat Cuiac. fieri interdum, vt, quæ iuris Ciuilis sunt, in ius gentium commutentur. Et ecce non vulgare hoc exemplum acceptilationis, quod plusquam apparere ex eo docet, nam Vlpianus scribit *in d. l. an inutilis. in fi.* acceptilationem græcis quoque verbis concipi posse, dummodo ijs ipsis verbis fiat, quibus concipi latine solet; quod ipsum de stipulatione traditur *in d. l. 1. in fi. ff. de verb. oblig.* cum enim quæ sunt Iuris Quiritum latine tantum fieri possint ex Vlp. in *fragment.* stipulatio tamen qualibet lingua fit, quasi contractus iam omnium linguarum, & gentium factus.

Sic testamentum olim nisi latine concipi non potuit, cuius scilicet factio Iuris Ciuilis esset, hodie vero quasi Iuris gentium factum potest condi quibuslibet verbis ex constitutione Theodosij. Delebis, quod Accurs. suaui quodam glossemate habet in fine legis.

α *In glo. penul.*

β *Ibid. n. 2.*

γ *Coras. ad Rub. ff. de verb. oblig. n. 8. Vues. in parat. ad d. tit. de acceptil. n. 2. Balduin. in §. item per acceptilationem. n. 6. Instit. quib. mod. toll. obl.*

δ *In l. 5. in fi. ff. de Iustit. & Iu. l. 4. ff. de Transact l. 1. §. si quis ita. ff. de Verb. obl. lib. 5. obseru. c. 36. in fi. cum quo & Vult. in princ. Instit. de verb. obl. n. 8. & in d. §. item per acceptilationem. n. 2.*

Emphyteusis an a Iure Ciuili, vel gentium. *Ad l. 1. C. de Iu. Emphy. & §. adeo. Instit. de loca.* Cap. XXVII.

1 *Emphyteusis contractus qualis.*

2 *Emphyteusim scriptam esse oportet.*
3 *Contractus Emphyteusis anterior Zenonis lege.*
4 *Et forte Bizantijs agnitus authore Arist.*
5 *Iurisgentium quid esse dicatur.*
6 *Ciuilis Iuris ut aliquid sit, quæ requirantur.*
7 *Emphyteusis consensu contrahitur.*
8 *Et proxima est Iurisgentium conuentionibus.*

SCribit Iustin. *in d. §. adeo.* dubitasse veteres de contractu Emphyteusis, cum quibusdam locatio videretur, qui-
1 busdam emptio, donec lata fuit Zenoniana lex, quæ Emphyteuseos cõtractus propriam statuit naturam, neq; ad locationem, neque ad venditionem inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam, &c. Ergo non a Iure gentium fuit contractus iste, sed a Iure Ciuili, hoc est a Zenonis lege, qui propriam cõtractui formam præbuit, qua secerneretur a reliquis contractibus, maximeque affinibus, qualis emptio, & locatio est. Cui etiam accedit scri-
2 pturę necessitas; cum enim pactum nullum sit, quod scripturam requirat, recedit tamen Emphyteusis a communi regula, *ut d. l. 1. C. de Iu. Emphy. ibi. pactionibus scriptura interueniente.* Et fuit hæc sententia Accursij Glossatoris [a].
3 Videamus, verum ne sit, quod asseritur, formam emphyteutici contractus fuisse a Zenonis lege, quod nego. Et fundamentum iacio negationis, quia contractus iste ante Zenonem fuit. Probo autem fuisse, nam Tribun. refert *in d. § adeo.* fuisse a Veteribus dubitatum, qualis cõtractus iste esset, donec Zenoniana lex Emphyteuseos cõ-

tractus propriam statuit naturam. Ergo ante Zenonem fuit contractus quidem, sed implicitus, confusus, atque incertus, donec a Zenone non tam formaretur, quam detegeretur; nec secus, ac ille, qui spicam excutit frumẽti, *cum enim* (inquit Caius *in l. adeo quidem §. cum quis. ff. de acq. rer. dom.*) *grana, quæ spicis continentur, perfectam habeãt suam speciem, qui excussit spicas non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit*. Quo sensu accipiendus Zeno est, dum ait. *Conceptionem, itemque definitionem habere propriam*; non enim aliud conceptio, aut definitio ista est, quam detectio cum additamento illo scripturæ, quod est a Zenonis lege. Et pro his præclarum est
4 testimonium Arist. [β] scribit enim Bizantios olim, cum pecuniæ indigerent, consueuisse certa mercede prædia publica locare, & fertilia quidem ad tempus, infructuosa autem in perpetuum. At quę verior Emphyteusis? quo ego exemplo non censeo probatum satis, Emphyteusim
5 a Iure gentium esse, non enim continuo pertinet ad gentium ius, quod penes aliquas gentium nationes receptũ fuisse dicatur [γ]; sed probatum volo, & hoc satis nunc, fuisse Emphyteuticarium ius ante Zenonem.

Sed statue, fuisse Emphyteusim a Zenone inuentam, nõ
6 ideo tamen necessario sequitur, a Iure Ciuili eam esse. [δ] Non enim sola origo Ciuilem rem facit, sed duorum altero opus est, vel, vt verba aliqua solemnia, quæ & ciuilia dicuntur, ciuilis lex adiungat, vel, vt exemplum, quod proponitur, de eorum genere sit, quæ solis Ciuibus patere conceduntur, quæ (inquam) Romani Iuris vsurpatione facta sint propria Ciuium Romanorum, extra-

traneiſque, ac peregrinis hominibus non communicen-
7 tur, qualia ſtipulatio, tutelæ, matrimonia, patria poteſtas. At neutrum in Emphyteuſi eſt, non enim verbis contrahitur, ſed conſenſu, nec Romanis ciuibus priuatiue conceſsa, ſed & alijs, vt Bizantijs; forte etiam omnibus gentibus, nam eius eſt rationis, atque vtilitatis, vt ſta-
8 tim audita ab omnibus recipi potuerit. Denique proxima eſt Iuriſgentium conuentionibus, vt locationi, & venditioni. *d. l. 1. d. §. adeo.*

α *d. l. 1. ver. quibuſdam. cum quo Scriben. & Vult. in d. §. adeo. n. 6.*
β *2. Oeconom.*
γ *Dixi Sac. Iur. contr. differt. 7. c. 3. n. 9.*
δ *Vide Connan. lib. 1. c. 6. lib. 7. c. 12. & quæ ego latius d. c. 3. n. 19.*

Cur interrogatus fuerit Quoduultdeus Epiſcopus *in cap. 1. de Iudic.* Vellet ne experiri coram Concilio Africo. Cap. XXVIII.

1 *Concilium Prouinciale non deponit Epiſcopos.*
2 *Niſi conniuente Pontifice.*

EXiſtimo interrogatum eo modo fuiſse Quoduultdeum Epiſcopum, quia de crimine agebatur, quod depoſi-
1 tionis pœna corrigi deberet. At non poteſt Conciliũ Prouinciale deponere Epiſcopos, ſed solus Romanus, atque idem ſupremus Pontifex, vel ab ipſo Apoſtolorum tempore. *c. accuſatus. cum 4. ſeq. 3. q. 6. cap. Accuſatores verſ. nec prius. 3. q. 8.* quod nunc & confirmat, & auget Trident. *de refor. ſeſs. 24. cap. 5.* Interrogatus itaque fuit

Quod

Quoduultdeus, vt coram Concilio promitteret, & sua ipsa promissione eidem Concilio sisteretur.
Sed an potuit Iurisdictio Concilij ad depositionis pœnam hac sola cautione prorogari? Non, quia resistunt Cano-
2 nes. Quid ergo profuit sisti Episcopum? Existimo, quia silente Episcopo, & conniuente Pontifice esse poterat, vt non retractaretur depositio Episcopi, vti factum legimus *in c. Episcopus.* 11. *q.* 3. En tibi Gratianus *in c. dudum. in si.* 3. *q.* 6. *Aliquando* (inquit) *inconsulto Romano Pontifice plerique Episcoporum damnati inueniuntur, & alij in eorum locum subrogati, quorum damnationem, & subrogationem pro bono pacis ex dispensatione tolerasse legitur Ecclesia.* Quod Britonũ Regi Ioann Pont. rescripsit *in c. hæc quippe. ibid.* At non potuisset dissimulare Romanus Pontifex, si eum adijsset Quoduultdeus; ob hoc itaque interrogatus fuit, vt se iudicari pateretur, vt (inquam) coram Concilio staret, Papam non adiret.
Cuiacius non tam Canonici Iuris, quam Cæsarei bonus interpres credidit, ex abundanti interrogatum fuisse Episcopum, vt & Canonistarum alij. Decius interrogatum credidit a Concilio generali, sed scriptori eximio & historia contradicit, & Concilij generalis suprema dignitas, cur enim interrogare debuerit Concilium generale, an coram se vellet Episcopus experiri? Ripa anteriorem partem Canonis prouinciali Concilio tribuit, posteriorem generali; nescio, an nimis subtiliter. Rectius illi (si me audis) qui interrogatum volunt, ne suspectum deinceps Concilium diceret, ac declinaret.
At (inquit Glossator [a]) totum Concilium non potuit re-
cu-

cusari. O quam suauis? De hac itaque re nunc subijcio.

α *d. c. 1. in gl. 3.*

Concilium totum, vel collegium posse quasi suspectum recusari. *Ad d. c. 1. de Iudic.* Cap. XXIX.

1 *Collegium aliquod totum quando rationabiliter suspectum.*
2 *In causa recusationis non abstrahitur vniuersitas a singulis.*
3 *Legatum inducens viduitatem inutile est, & quomodo.*
4 *Concilium generale non recusatur.*

Atque ita quidem communibus votis æstimatum, α quicquid senserit glossator, β cuius authoritatem sequitur Berous γ. Quid enim si Collegæ omnes ex vna,
1 eademque communi causa suspecti fiant? Pone rem, in qua totum collegium, vel Concilium semel, aut pluries iudicauerit, & sic votum suum propalarit, quo exemplo omnes vti solent. Quid, si singulos Collegas singulæ causæ suspectos faciant? Pone, Collegium e tribus esse, numquid impossibile factu est, vt mihi tres illi varijs ex causis suspecti sint? Nam & si decem sunt, aut viginti, nulla est impossibilitas.

Adde rationem, quia nihil refert, an suspecti plures Collegium faciant, vel non, dummodo iusta suspicandi cau-
2 sa sit; nam in causa recusationis non abstrahitur Vniuersitas a singulis, sed in ijs est, & qui potest plures Canonicos segregatim habere suspectos. *cap. cum R. Canonicus. de off. deleg.* potest & pari causa recusare eosdem, licet collegium faciant, vel capitulum.

Hinc

Hinc Felix.2 .ad Epiſcopos in Alexandrina Synodo con-
gregatos ſcribens ſic habet *in c. quoties Epiſcopi. 2. q. 6.*
*Quoties Epiſcopi ſe a ſuis Comprouincialibus, vel a Metropo-
litano putauerint prægrauari, aut eos ſuſpectos habuerint,
mox Romanam appellent ſedem.* Hinc denique S. Ioan-
nes os aureum Concilij contra ſe congregati renuit intra-
re Collegium. *c. quod ſuſpecti. in fi. 3. q. 5.*

His itaque munitur iuſta, ac recepta ſententia, quam ſola
Gloſsatoris authoritas dubitabilem fecit. At (inquiunt)
fraude egiſse videtur, qui concilium, vel collegium ali-
quod totum recuſauerit, *arg. l hoc modo. ff. de condit. &*
3 *dem.* Lex eſt, ne legatum valeat, ſi relictum mulieri fue-
rit ſub conditione viduitatis, aut ſi quoquo modo indu-
cere viduitatem poſſit, quod enim expreſſum, aut tẽta tũ
pro viduitate eſt, abrogatur, & tamen legatum debetur.
Tunc reſponſum illud Terentij duo habet exempla, &
de ſingulis quæritur, an viduitatem facere videantur.
Alterum eſt, ſi ita ſcriptum in teſtamento fuerit. *Si Lucio
Titio non nupſerit.* & putat, legatum valere poſse, quia
nuptias præcludit vnius hominis. Alterum, ſi eo modo
legetur. *Si Ariciæ non nupſerit, do lego.* & credit, non
valere legatum, ſi fraus legi aliqua facta ſit. Vides, du-
bitari de fraude, ſi in tota aliqua ciuitate nuptiæ prohi-
beantur, ſecus ſi vnius hominis; valere itaque & hoc po-
teſt, vt dicamus, poſse vnum aliquem ex collegio aliquo
toto, vel vniuerſitate recuſari, ſed non totum Collegiũ,
totam ve Vniuerſitatem, ne interceſſiſse fraus videatur.
Satis eſset, ſi reſponderes, ſpeciem Terentij diſſimilem
adeo eſse, vt nullum in ea fundamentum ſtatui poſſit.

Aut

Aut, si diceres, legatum, quo induci viduitas possit, apertæ legi repugnare, eum vero, qui totam aliquam synodum recuset, nihil agere, quod apertæ legi refragetur. At, si rem subtilius consideremus, vel lex illa retorquetur, vel notabilem inuehit distinctionem; nam si legatum aliquid fuerit mulieri sub ea conditione, *Si Ariciæ non nupserit*, perindeque in tota illa Ciuitate prohibitæ nuptiæ fuerint, interest (inquit Terent.) an sit talis mulier, vt alibi (extra Ariciam scilicet) nuptias inuenire haud facile possit; nam si ita sit, videbitur legatum in fraudem legis, & vitiabitur, cæterum parendum erit voluntati testatoris. Idem forte dixeris in specie nostra, vt recusatio non valeat quasi in fraudem tunc, cum recusato Collegio nullus præterea supererit Iudex.

4 Ab his omnibus Concilij generalis conditio procul est δ.

α *Omnes in d. c. 1. vbi Abb. n. 14. Dec. n. 16. Alciat. n. 17 Fely. n. 6. Rip. n. 40. Mant. n. 38. Bosch. n. 109. Boer. decis. 269. Ioseph. decis. Perus. 108. n. 5. Capic. decis. 138. n. 7. Menoch. de Arbitr. lib. 2. casu 458. n. 3. & cons. 94. n. 7. lib. 1. Paris. cons. 31. n. 99. lib. 1. Rolan. cons. 19. lib. 3.*

β *d. cap. 1. gl. 3.*

γ *n. 120. ibid.*

δ *Menoch. sup. n. 55. Rip. d. cap. 1. n. 45. Ioseph. sup. n. 6.*

Emphyteusis an bonæ fidei contractus, an stricti Iuris. *Ad §. Actionum. Instit. de Action.* Cap. XXX.

1 *Emphyteusis genus, & natura.*
2 *Et quatenus a venditione, & locatione segregetur.*
3 *Actiones stricti Iuris quæ.*
4 *De proposita quæstione scribentium opiniones.*

Nil

NIl tam certum, quam Emphyteuſis contractum ſtricti Iuris eſſe; non enim refertur Emphyteutica actio inter bonæ fidei actiones, quas omnes Tribun. accurate recenſuit *in d.* §. *actionum*. Et præterea (inquiũt) emphyteuticus cõtractus a Iure Ciuili totus eſt. *l.* 1. *C. de Iu. emphyt.* igitur a rigore totus, non a Iuriſgentium æquitate. Vide Valaſc. [α] Et hæc quidem omnium vna vox.

1 A receptiſſima hac ſententia receſſi primus, [β] nec pęnitet; nam ſi propriam Emphyteuſis naturam ſubtiliori quadã indagine libeat perſcrutari, ea quidem aut locatio eſt, aut venditio. Et contractus iſte quidem a locatione, & venditione ſegregatus eſt, fateor, ſed in eo ſegregatus, vt
2 nec locatio dici, nec venditio poſſit, nam vt naturã non habeat locationis, & venditionis, nec fecit lex, nec facere vſquam potuit; ſique ex duobus iſtis contractibus, qui bonæ fidei ſunt, miſta quaſi ſpecies emphyteuticæ pactionis perfici potuit, ecquis vel dubitare quidem velit, eam quoque bonæ fidei eſſe?

3 Nec contradicit Tribun. *in d.* §. *Actionum*. Nam, ſi verũ eſt, vt receptum certe eſt, actiones ibi omiſſas ſtricti Iuris eſſe, ſufficit tamen ex empto, & ex locato actio, quibus hæc noſtra proculdubio continetur. Et ſicut contractus Emphyteuſis, qui latebat olim inter locationem, & venditionem, non quidem repertus, ſed detectus a Iure Ciuili fuit, vt dicebam, [γ] ſic non inuenta, aut inſtituta, ſed detecta a Iure Ciuili fuit actio Emphyteutica, quæ & ipſa inter ex empto, & ex locato actiones delituerat. Nam, & quod obijcitur, Emphyteuſim a Iure Ciuili eſſe, falſum eſſe credimus, vt ſup. [δ]

4 Sed ij quoque, qui communi ſententiæ peruicacius hærent, in reſolutiones quaſdam abire compelluntur, quæ non tam quæſtionem faciant, quam riſum. Dicunt, Emphyteuſim eſſe ſtricti Iuris, ſed effectus habere bonæ fidei conuentionum, præſertim ob tacitas quaſdam pactiones, quas contractus iſte recipit *ex d. l. 1. cum ſeq.* In emphyteuſi quoque Eccleſiaſtica hæreſes ſunt, exiſtimátibus non nullis, eam ſolam bonæ fidei eſſe. Sed quorſum non aberret, qui viam ſemel deſeruerit veritatis?

α *de Emphyt. q. 5. num. 7.*
β *Sac. Iu. contr. diſsert. 6. cap. 9. num. 5.*
γ *Sup. cap. 27.*
δ *d. cap. 27.*

Quæ pro Emphyteuſi actio competat. *Ad l. 1. C. de Iure Emphyt.* Cap. XXXI.

1 *Condictio ex lege quando detur.*
2 *Contractus Emphyteuticus an innominatus.*
3 *Et numquid feudum.*
4 *Emphyteuſis nomine quid ſignificetur.*
5 *Actio vectigalis quæ.*

NOn aliam, quam *de Emphyteuſi* actionem dari exiſtimem, quicquid variauerint Accurſ. & Bart. aut quicquid ſomniauerit communis ſententia, quæ condictionem inuexit ex lege, teſte Valaſ.[α] Condictionem ita-
1 que ex lege reijcimus cum Giſan.[β] nam hæc ex obligatione oritur, quæ noua aliqua lege fuerit introducta,

l. 1. *ff. de condic. ex lege.* At obligatio Emphyteutici cõtractus non introducta a lege Zenonis fuit, ſed detecta, cum latitaſset olim inter contractum emptionis, & locationis, vt dicebam. [y] Eodem modo & Bartolus [z] argumentatus eſt. Condictio ex lege (inquit) tunc locum habet, cum obligatio a lege eſt, non a contractu. *d. l.* 1. *iun. l. obligamur. §. lege. & per tot ff. de act. & oblig.* at obligatio Emphyteutica non lege inducitur, ſed conuentione. *arg. l. actionum genera. ff. de oblig. & act. §. adeo. Inſtit. de loca. iun. l. Iuriſgentium. in princ. ff. de Pact.*
2 Qui actionem dari putant *præſcriptis verbis*, ijdem contractum Emphyteuſis innominatum faciunt, quæ in iure quaſi hęreſis communi omnium ſententia damnata eſt, teſte Valas. [a] nam contractus Emphyteuſis ciuili cõſtitutione nomen accepit. *d. l.* 1. *C. de Iu. Emphyt. l. vlt.*
3 *C. de reb. alien. non alien. d. §. adeo.* quod & de feudo teſtatur Zas. [b] Dicunt *Emphyteuſis* nomine melioratione ſi-
4 gnificari, non conuentionem. Ego vtramque ſignificari contendo, ſicut *pignoris* appellatio & contractum de ea re ſignificat, & pignoratitium ius.
Stat igitur, actionem dari de Emphyteuſi. Probat id Bart. quia contractus Emphyteuticus vel eſt idem cum locatione, & venditione, vel vtrique conſimillimus. *d. l.* 1. *C. de Iu. Emph. d. §. adeo.* At ex iſtis oriuntur actiones ex empto, vendito, locato, & conducto; ergo, &c. Recte Giſan. ager vectigalis (inquit) idem prope eſt cum agro
5 Emphyteutico, vt inf. [c] ſed apud veteres actionem habemus vectigalem. *l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus. ff. de dam. inf.* & de fundo vectigali. *l. ſi cum venditor. ff. de Euict.* Quare, &c.

[a] De

α *De Emphyt. q. 6. n. 9.*
β *d. l. 1. q. 4.*
γ *Sup. cap. 29.*
δ *l. 1. ff. de condict. ex l. n. 7.*
ε *Valas. sup.*
ζ *Feud. par. 1. cap. 2. n. 5. Et vide, quæ ego Sac. Iur. contr. dissert. 13. c. 2. n. 16.*
η *Cap. seq.*

De Emphyteuta, qui luem tempestatis passus fuerit, aut vitium Cœli, & numquid facienda ei remissio sit. *Ad l. si vno. ff. loca.* Cap. XXXII.

1 *Emphyteuta, vel minima parte rei Emphyteuticæ penes eũ manente, integrum Canonem soluere tenetur.*
2 *Conductori fit remissio ex causa sterilitatis.*
3 *Conductoris, & Emphyteutæ discrimen.*
4 *An in emphyteusi modica pensio pro forma requiratur.*
5 *In agro vectigali an fiat remissio.*
6 *Ager vectigalis, & Emphyteuticarius differunt in causa remissionis.*
7 *Si eo modo Emphyteusis facta est, vt fructibus pensio respondeat, an sit locus remissioni.*
8 *Contractus a contrahentium destinatione legem capiunt.*
9 *Emphyteusis nihil aliud est, quam melioratio.*

NEgant communiter Scriben. remissionem fieri, & bene. [α] Argumentum est Imperatoria definitio *in l. 1. C.*
1 *de Iu. Emph.* Nam si vel minima parte Emphyteuticę rei manente iubetur Emphyteuta integrum canonem persoluere, certe, si minima pars fructuum penes eundem manserit, immo, si nulli fructus, dummodo Emphy-

teutica res penes eum ſit, integrum quoque canonem dare tenebitur.

2 At (inquies) emphyteuſis re ipſa nihil aliud eſt, quam conductio. *d. l.* 1. Conductori autem fit remiſſio ex cauſa ſterilitatis. *cap. propter. de loca. l. ſi vno. ff. eod. l. licet. C. eod. ergo, &c.*

3 Reſp. Emphyteuſis a cõductione ſeperationem recipit. *d. l.* 1. cum enim conductori penſio conſtituatur in compenſationem fructuum, quos percipere conductor poteſt, attamen Emphyteutæ non in compenſationem fructuum datur, ſed in agnitionem directi dominij, vt docent omnes β. æquum itaque eſt, vt conductori, non

4 etiam Empgyteutæ remiſſio fiat, ſi fructibus excidant. Immo nec defuere, qui aſſererent, in Emphyteuſi modicã penſionem conſtitui debere quaſi pro forma conuentionis, vt intelligatur, ad agnitionem ſuperioris dominij eſſe, non ad compenſationem, quos reijcit Alciat. γ Stat itaque Emphyteutæ damnum non remitti.

Sed obſtat Papin. *in d. l. ſi vno. Si* (inquit) *vno anno remißionem quis colono dederit ob ſterilitatem, deinde ſequentibus annis contigit ubertas, nihil obeſſe domino remiſsionem, ſed integram penſionem etiam eius anni, quo remiſit, exigẽdam. Hoc idem & in Vectigalis damno reſpondit.* Notabis verba illa. *Et in vectigalis damno;* a quibus argumẽtum deduces ſic. Idem eſt iudicium agri vectigalis, quod

5 Emphyteutici, *vt in Rub. & l. 1. ff. ſi ager vectig. &c. l. ſciendum. §. 1. ff. qui ſatiſd. cog.* Sed in agro vectigali fit remiſſio cum temperamento, an ſequentibus annis contingat vbertas, vel non, ergo, &c. Ager vectigalis qui fuerit

rit

rit olim, vide Alciat.[f]

6 Reſpondebis, conuenire interdum duo hæc nomina agri vectigalis, & emphyteuticarij, ſed differre etiam in multis; cur autem diſſidere potuerint in cauſa hac remiſſionis, eam videri rationem, quam nuper conſiderauimus, quia in agro Emphyteuticario penſio ſoluitur in agnitionem dominij ſuperioris, quod directum dicitur, non in compenſationem fructuum; at in agro vectigali pro ſolo vſu rei, & fructibus penſio conſtituitur, adeoq; ſimplicis conductionis regulæ cuſtodiuntur, vt ob caſum ſterilitatis remiſſio fiat.

7 Quid ergo (inquies) ſi eo modo Emphyteuſis facta eſt, vt fructibus penſio conſtituta reſpondeat? Videmus enim noſtris hiſce temporibus ſic plerumque fieri. Aurelius Corb.[g] negari non poſſe ait, quin hęc controuerſia ambigua valde ſit ob rationes, & authoritates, quæ hinc inde conſiderari ſolent, atque adeo, vt non ſolum quæ ſit de hac re veritas, ſed & quę plus valeat ſcribentium votis, haud facile diſcerni poſſit. Valas.[h] communiorem ſententiam pro remiſſione eſſe contendit, licet contrariam veriorem. Alciatus[i] opinionem fouet, quæ remiſsioni contrariatur, eamque magis communem eſſe affirmat, cum quo & Ouid.[k] Omitto reliquos, & nego, Emphyteutæ remiſsionem deberi, vtcumque pro ratione fructuũ conſtituta penſio fuerit; eſt enim Emphyteuſi extraneũ iſtud, & pure contingens, vt fructibus penſio comparetur, illud autem naturale eidem, vt in agnitionem dominij perſoluatur; ab hoc itaque natura contractus æſtimanda eſt. Nec propterea iniquitatem habet Emphy-

teusis, quod remissione fraudetur, tum quia contractus a contrahentium destinatione legem accipiunt. *l. con-*
9 *tractus. ff de Reg. Iur. d. l.* 1. tum quia nihil aliud Emphyteusis est, ac melioratio, quæ Emphiteutæ lucro cedere debet; æquum itaque est, vt se fortuitis casibus vicissim exponat, nam si alleget, se rem valde vberem pro graui pensione recepisse, audiendus non est, sed in sua facilitate relinquendus.

α *Vide Ias. in l. 1. num. 18. C. de Iu. Emphy. Corbul. de caus. priuat. ob non solut. can. ampliat. 12. Valas. de Emphy. q. 27. n. 7. Alios refert. Ouid. q. 38. n. 11.*
β *In cap. potuit. de loca.*
γ *Toto cons. 49. lib. 5.*
δ *lib. 3. disp. cap. 10. Conna. lib. 7. cap. 12. n. 2. Fab. de Error. par. 3. dec. 65. err. 4. Valas. sup. q. 31. Dixi Sac. Iur. contr. differt. 13. n. 8.*
ε *Vide Valas. d. q. 31. circa fin.*
ζ *Tit. de caus. priuat. ob non sol. can. ampl. 12. n. 4.*
η *d. q. 27. n. 11.*
θ *sup. cons. 49.*
ι *sup.*

De Emphyteuta, qui Thesaurum inuenit in loco Emphyteusis. *Ad l. vnic. C. de Thesau. lib.* 10. Cap. XXXIII.

1 *Thesaurus quid.*
2 *Quæ nullius sunt, occupantis fiunt.*
3 *De acquisitione Thesauri legum placita.*
4 *Emphyteuta an fundi dominus.*
5 *Emphyteuta sibi thesaurum acquirit, & cur.*
6 *Thesaurus beneficium dicitur Dei.*
7 *Ad Emphyteutam spectant damna fortunæ.*
8 *An directus dominus suum faciat, si Thesaurum inuenerit in loco Emphyteusis.*
9 *Minus Iuris in vsufructu est, quam in Emphyteusi.*

The-

THesaurus (inquit Paul. *in l. nunquam. §. 1. ff. de acq.*
1 *rer. dom.*) *est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat, sic enim*
2 *fit eius, qui inuenerit, quod non alterius sit.* At ea, quæ dominum non habent, occupātis fiunt. *§. feræ. cum alijs seqq. Instit. de rer. diu.*

Ab hac tamen regula recessum in thesauro est, neque aliquid propemodum cernitur, in quo plus dissentiant Romani Principes. Vide Cuiac. [a] & quæ de Thesauris Connan. [b] alijque penes Valasc. [c] *tex. in l. si is qui in aliena. ff. de acq. rer. dom. §. Thesauros. Instit. de rer. diu. l.*
3 *vnica. C. de Thesau. lib. 10.* Summa est, vt quisque possit in proprijs terrulis thesaurum perquirere, perquisitumque, atque inuentum sibi ipsi acquirere. In alienis non item, etiam Dominis volentibus. At si quis non data opera, sed fortuito casu in alieno loco inuenerit, dimidiū suum faciat, & dimidium Domino fundi reddat. Mirū audis, posse quem in loco suo thesaurum perquirere, & sibi acquirere, nec tamen permittere alij posse, vt ibidē moretur thesauri requirendi gratia; posse itaque per se, nec tamen per alium posse. *d. l. vnic.* Nam si dicas, fuisse id ea causa constitutum, ne malis artibus homines vtātur (vt plerumque fit) ad euiscerandos thesauros, aut ne homines in perquirendis Thesauris nimium solliciti culturam deserant agrorum, certe hæ rationes non tantum prohibent fundi dominum, ne alteri permittat, verum etiam ne per se ipsum faciat. Probabilius est, voluisse legem saltem quoad non dominos prædiorum extinguere effrænatas hominum cupiditates, qui forsan eo sæculo

perdite occupabantur in perquirẽdis thesauris, hoc enim suaderi videtur *d. l. vnica.* ibi. *Ita enim eueniet, vt unusquisque suis fruatur, & non immineat alienis* [s].
4 Nunc ad Emphyteutam venio, qui vel suum facit, si thesaurum inuenire dicitur in suo, vel non facit suum, sed diuidit cum domino fundi, si inuenire dicitur in alieno. Et quidem in eum modum loquuntur leges de Emphyteuta, vt nunc dicatur fundi dominus. *l. possessores. C. de fund. patrim lib.* 11. nunc pronuncietur non dominus. *l.* 2 *C. de Mancip. & Colon. lib.* 11. *l.* 1 *ff. si ager. Vectig.*
5 In hac itaque legum diuisione variarunt Scriben. eo interim magis recepto, quod Emphyteutæ causam fouet, vt testatur Coras.[t] licet contrariam sententiam firmasse videatur Nauarr.[u] Nec dubito, communem sententiam veriorem esse. Nam Emphyteuta, qui Thesaurum inuenit in loco Emphyteusis, aut inuenire dicitur in suo, aut in alieno, aut partim in suo, partim in alieno, quod verius. Et quidem si in suo, totum certe Thesaurum lucrifacit. Si in alieno, & data opera, totum reddere tenetur, non enim licet in alieno perquirere, etiam volẽte domino. *d. l. vnic.* & qui putat, ab hac regula excipi Emphyteutam, vt in fundo Emphyteutico perquirere, prudens, ac sciens possit, manifeste diuinat, & sine lege loquitur, aut contra legem, quæ generaliter omnes prohibet in alieno perquirere; igitur tunc dimidiam partem lucratur Emphyteuta, cum fortuito casu thesaurum inuenit nihil speciale habens vltra alios inuentores extraneos. Si denique (quod proximum rei nostræ est) partim in suo inuenit, partim in alieno, hic casus quasi omis-

omissus a lege similitudine aliqua iuris decidẽdus est. Dicunt, id esse omnibus constitutissimum, vt thesaurus, quem in loco feudi Vasallus inuenerit, suum faciat [a]; addiderim ego, eum, qui varijs respectibus, & in suo, & in alieno loco thesaurum repererit, suum facere [β], quasi duplici iure munitum, & quia partem dominij habet, & quia repertor ipse Thesauri est, adeoque præferẽdus occupationis iure. Simili modo si quis ex sua, & aliena materia speciem composuerit, is dominus eius erit, quia non tantum fecit, sed & partem materiæ præstitit. §. *cum ex aliena. Instit. de rer. diu.* Emphyteutæ etiam, & communi sententiæ ratio iuris fauet & naturæ, nam the-
6 saurus dicitur beneficium Dei. *d. l. vnic.* & donum fortunæ. *l. si is qui.* §. 1. *ff. de acq. rer. dom.* ergo Emphyteu-
7 tæ esse debet, ad quem spectant damna fortunæ. *l. 1. C. de Iu. emphy. iun. l. secundum naturam. ff. de Reg. Iur.*

8 Illud verum putant communiter Scriben. vt si directus dominus thesaurum inuenerit in loco Emphyteusis, totũ reddere debeat Emphyteutæ. Sed obstat rursus, nam, si inuenire dominus in suo dicitur, suum facit; si in alieno, totum reddit, nisi forte inuenerit; si partim in suo, partim in alieno, quod propius est, tunc & ipse duplici iure valet, & dominij, & inuentionis. Quin & damnũ fortunæ aliquod allegare potest, si tota res Emphyteutica pereat. *d. l. 1.*

9 Qui a fructuario arguunt ad Emphyteutam, reprehendendi sunt, cum minus iuris in vsufructu sit, & hoc certissimum.

a *lib. 9. obser. 37. circa fin.*

 β *lib.*

β lib. 3. cap. 4.
γ De Iu. Emphyt. q. 15.
δ Vide Valas.
ε In l. 1. n. 17. C. de Iu. Emph. Valas. sup. n. 1.
ζ In Manuali cap. 17. n 173.
η Vide Scripta ad c. 1. Quæ sint regal.

De celebri quæstione. An petitio hæreditatis sit actio in rem, vel mista. *Ad l. hæreditatis. C. de petit. hæred.* Cap. XXXIV.

1 *Petitio hæreditatis qua præscriptione tollatur.*
2 *Mistum aliquando nominatur per alterutrum simplicium.*
3 *Actio finium regundorum mista est.*
4 *Mistarum actionum ratio, & differentia.*
5 *Denominatio ab eo capitur, quod præcipuum.*

HÆreditatis petitionem, quæ aduersus pro hærede, vel pro possessore possidentes exerceri potest, præscriptione longi temporis non submoueri, nemini incognitum est, cum mistæ personalis actionis ratio hoc respondere compellat. Hęc Dioclet. *in d. l. hæreditatis.* cum enim quæsitum ab eo esset, an petitio hæreditatis tolleretur lógi temporis pręscriptione, hoc est, decem, & viginti annis (quo tempore reales actiones submouentur) vel præscriptione longissimi temporis instar personalium, respondit, longissimo opus esse ob rationem mistæ personalis. Habet itaque petitio hæreditatis rationem, hoc est, naturam, causam, vel insitam qualitatem personalis actionis, quæ mista ei est cum reali; nec video, qua ratione probari illud possit, quod iuniores docent, mistam actionem non ideo esse

quod

quod rationem mistæ habeat, quasi diuersa hæc sint, mistum esse aliquid, aut misti causam in se habere; plus itaque probanda est sententia Glossatoris, [a] cui adhærent & alij [β]

Illud tamen frequentius obtinuit, hęreditatis petitionem pure in rem esse; [γ] nam re vera effectus pene omnes actionis in rem sunt, & in pluribus iuris locis actio in rē dicitur, *vt l. sed & si lege. §. petitio. ff. de petit. hæred. l. sin autem. §. sed & is. ff. de rei vend. l. vt responsū. C. de Trāsact. l. sicut. C. de præscript.* 30. *ann. &c.* Et hæc quidem bene; sed iusta aliqua responsione opus erat, qua conciliaretur Dioclet. *in d. l. hæreditatis.* iusta (inquam) scio enim esse plures, quas nec referre quidem lubet. Nec mihi aliquid suadet communior sententia, potest enim petitio hęreditatis effectus habere realis actionis, quia rea-
2 lis simul est, licet personalis etiam sit. Sed & realis appellari potest, licet mista sit, nam nec nouum in iure esset, mistum aliquod nominari per partes, vel per alterutrum
3 simplicium, ex quibus componitur. *arg. l. serui electione. §. 1. & 2. ff. de leg.* 1. Ita actio finium regundorum purę personalis nomen sortita est. *l. 1. ff. fin. regund.* quæ procul dubio mista est. §. *quædam. Instit. de Act.* & vide
4 *l. 1. §. ad hæc. vers. nemo. C. de ann excep.* Et hæc quidem non improbabiliter; cum simul animaduerterim, discrimen esse inter actiones illas mistas, quæ referuntur *in d. §. quædam.* & petionem hæreditatis, quod illæ primario, & principaliter diriguntur in personam ad effectum diuisionis faciendæ, & ideo possessionem non curant ex parte rei, vt deinceps explicabitur: [δ] ista vero in rem maxime di-

dirigitur, & rei possessorem sequitur. Ideo sicut tres illæ actiones plus admodum personales sunt, quam reales, ob idque personales simpliciter appellari interdum solent. *d. l. 1. ff. fin. regund. d. l. 1. §. ad hæc. vers. nemo.* sic petitio hæreditatis plus multo realis est, quam personalis, & pro-
5 pterea realis sæpe dicitur. *d. §. petitio &c.* decet enim vnũquodq; denominationem ab eo sumere, quod pręcipuũ in ipso est; decet (inquam) mistum æstimari semper ab ea parte, quæ præualet. *vulg l. quæritur. ff. de sta. hom.* Deniq; nihil obstat, ne petitio hæreditatis mista actio sit.

α *In l. sed & si lege. §. petitio. vers. sunt exacta. ff. de petit. hæred.*
β *Castr. n. 3. Alex. in princ. Cuiac. in l. 1. ff. fin. regund. Fachin. controu. lib. 11. cap. 62. & alij passim in d. l. hæreditatis.*
γ *Bar. in d. §. petitio. & in Rub. ff. si cer. pet. in princ. vbi Ias. n. 13. Rip. num. 7. vbi. de comm. Cagnol. num. 61. de magis comm.*
δ *cap. seq.*

An actiones mistæ aduersus non posidentem dentur.

Ad l. communis seruus. §. cum agere. ff. comm. diuid.

Cap. XXXV.

1 *Mista actio ad communium rerum diuisionem datur.*
2 *Tradere est possessionem dare.*
3 *Si socius rem communem pignori dederit, quis teneatur communi diuidundo actione.*
4 *Personales præstationes quæ.*

SI de bonorum diuisione agitur, non dari actionem mistam, nisi aduersus posidentem, sin autem ad personales præstationes conueniendus reus est, posse eũ quoq;

qui

qui non poſsidet, conueniri, docuit Accurſ. a cum alijs quibuſdam. b Sed vtinam bene, vtcumque enim de diuidendo agatur, nec perſonalis aliqua præſtatio ad cauſam vocetur, opus tamen non eſt, poſsidere eum, qui conuenitur, vti verius probatur *l. penul. ff. comm. diuid. l. hæredes §. quantum. l. item Labeo. §. vlt. ff. fam. Erciſc.* c nam iura hęc, vel alia, quæ pro veriori ſententia recenſentur ad perſonales præſtationes coarctare nimis violẽ-
1 tum eſset, cumque miſta actio ad communium rerum diuiſionem detur, quæ non minus commode poteſt per Arbitros fieri, ſi ab extero res poſsidãtur, quam ſi a ſocio, ſequitur, non tanti momenti poſseſsionem eſse, quanti æſtimat Accurſ.

Contrarium tamen huic ſententiæ eſt, quod habetur *d. l. communis ſeruus.* 24. § *cum agere.* vbi Iulian. *Cum agere tecum communi diuidundo vellem, partem tuam Titio tradidiſti mutandi Iudicij cauſa; teneris mihi prætoria actione, quod feciſſes, ne tecum communi diuidundo ageretur.* Si itaque is, qui communi diuidundo actione conueniri poterat, partem ſuam alteri tradat, hoc eſt, poſseſsionem ſuæ
2 partis a ſe abdicet (nam *tradere* eſt poſseſsionem dumtaxat in alium transferre. *l. ex empto. ff. de act. empt.* d) mutatum iudicium intelligitur, mutata (inquam) poſseſsione ceſsat actio communi diuidundo, & ad id, quod intereſt, actio datur.

Rem aggreditur Dec. cum duplici ſolutione; licet autem vera poſterior ſit, locum tamen Zuchardo prębuit, quo eam valide impugnaret.

Animaduerto, quod Iulianus ait, *partem tuam Titio tradidiſti,*

didisti, de vtraque alienatione accipi debere, proprietatis ſcilicet & poſſeſſionis; etenim poſſeſſio proculdubio alienata fuit, vt in confeſſo eſt, dominium vero alienatum ſimul cum poſſeſſione fuiſſe, ex ipſa illa mutatione Iudicij, quæ per alienationem facta proponitur, ſatis ſu-
3 perque arguitur. Idque euidens ea ratione eſt, quia ſi ſocius rem communem cum ſocio habens eam pignori dederit, non tantum communi diuidundo agi contra eum poteſt, qui pignus poſſidet, verum etiam contra ſocium, qui pignus tradidit. *l. ſi quis putans. §. ſi fundus communis. ff. comm. diuid. l. ſi conſenſit. §. vlt. ff. quib. mod. pig. vel hypot. ſol.* Immo quibus caſibus iudicium iſtud datur aduerſus creditorem, qui poſſeſſor eſt pignoris, id certe nõ fit contemplatione poſſeſſionis illius, quæ penes eum eſt, ſed quia ſocio cũ alterius ſocij creditore res videtur quodammodo communis facta, poſtquam ei pignori data eſt, vt monuit Alfanus authoritate Caſtrenſis; ſi itaque penes Iulianum ſola poſſeſſio translata fuiſſet, mutari vtique Iudicium non potuiſſet.
4 Denique, poſtquam deſijt res communis eſſe, tunc actio tollitur communi diuidundo, & ſola vtilis actio remanet ob perſonales præſtationes, ideſt, ob cauſas pendentes ex rebus communibus, quæ & fructus continet, & impenſas. *l. 1. d. l. ſi quis putans. in princ. l. ſed poſtquam. l. in ſumma. ff. comm. diuid.* Vbi itaque actio tollitur communi diuidundo, & Iudicium mutatur, conſequens eſt, deſijſſe etiam rem communem eſſe.

α *In l. penul. ff. comm. diuid.*
β *Ad Rub. ff. ſi cer. pet. Vide Alex. in princ. Mandel. n. 12. & paſſim.*

γ *Quod*

γ *Quod in d. Rub. si cer. pet. tenuere Dec. n. 4. Cagnol. n. 59. Bolognet. n. 30. Alfan. n. 65. aliiq. comm. teste Fachin. contr. lib. 11. cap. 61.*
δ *gl. in §. precium. ver. tradatur. Instit. de Emp. & Vendit.*

De actionibus in rem scriptis communia Scribentium placita, quæ refelluntur. *Ad l. 1. ff. de vi et ui arm. & l. 1. §. vlt. ff. de Interd.* Cap. XXXVI.

1 *Actiones in rem scriptæ personalium numero censentur.*
2 *Quæ tamen aduersus possessores dantur.*
3 *Et cur in rem scriptæ dicantur esse.*
4 *Interdicta omnia personalia sunt.*
5 *Non tamen omnia in rem concepta sunt.*

1 Actiones in rem scriptæ personalium numero censentur. *l. 3. §. est autem personalis. ff. ad exhib.* iunctis traditis ex Corasio. α *l. 1. §. vlt. ff. de interdict. §. præ-*
2 *terea. Instit de Act. iun. l. metum. 3. §. vlt. ff. quod met. cau.* Et licet personales, tamen aduersus posseſsores dantur. *l. noxalis. l. bona fide. ff. de Noxal. §. omnis. Instit. eod. l. 1. §. & cum etiam. ff. si Quadr. paup. fec. dic.* En
3 (inquiunt D.D. comm.) vera ratio, cur in rem scriptæ dicantur, licet enim aduersus eum dentur, qui obligatione aliqua tenetur, tamen aduersus posseſsorem, quasi actiones in rem esſent, intentantur, quo fit, vt in rem scriptæ fuerint nuncupatæ.

Vereor, ne versa vice dicendum magis fuerit, aduersus posſeſsorem propterea dari actiones huiusmodi, quia in rē scriptæ sunt. *d. l. metum. §. vlt.* Puto equidem, si quæ apud Veteres in rem scriptæ dicantur, seu actiones, seu

pa-

pacta, seu Edicta, non id significari, quod docuit communis schola, sed aliud longe diuersum, scriptū etenim in rem dici, de quo sic loquitur lex, vt in rem ipsam verba concipiantur, nulla facta mentione personę. Ita *quod metus causa* actio in rem scripta dicitur. *d. l. metum. §. vlt. l. apud Celsum. §. vlt. ff. de doli. except.* namque in rem verba concepit Prætor, nec personam notauit, aduersus quam actionem daret, *quod metus causa*. Verba Prætoris sunt *in l. 1. ff. quod met. cau. Quod metus causa gestum erit, ratum nō habebo*, Et Vlp. explicatissime *in d. §. vlt. Cum autem hæc actio* (inquit) *in rem sit scripta, nec personam vim facientis coerceat, sed aduersus omnes restitui uelit, quod metus causa factum est, non immerito, &c.* De pacto, quod itidem conceptum in rem sit, deque Edicto vide *l. Iurisgentium. §. pactorum. ff. de Pact. l. 5. §. quod exigimus ff. de constit. pec. l. hæc autem. §. vlt. ff. ex quib. caus. in possess. eat.*

4 Sed obstat grauiter Vlp. *in d. l. 1. circa fin. ff. de Interdict. Interdicta omnia* (inquit) *licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt*. Ergo interdicta omnia, sunt in rem scripta, si Vlpianum audis, & tamen in interdictis Prætor verba aliquando concepit in personam, vt *d. l. 1. ff. de vi, & vi arm.* h. v. *Unde tu illum vi deiecisti, aut familia tua deiecit, deque eo, quod ille tunc habuit, tantūmodo intra annum, post annum vero de eo, quod ad eū, qui vi deiecit, peruenerit, iudicium dabo*. Et Paulus *in l. 7. ff eod.* satis aperte docet, non nisi contra eum agi posse, qui vi deiecit, quapropter, si rem alius possideat, aduersus possessorem agi non posse. Est igitur interdictum

istud

istud in rem ſcriptum, ſicut & reliqua omnia. *d. l. 1. ff. de Interd.* & tamen aduerſus perſonam eo modo conceptũ, vt poſseſsorem nec ſequatur quidẽ. *d. l. 1. et 7. ff. de ui, &c.*
5 Alfanus [y] ſensũ Vlpiani fuiſse docet *in d. l. 1. ff. de interd.* non vt omnia, & ſingula interdicta, ſed vt omnia, & ſingula interdictorum genera, quæ ante retulerat, videl. exhibitoria, prohibitoria, & reſtitutoria in rem concepta eſse videantur. Denique non de ſingulis generum accipiendum eſse exiſtimat, quod Iuriſconſultus docet, ſed de generibus ſingulorum, nam ſatis eſse, vt ratio legis in generibus ſingulorum vera ſit, licet non in ſingulis generum, authore Baldo, [d] aut melius Iuſtiniano ipſo *in* §. 1. *Inſtit. de fideiuſſ.* quod enim ait Imp. in omnibus obligationibus adſumi fideiuſsores poſse, ſeu re contrahantur, ſeu verbis, ſeu literis, ſeu conſenſu, id quidem valere in omnibus obligationum generibus, vt Accurſius ait, ſed non in ſingulis generum, ſæpe enim fieri, vt obligationi accedere fideiuſsor non poſsit.

Ego vero neque id quidem neceſsarium puto eſse, quod author iſte diſtinguit, nam nec dicit Vlp. interdicta omnia concipi in rem, nec dicere potuit, vt monſtratum eſt ex. *d. l. 1. & 7. ff. de Vi, &c.* Senſus itaque Iuriſconſulti eſt, interdicta omnia perſonalia eſse, licet viderentur in rem concepta, omnia (inquam) interdicta, etiam quæ in rem conciperentur, perſonalia eſse. Non igitur interdicta omnia in rem concepta eſſe, ſed omnia vi ipſa perſonalia eſſe, tam quæ in perſonam conciperentur, quam quæ in rem; erat enim Iuriſconſulto propoſitum, vt oſtẽderet, interdicta, quæ in rem conciperentur, non ideo tamen realia dici poſſe.

[a] *lib.*

α Lib. 1. Miſcell. cap. 22.
β Coras. ſup. Hotom. comm. verb. Iur. Donel. in §. omnium Inſtit. de Action. Vigl. Alſan. alijque iuniores ad Rub. ff. ſi cer. petat.
γ Sup.
δ In l. non dubium. n. 7. C. de ll.

De Triticiariæ condictionis re, & nomine. *Ad l. 1. ff. de Condict. Tritic.* Cap. XXXVII.

1 *Condictio triticiaria, certi, et ſi certum petatur, quib⁹ differãt.*
2 *Triticiaria actio arbitraria eſt.*
3 *Pecunia non æſtimatur, ſed æſtimat.*
4 *Triticiariæ condictionis nomen vnde.*
5 *De infortiati nomenclatione.*
6 *Triticum quid.*
7 *Triticiariæ condictionis quæ olim formula.*

NIhil prope eſt, quod vltra Commentatores de hac re afferre poſſimus, ſed longe plura, quæ colligere potuerimus, vt explicatior res fieret. Vlp. *in d. l. 1. Qui* (inquit) *certam pecuniam numeratam petit, illa actione vtitur* (*ſi certum petetur*) *qui autem alias res, per triticiariam condictionem petet.* Vnum ſunt certi condictio, & (ſi certũ
1 petetur) actio. Differunt vero a triticiaria, licet ipſa quoque deſcendat ab eadem cauſa, quod triticiaria condictione petuntur res omnes, ſeu certæ, ſeu incertæ, vna excepta pecunia numerata; condictione vero certi, quæ & actio dicitur, *ſi certum petatur*, res omnes certæ petuntur, & pecunia etiam numerata, res vero incertæ, reſque etiam incorporales hac actione non petuntur. Ratio diſcriminis; nam certi condictio ſtricta quædam actio eſt,

quæ

2 quæ ſcripturæ ſeruit conuentionis, & petitioni actoris, nullumque Iudici arbitrium præbet, triticiaria vero actio arbitraria eſt, nam æſtimat Iudex rem, quæ petitur, arbitratu ſuo, habita ratione loci, temporis, &c. Denique datur Triticiaria hæc eius rei, quæ petitur, æſtimandæ cauſa, propterea que ad res omnes datur vna excepta pe-
3 cunia numerata, nam res omnes æſtimationem recipiũt præter pecuniam, quæ non æſtimatur, neque æſtimatione eget, ſed res omnes ipſa æſtimat, vt notiſſimum eſt. Hæc Bar. [a] Cuiac. [ß] & alij omnes.
4 Vnde autem hoc nomine appelletur, hud facile conijcias.

Gloſator [γ] a Triticio Prætore nomen trahit inſtar publicianæ actionis a Publicio. §. *ſed quia ſane. Inſtitut. de Act.* Bartolus [δ] riſum mouet, cum nuncupatam ſuſpicatur a Triticio, qui frater eſſet Ordinis Minorum, nec propterea agere ad nummos poſſet. Et quia non erant eo ſæculo fratres Minores, æſtimat fuiſſe Philoſophos, qui inſtar Minorum pecuniam tractare non permitterentur. Solent ſæpe noſtri circa rerum nomina inſanire, quod & in nominibus accidit digeſtorum, ſeu Pandectarum, &
5 potiſſimum *Infortiati*, quaſi non barbara vox iſta ſit, & nullius ſenſus ab indocto aliquo literatore primum facta, quem deinde alij æque indociles ſecuti ſint. [ε]
6 Bene eſt, vt peritorum ſentẽtias ſcrutemur, cum Viglio. [ζ] Suſpicabatur Alciat. a *tritico* dictam eſſe, cum enim triticum id omne ſit, quod ſpica tegitur, propterea actio Triticiaria ad petendas quaſque frumenti ſpecies apta eſt. Sed perperam (ait Vigl.) non enim tantum pro frumen-

ti speciebus competit actio ista, sed & pro alijs rebus, vtp. fundo, equo, &c.

Zasius historiam memorat ex Valer.[a] de Mida, cui cum adhuc puero, & dormienti formicæ grana tritici in os congessissent, prædixerunt Augures fore illum omnium Regum ditissimum. En (inquit Zas.) appellatione tritici omnes species veniunt, & diuitiæ, pro quibus triticiaria actio datur. Ridet Vigl. non enim sequitur, appellatione tritici venire cunctas opes ex hoc solum, quod ita Augures diuinarint. At & illud obstat, nam si cunctæ eo nomine continentur opes, excludi non debuit pecunia numerata.

Æstimat Vigl. dictam esse actionem Triticiariam a primis verbis Edicti Pretorij, quæ sic forte concepta erant. *Triticum, vinum, frumentum, &c. si petatur, Iudicium dabo, condictionem dabo.* Quod & credi solet de verbis illis. *Si certum petatur.*

Sed verisimillime Cuiac.[b] respondet ex Stephano Græco Interprete, condictionis Triticiariæ nomenclationem fuisse a casu, cum enim olim, quo tempore iudicia ordi-
7 naria erant in vsu, solerent Litigatoribus dari certæ formulæ solemnes, erat & condictioni triticiariæ sua formula constituta, in qua de tritico mentio erat, forte ob eam causam, quod qui primus hac actione egit, de tritico contendebat, vt æstimaretur, aut daretur, & super tritico prima formula composita fuit, quæ semper deinceps eo modo stetit, vt in alijs plerisque exemplis. Vide Cuiac.

[a] d. l. 1. ff. de cond. tritic. num. 3.

b In

β *In paratit. eod. tit.*
γ *d. Rub. de Condict. Trit.*
δ *d. l. 1.*
ε *In Rub. ff. de oper. no. nunc. Alciat. 4. parerg. cap. 25. & 3. Parad. cap. 13.*
ζ *Rub. ff. si cer. pet. n. 23.*
η *lib. 1. cap. 4.*
θ *sup. in Paratit.*

An bene dixerit Alex. 3. spirituale negocium per oblationem Clerici inchoatum videri. *Ad cap. quod autem. de Iure patr.* Cap. XXXVIII.

1 *Ius patronatus adnexum dicitur spirituali rei. 4.*
2 *Inchoare quid in patrono præsentante.*
3 *Et qua ratione spiritualis inchoatio illa sit.*

ANtequam præsentatio per diœcesanum Episcopum approbetur (ait Alex. *in d. cap. quod autem*) *ratum non est, quod a Patrono fuerat inchoatum*. Enimuero, si ius quod exercere incipit patronus, initium est, vel inchoatio spiritualis negocij, ipsum quoque oportet spirituale esse,
1 simpliciter, & non spirituali rei adnexum contra id quod legitur *in cap. de Iure. de Iure patr. cap. quanto. de Iudic.*
2 Dixi de hac re alibi.ₐ Nunc aduerto diligentius, nihil aliud esse inchoationem patroni, quam pręparationem quandam, nam neque aliud patronus facit, quam, vt personam præparet Episcopo, in quam deinceps Episcopus ius conferat spirituale per institutionem, qui autem personam, & quasi materiam præparat, is nihil confert spirituale, quod nec conferre quidem Patronus potest,

quia laicus, & incapax.

At (inquies) ſimpliciter materiam præparare, non eſt ſpirituale negocium inchoare.

3 Reſp. patronum, qui Clericum obtulit Epiſcopo, vt inſtitueretur, non materiam pure, & ſimpliciter applicaſse videri, ſed ſua oblatione, ſeu præſentatione egiſse, vt materia illa efficeretur proxime capax inſtitutionis ad beneficium; vnde etiam euenit, vt, ſi idonea perſona ſit, inſtitui neceſſario debeat, ſique inſtitutio abſque præuia preſentatione fiat, nullitati ſubiaceat. *cap. ſuggeſtum. c. illud. de Iure patr.* At proxima iſta moralis capacitas cum ordinetur ad ſpiritualem formam inſtitutionis, quæ induci in materiam debet, ipſa quoque ſpiritualis dici poteſt, quo ſenſu negocium inchoat ſpirituale, *vt d. cap. quod autem.* Quia vero proprie nullum ius ſpirituale confert præſentato, propterea laico patrono conceditur ex gratia, vt ſic inuitetur ad fundandas, conſtruendas, vel dotandas Eccleſias.

4 Statues, ius patronatus nec mere temporale quid eſſe α, nec mere ſpirituale, ſed adnexum, vt loquuntur, antecedenter. *d. cap. de Iure. d. cap. quanto.* cum d. Thoma. β

α *Sac. Iu. contr. cap. 3. diſsert. 9. num. 21.*
β *2. 2. q. 100. art. 4. in corp. Et vide, quæ ego d. cap. 3.*

De miſtura Iudicij criminalis, & Ciuilis animaduerſa quędam *in cap. per tuas. 32. de Simon. & c. tuæ fraternitati. de Procur.* Cap. XXXIX.

1 *Separatio Thori quale iudicium faciat.*

2 *An detur Iudicium vere mistum e criminali, & ciuili.*
3 *Denominatio ab eo capitur, quod præualet.*

EXercebatur iudicium aduersus Abbatem quendam Simoniacum, quando sic magistraliter enuntiauit Innoc. 3, Pont. *in d. c. per tuas. de Simon. Cum ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine, sed ciuiliter, vt ab administratione amoueretur tanquam immeritus, & damnosus.* Constat, si amoueatur Prælatus a sua administratione, nec fisco pœnam, nec parti exsolui, quapropter, si criminale iudicium non est, nec Ciuile quidem esse. Plura respondentur, vt alibi monui; sed illud receptius, amotionis pœnam parti, hoc est, Monasterio dari debuisse, actum enim fuisse inibi, vt solummodo ab administratione pro vtilitate Monasterij priuatim publica Prælatus amoueretur, perindeque quasi agentibus Monachis luendam pœnam fuisse.

Mirabar, cur disimulasset Innoc. iudicium istud amo-
1 tionis mistum esse, sicuti idem Pontifex in consimili causa separationis, & quasi amotionis a thoro credere potuerat. Vide *d. cap. tuæ. de procur.* in quo ad hæc vsque tempora Commentatores insudarunt. Agit Innoc. de viro arguente vxorem adulteram, monetque, si legitima adulterij pœna infligi debeat, criminale Iudicium intentatũ videri; sin actum fuerit, vt a mulieris cohabitatione discedere liceat, accusationem tunc, licet de crimine sit, criminalem tamen non esse, sed mistam. Misturæ causam eam volunt esse, quia partim fisco, & vindictæ publicæ pœna datur; etenim separatio Thori est accusatæ

adulteræ mera pœna, in eodem quippe coniugio permanendum ei est, nec nubere iterato potest. *cap. 2. de diuort.* suo itaque coniugio spoliata luget, qui publicę disciplinę vigor est. Agenti etiam marito ex parte solui non dubitatur, quippe qui dum ab vxore lęsus agit ad separationē thori, propriam vtilitatem priuatim quoque intendit, ne scilicet cū adultera muliere cohabitare eiq; debitum carnis reddere compellatur. *cap. significasti de diuort.* Atqui hęc ipsa misturę causa videtur in amotione illa esse, quę ab officio est, nam vindictæ aliquid tribuitur, dum a (quod ait Pont.) non tantum eijcitur, *quia damnosus*, & sic Monasterio consulitur, verum etiam *quia immeritus.* Denique ipsa ex suo genere amotio aliquid habet publicę vltionis.

2 Dubitaui sępius, an daretur Iudicium vere mistum e cri-
3 minali, & ciuili; vere (inquam) nam denominationē capere ab eo deberet, quod pręualet. *arg. l. quæritur. ff de sta. hom.* Animaduerti vero non mistam dici accusatiotionem penes Innoc. *in d. cap. tuæ.* sed quasi mistam, cum enim in ea præualeat id, quod priuatim interest accusatoris, ciuile vtique Iudicium plus facit, quam criminale, quod not. Amotio itaque ab administratione ipsa quoque Iudicium facit quasi mistum; quasi (inquam) nam ciuile ipsum quoque est ab eo, quod præualet, præualet autem ratio priuatę vtilitatis; Sed quia minus aliquid fisco tribuit, quam separatio thori, propterea non quasi mista, sed pure Ciuilis dicitur persecutio eius esse.

a *Sac. Iur. contr. dissert. 3. cap. 10.*

De

De tacita reconductione quædam, & explicatus Vlp. *in l. item quæritur. §. qui impleto. ff. loca.* Cap. XL.

1 *Exacto tempore qui in conductione remanet dicitur ex integro conducere.*
2 *Et numquid pignora remaneant obligata, aut quæ.*
3 *Permansisse videtur, quod statim renouatur.*
4 *Refirmatus in officio post finem officij nouum officium assecutus dicitur.*

1 AIt Vlp. *Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed etiam pignora videntur durare obligata. Sed hoc ita verum est, si non alius pro eo in priore conductione res obligauerat, huius enim nouus consensus erit necessarius, &c.*

2 Dubitaueram, cum sit noua conductio, quo pacto pignora durarent obligata. Nouam esse conductionem indubitata res est, alioqui in extraneo pignore nouus consensus necessarius non esset. Quin & idem Vlp. *in vers. quod autem. Ita accipiendum est* (inquit) *vt in ipso anno, quo tacuerunt, videantur eandem locationem renouasse.* Et rursus *l. seq. Intelligitur enim dominus, &c. ex integro locare.* Neque id aliter esse potest, cum tempus locationis proponatur exactum. *arg. l. 5. ff. de precar.* vbi in puncto locationis Gothifr. Cur itaque pignora durent obligata, si nouus contractus est?

Palam est, Iurisconsultum eo modo vsum esse verbo *durandi*, quo & *permanendi*. Nam sic loquitur. *d. vers. Quod autem. Sed & si secundo quoque anno post finitum lustrum*

nihil fuerit contrarium actum, eandem videri locationem illo anno permansisse. At quomodo permansisse dicitur, si
3 renouatur? Resp. hoc ipso permansisse videri, quia statim renouata est. Sic itaque etiam pignora durare videtur obligata, quia renouato contractu illico renouatur ius pignoris, & (quod ait Gothifr. *in d. §. qui impleto*) renouatur locatio pro eodem precio, salario, cum omnibus pactis, modis, & clausulis, quæ erant in prima.

Hæc omnia, quæ dico, videntur quasi ex instituto explicasse duo Impp. *in l. legem. C. loca. h. v. Sin autem tempus, in quo locatus fundus fuerat, sit exactum, & in eadem locatione conductor permanserit, tacito consensu eandem locationem vna cum vinculo pignoris renouare videtur*. Ergo simul & permanere conductor dicitur, & locationem vna cum pignore renouare, quia videl. stare videtur, quod extinctum subito reuiuiscit.

4 Hinc peregregie consuluit Corn. [a] refirmatum in officio post exitum officij nouum officium consequutum videri, quod me postulante in causa Equitis Politiani fratris nuper iudicarunt viri sapientissimi, atque integerrimi; [b] cũ tota se effudisset inuidia, cum pene obniti Infernus videretur.

[a] *cons. 92. num. 14.*

[b] *Anton. Paganel. Auditor. Franciscus Stephanus, Ioannes Michael Pierucius Pisani studij inclyti Professores.*

Possessor an, vel quando de possessionis suæ titulo respondere iubeatur. *Ad l. cogi. C. de petit. hæred.* Cap. XLI.

1 *Interrogari cur non possit reus, quo titulo possideat.*

2 *Actio-*

2 *Actoris munus est probare.*
3 *Petitio hæreditatis non datur contra possidentem titulo.*
4 *Possessor interdum de suo titulo docere iubetur.*

LIcet de titulo suæ possessionis interrogari possessor nequeat, quando agendum rei vendicatione est; attamē si non rei vendicatione agitur, sed petitione hæreditatis, constat interrogari posse eum, pro hærede ne, an pro possessore possideat, vt est *in d. l. cogi.*
1 Interrogari itaque reus non potest, quo titulo possideat. Cur? Æstimant, quia interrogatus respondere cogitur, si intersit interrogantis, ne male agat, damnumque incurrat. *l.* 1. *vers. est autem. ff. de interrog. act.* Cæterum com-
2 pellendus non est, nam actori incumbit, quæ suæ intentionis sunt, proponere, & probare. *l. in speciali. ff. de rei vendicat.*
Hæc si vera sunt, vtique, qui conuenitur petitione hæreditatis, dare titulum debet suæ possessionis, videl. an eo modo possideat, vt teneatur actione eiusmodi. Quod
3 ita intellige. Petitio hæreditatis non datur contra possidentem titulo, sed in eum, qui pro hærede possidet, aut pro possessore. *l. hæreditatis. C. de petit. hæred.* Ne igitur male agat qui petitione vtitur hæreditatis, si forte cum titulo reus possideret, propterea interrogare reum potest, quo titulo possideat, *vt d. l. cogi.* in qua tamen subobscure loquuntur Diui Principes, quasi vero interrogari reus debeat, vtro possideat modo, pro hærede scilicet, an pro possessore, quod inciuile esset, & propterea late disputāt de interrogandi modo Gl. Bar. Bal. Castr. & alij.

Æsti-

Æstimo, interrogari reum posse, quo titulo possideat, vt eius constitutionis partes sibi inuicem cohæreant, vel, vt exceptio sit de regula; sic enim loquuntur Impp. *Cogi possessorẽ ab eo, qui expetit, titulum suæ possessionis dicere inciuile est*; adhuc regula; sequitur nunc exceptio; *præter eum scilicet, qui dicere cogitur, vtrum pro possessore, aut pro hærede possideat*. Hoc est, præter eum, qui eo modo titulum proferre suum debet, vt agnoscatur, an pro hærede, an pro possessore possideat, vt sic agi in eum possit petitione hæreditatis. Nam *dicere* eo loci non est interrogatis respondere, cum neque interrogari reus per ea verba posit, sed est rem eo modo, quo se habet, exprimere, ac proferre, vt apud Plaut. [α] & Terent. [β] Satis vero exprimit se pro herede, aut pro possessore tenere, & possidere is, qui de speciali titulo docere non potest, quo possidet.

4 Nec valde nouum in Iure est, possessorem de suo titulo docere oportere, vtp. ad purgandum se. *l. ciuile est. C. de furt.* vel de Iure Pontificio, ne videantur, quæ spiritualia sunt, absque titulo possideri. *cap. ordinarij. de off. ordin. in 6. Et si quæ alia.*

α *Merc. 7.*
β *And. 5.3.*

An præsumatur inimicus, qui me criminis reum fecit. *Ad cum P. cap. meminimus. de Accusat.* Cap. XLII.

1 *Qua mente ad accusandum venisse credatur quis.*
2 *Et relinquitur arbitrio Iudicis.*
3 *Qui testimonium dixit in causa criminis, quando suspectus.*

Af-

AFfirmant comm. ſcribentes, [a] dum hoc ipſo fundamento conſtituũt, eum, qui mihi aduerſatus fuerit, aut aduerſetur in cauſa criminis, repelli a me poſse, ne in alia cauſa Iudex ſit. [b]

Sed nondum intelligo, cur is, qui de crimine accuſat,
1 plus ex inimicitia agere credendus ſit, quam pietate erga Principem, erga Patriam, vel publica aliqua neceſſitate, aut cauſa, cui maxime conſultum velit. Pone hominem, qui tutorem pupillo datum Magiſtratui ſuſpectum fecerit, hunc potius credam propenſa in pupillum pietate, motum accuſaſſe, quã maleuolo in tutorem animo, &c. Sic itaque ſtatuo Qui dicit, eo ipſo, quo accuſet aliquẽ quis, videri inimicum, male dicit, & qui dicit abſolute poſſe eum quaſi ſuſpectum remoueri, redarguendus quo-
2 que eſt; puto autem audiendos eos eſſe, qui mandatum hoc velint religioni iudicantis, vt ipſe æſtimet, quæ cauſa fuerit accuſandi, & numquid inimico animo actum videri poſſit, an etiam capitale certamen fuerit. *l. 6. ff. de excus.* aut ſaltem eo modo, qui ſuſpicionem facere poſſet. Nec contradicit Alex. Pont. *in d. cap. cum P.* Nam neque id exprimit, quod volunt, videl. eum, qui teſtimonium dixerit in cauſa criminis, præſumi inimicum, ſed dum-
3 taxat fieri ſuſpectum. Quin neque ob id ſolum reijcit eum pontifex, ne accuſare poſſit quaſi ſuſpectus, ſed ex alijs, quæ ſimul iuncta ſuſpicionem augebant, vtp. ex reciproca accuſatione, & conſpiratione duorum fratrum, qui inſtanti viciſsitudine (ait Pont.) vnus poſt alium accuſabant.

Sed neque vrget idem Pont. *in cap. meminimus.* ſi ſpeciem de-

depinxero illius capitis. Fuit Monialis in Abbatissimam electa, & cum orta de electione quęstio esset, electionem Papa confirmauit, mandauitque Episcopo, vt benedictionis munus electæ conferret. Id cum exequi Episcopus vellet, is, qui contra Abbatissam testis antea fuerat, obiecit de Simonia, appellauitque Pontificem, qua recepta appellatione distulit Episcopus mandatum exequi benedictionis, cui ideo sic rescriptum a Pontifice fuit. *Quia vero te non decet in hac parte appellationi eiusdem. H. deferre, cum idem illius manifestus fuerit inimicus, & contra eam testimonium tulerit, mandamus, quatenus, cum inde fueris requisitus, præfatæ Abbatissæ munus benedictionis non desinas impertiri.* Hic certe (inquiunt) qui crimen obiecerat Simoniæ, non simul potuerat esse aduersarius, & testis; ergo testis dumtaxat, & quia testis, propterea inimicus. Quanto magis, si accusasset?

Sed perperam, nam qui testis aduersus aliquem est in causa criminis, is, si forte leuiter suspectus, inimicus certe neque est, neque esse creditur, & tamen eo loci inimicus dicitur *manifestus,* ergo aliunde, quam ex testimonio lato. Nam & duo ista quasi diuersa legimus in Alexandro, videl. vt manifestus fuisset inimicus, vtque contra mulierem testimonium tulisset suum. Ergo manifesta inimicitia aliunde effluxerat: Et forte eo modo testificatus iste fuerat, vt se inimicum præberet, & ideo (vt loquuntur) repulsatus, quare nec obesse potuit Abbatissę. Et, quicquid sit, satis probatum æstimo, probatissimam omnium sententiam absque legitima aliqua probatione remãsisse.

a *Ad cap.* 1. *de Iudic.*

b *Ab-*

a *Abb. d. c.* 1. *n.* 2. *Aret. n.* 2. *vbi de comm. de qua etiam Dec. n.* 5. *Mant. n.* 14. *Bosch. n.* 34. *Rip. n.* 15.

Eum, qui mecum in pecuniaria causa contendit, non vtiq; præsumi inimicum, & reprehensa sequela illa recepta communius. *Aduersarius, ergo inimicus. Ad cap. item cum quis. de restit. spoliat.* Cap. XLIII.

1 *Lis quando inimicitiam facere præsumitur.*
2 *Inimici nomen explicatum.*
3 *Calumniator in Iure quis.* 5.
4 *Calumnia, & calumniatores.*
6 *Calumniator, ergo inimicus.*

ET si casus sunt de iure excepti, quibus inimicitiam lis facere præsumitur, vtp. si de omnibus bonis, maiori ve
1 eorum parte, aut etiam de statu controuersia sit. *l propter litem. ff. de excus. tut. §. item propter litem. §. item is, qui status. Instit. eod. cap. si Episcopus.* 3. *q.* 2. *cap.* 4. *vt lite non contest.* adeoque constitui debuerit in contrarium regula; præualuit tamen commune assertum. *Aduersarius, ergo inimicus.* quo nititur recepta illa sententia penes Canonistas, *a* eum, qui mecum nunc litigat, recusari a me posse, ne in alia causa Iudex sit.

Vereor, ne solidi aliquid in præsumpta hac inimicitia sit; & (quod video) præsumptionis author, aut solus, aut precipuus affertur Alex. 3. Pont. *in d. cap. item cum quis. de restit. spol.* Titius vi occupat, aut clam ingreditur possessionem Seij, & dum spoliatus agere ad restitutionẽ vult, ei spoliator crimen obijcit. Quæsitum, an obiectio cri-

mi-

minis remorari restitutionem possit, & responsum, non posse, addita ratione. *Quoniam criminaliter aduersus eum ante restitutionem agere non potest, cum præsumatur eius existere inimicus.* Erat (inquiunt) causa ciuilis, negocium ciuile, nam ciuiliter agebatur remedio restitutionis, & tamen inter collitigantes contracta inimicitia creditur. Ergo, &c.

Sed non satis bene. Scio equidem, quæ fuerit nouiorũ responsio ex Abb.[β] putarũt enim causam aliquam fuisse inimicitiæ, videlicet, occupationẽ, rei alienæ per vim, nec satis aduerterunt, clandestinum quoque possessorem inimicum censeri.

2 Ego libentius responderim, *inimici* nomen penes Alexã-
3 drum pro ratione propositæ causæ accipi oportere. Calumniator in Iure dicitur, qui falsa crimina intendit. *l. 1. ff. de Calumn.* qui (inquam) falsum crimen bonis obiectat.[γ] Non itaque procul ab inimico est, nam & qui infamat pro inimico habetur, & calumnia nihil
4 aliud Nonio fuit, quam malitiosa, & mendax infamatio, prope etiam herente Romano Pontifice *in cap. vlt. in fi. de Calumn.* ibi *ad infamiam, &c.* Fauet Dauidi cum illud,[δ] quo calumniatores inimico humani generis Sathanæ pares fiunt, cum & Cleanthes[ε] nihil tam malignum esse repetat, quam calumniam, & Demosth.[ζ] calumniatores crudeles appellet, ipsosque velut viperinam naturam puniendos moneat.

Igitur *in d. cap. item cum quis.* inimicus præsumitur esse is, qui cum bona occupasset, postea, ne contra eum ageretur, crimen obiecit. Miraris, inimicum præsumi, si

in

in præſumpta calumnia eſt? An forte qui bona per iniuriam occupauit, ſeu vi egerit, ſeu clam, deſiſtet ſpoliati
5 famam perſequi, ſi profuturum ſibi credat crimen intendere, quo Iudicium effugiat? Denique, ſi calumniator præſumitur is, qui Iudicium fruſtratur, aut qui tergiuerſatione aliqua, ſolertia ve efficit, ne cum ipſo agi poſſit. *l. ſed & ad eos. ff. ex quib. caus maior. l. ſi caluitur. ff. de verb. ſig.* quanto magis qui vim intulit, qui (inquam) malo more rem, quæ non ſua erat, occupauit, & deinceps reus factus crimen oppoſuit?

6 Sequela itaque tua erit; *Calumniator, ergo inimicus*; & non illa, quæ practicis probata eſt; *Litigator ergo inimicus.*

α *Ad cap. 1. de Iudic.*
β *Ibid. num. 2.*
γ *Tull. in Salluſt. & pro Roſc.*
δ
ε *Pſal. 71.*
Stob. ſer. 40.
ζ *Orat. 1. contra Ariſtog.*

Pendente cauſa criminis an accuſator recipi ad teſtimoniũ debeat in noua cauſa, & lumen additum Iuſtiniano in §. *ſi vero quis dicat. Auth. de Teſtib.* Cap. XLIV.

1 *Accuſator non præſumitur inimicus.*
2 *Vel hoc relinquitur æſtimationi iudicantis.*
3 *Infeſtus quaſi infeſtatus.*
4 *Dictio, vero, aduerſatiua.*
5 *Reus criminis præſumitur accuſatori ſuo infeſtus.*

DE hac re Commentatores late α Negabamus ſup. β accuſatorem præſumi inimicum, adeoque reijciendũ

1 videri, ne in alia causa Iudex sit. Nunc haud satis intel-
2 ligemus, cur in noua causa repellendum testimonium eius sit. Bene vtique est, æstimaturum de vtraque re fore Iudicem, vt dicebam r.

Sed obstat grauiter Iustin. *in §. si vero quis dicat. Auth. de Testib.* & quidem totum quæstionis pondus in hac Iuris constitutione est. *Si vero quis dicat* (ait Imp.) *odiosũ præsentem ad testimonium sibi constitutum, & approbauerit statim, quoniam criminalis inter eos lis mouetur, non adsit ad testimonium, qui vsque adeo infestus est, donec de crimine iudicetur.*

Nullibi sic cauillati videntur Interpretes. Mihi olim placuere, qui Principis verba cautius expendentes, æstimarunt, accusatorem eo loci non eum fuisse, qui testimonium ferre deberet, sed eum, aduersus quem dicendum testimonium esset. Erat itaque eis illius Auth. casus hic. Sciebam, Titium aduersus me proferendum in testem esse; Ego itaque, ne proferretur, accusaui eum criminis, dictumque fuit, egisse me in fraudem, vt testimonium euitarem. Consultus Imp. respondit, quærendum primo esse de veritate accusationis, sique probetur crimen eiusmodi, vt abroget testi fidem, repellendum eum esse, sin autem, admitti testem debere. Non itaque probare poterat Iustinianæus ille locus, eum qui accussasset, præsumi inimicum, sed eum potius, qui fuisset accusatus; nec probabat rursus, accusatum criminis fieri inimicum Accusatori, sed odiosum, & infestum; nec quidem acti-
3 ue infestum, quasi qui malum intulisset, sed passiue, quasi qui recepisset; infestum denique, hoc est, infestatũ, vt

ita

ita loquar. Ita Liuius aliquando. *Breuique adeo infeſtum omnem Romanum agrum reddidit, &c.*

Porro hoc ſenſu locutum fuiſſe Imperatorem, ea, quæ ſequuntur, verba manifeſtius ſuadere videbantur. *Si vero* (inquit) *aliter odioſus eſſe dicatur:* is ſcilicet, qui teſtimonium prębiturus eſt; *aut conuentus pecuniarie, procedat quidem teſtatio, tempore vero diſputationum ſeruentur huiuſmodi quæſtiones.* Nota ibi *conuentus*. Non itaque Actor, ſed reus. Ergo etiam in anteriori capite diſtinctionis, non
4 accuſans, ſed accuſatus, tritum enim eſt, dictionem illã *vero* in eiſdem terminis, vt loqui ſolent, aduerſari debere.

Nunc dubito, ſatis, ne vera hæc ſint; Nam verba illa. *Et approbauerit ſtatim, quoniam criminalis inter eos lis mouetur;* non ei apte conueniunt, qui vt teſtem euitaret, tũc primo crimen obiecit, ſed ei, qui criminalem contentionem iam ante cum eo habuerat, qui educi in teſtimonium debuit. Fateor tamen, eum, qui veluti odioſus depellitur, atque infeſtus, non accuſatorem ibi eſſe, ſed reum. Hanc itaque Iuſtiniani ſententiam mihi facio. Si educatur in me teſtis, quem nuper criminis accuſauerim, & pendeat criminale certamen, ſi ſtatim approbo, criminalem litem inter nos moueri, excipioque in eum quaſi odioſum, atque infeſtum, recipiendum teſtimonium eius non eſt. Quod ſi pecuniariæ cauſæ reum fecerim, & in me teſtis educatur, non vtique repelletur, ne teſtimonium dicat, ſed tempore diſputationum ſeruabitur quęſtio huiuſmodi.

5 Cum ergo Imperatoria definitio non de Accuſatore ſit,

ſed prorſus de reo criminis, qui præſumi accuſatori ſuo poſſit odioſus, & infeſtus, propterea nihil agit Iuſtiniani authoritas. Et notabis, non inimicum præſumi eum, qui accuſatur, ſed leniori vocabulo odioſum, atque infeſtum. Cæterum mirari non debes, plus de infeſto animo accuſati, quam accuſatoris pręſumi poſse, ſi, quę nuper diximus, vel mediocriter attendas.

α *Ad c. 1. de Iudic. ubi Abb. n. 3. Aret. n. 6. Alciat. n. 5. & de præſumpt. reg. 2. præſ. 11. Dec. n. 6. Rip. n. 17. Ber. n. 37. Boſc. n. 40. Mant. n. 15.*
β *cap. 42.*
γ *Ibid.*
δ *gl. recepta in §. item lapilli. Inſtit. de rer. diuis.*

Excommunicatum ipſo Iure priuari beneficiorum ſuorum fructibus, & prouentibus. *Ad c. paſtoralis. §. verum. de Appell.* Cap. XLV.

1 *Relegatus an bone cum excommunicato conferatur.*
2 *Verbi* ſubtraho *quæ poteſtas.*

EXplodendus itaque Gloſator[a] erit, qui nó ipſo iure auferri fructus voluit, ſed Judice intercedente, allegans, idem Iuris in relegato eſse. *l. deportatorum. C. de Poenis.*
1 Enimuero, vt ſuſpectæ æquiparationes iſtę ſunt, ita nihil non ſuſpectum habere ſententia Gloſatoris potuit, quam alijs quoque argumentis comprobaſse ſe putant Canonũ interpretes, ſed inutiliter, cum reſiſtat Innoc. *in d. §. verũ.* & quidem, ni fallor, ſatis aperte. Fuerat coram Pontifice dubitatum, an excommunicatus, qui appellaſset, poſset per eum Iudicem, qui appellationi detuliſset, citra vitium attentati denunciari excómunicatus cũ ſubtractione fructuum

ctuum, seu prouentuũ. Et responsum in hęc verba. *Nos itaq; respondemus, quod cum executionem excõmunicatio secũ trahat, & excommunicatus per denunciationem amplius nõ ligetur, ipsum excõmunicatum denunciare potes, vt ab alijs euitetur; & illi prouentus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ cõio denegatur.* Habuit proposita dubitatio duo. Alterum, an interposita appellatione post latam excommunicationis sententiam liceret excõmunicatũ denunciare. Alterum, an eidem beneficiorum fructus subtrahendi viderentur Vtriq; vero cum affirmatione respõsum. Sic itaq; argumentari fas est. Denunciatio nouam aliquã pœnam non irrogat excõmunicato, quam proinde exequi potest Iudex, licet fuerit prouocatum; Ergo sub tractio quoq; fructuũ nihil nouũ irrogare videbitur, sed executio erit, actus, & sequela promulgatæ sententiæ. Sin ad verba ipsa pontificij Oraculi vertatur oratio, idem protinus dicendum videbitur. Ait Pont *Quod cum executionem excõmunicatio secum trahat*. Colliges, eum esse effectum cuilibet excõmunicationi cõem, vt citra opem sẽtentię executionem secum habeat priuationis. Enimuero, si id ageret excõmunicatio, vt excommunicatum priuatione dignum faceret, nec re ipsa priuaret eundem, interposita appellatione priuatio quoq; fructum staret in pendenti, donec de causa appellationis cognitum esset; at id negat Pont qui ex sola excõmunicatione contingere priuationem statuit.

2 Hinc satis idonee vtitur verbo *subtrahuntur*, quod actum præsefert legis imperantis; constatque id satis ex vltimis verbis. *Cui Ecclesiæ communio denegatur.* Sicut

enim priuatio communionis ex vi solius Censuræ contrahitur sine ope Iudicis, ita & priuatio fructuum. Atque ita communius creditum teste Couarr. β

α *d. §. verum. uer. subtrahuntur.*
β *Variar. lib. 3. c. 13. n. 8. vers. duodecimo. &c.*

Excommunicatum teneri in foro animæ, vt nulla præuia declaratione Iudicis beneficiorum suorum fructus dimittat. *Ad c. cum secundum leges. de hæret. in 6.*

Cap. XLVI.

1 *Hæreticus bona non dimittit sine facto, & iussione Iudicis.*
2 *Et cur.*
3 *Clericus tamen a se ipso fructus dimittit, si excommunicatur.*
4 *Et quæ ratio discriminis.*

Licet excommunicato Clerico subtrahantur *eo ipso* fructus, ac prouentus beneficiorum, vt ante diximus, adeoque dimittere a se ipso debeat, quod suum non est;
1 quæstionem tamen faciebat Hæreticus, qui semetipsum spoliare non obligatur, licet bonis ad fiscum deuolutis,
2 & quidem *ipso iure. d. c. cum secundum leges*. Nam mehercule, vt se ipsum priuet, atque expoliet quis, credi poterat quid moraliter impossibile, & contra naturam, adeoque supra captum humanæ legis, vt dixi *in prælect.* α
3 At nihil proponitur, quod excusare Clericum possit, cũ nihil ei simile habeat hæretici causa, vel conditio. Hæreticus bona amittit, quorũ dominiũ, possessionemq; ipse habet; ergo & retentionẽ habere debet; esset. n. prædura lex, & moraliter impossibilis, quę eũ cogeret, vt se substãtijs suis omnibus viduaret, nam & supplicium maximum

in iure habetur, vt viuat quis, & perpetua egestate sordescat. *l. quisquis. C. ad l. Iul. Maiest.* Non ita Clericus excommunicatus, nam non in fructibus ius habet, sed ad fructus, vti procurator sui ipsius; habet (inquam) ius quasi mãdato Ecclesię, donec ab Ecclesia nõ disiungitur; vbi itaque per excommunicationem præscinditur, illico mandatum reuocari intelligitur, cum insitam hanc conditionem habeat.

Clerici quale ius sit in beneficijs, eorumque fructibus, & prouentibus, alibi doceo.[β]

[α] *ad c. 1. de Constit. quæst. 2.*

[β] *Sac. Iur. contr. dissert. 5. c. 12. & 13.*

De nuptijs a lege prohibitis antinomiæ quædam explicatæ. *Ad l. præfectus. ff. de Ritu Nupt. &c.* Cap. XLVII.

1 *Tutor pupillam ducens non capit ex testamento vxoris.*
2 *Ipsa tamen capit ex testamento Mariti.*
3 *Et quæ causa discriminis.*
4 *Donatum vero quasi in sponsalibus mulier non capit, 6.*
5 *Et an ei dos restituenda sit. 7.*

1 SI vxorem tutor pupillam suam ducat, aut Prouincialis Magistratus sibi subditam Virginem, neuter capere quicquam potest ex testamento vxoris, sed, quod fuerit eis relictum, fisco datur. *l. vlt. ff. de leg. 1. l. Præfectus. ff. de ritu nupt. l. 2. vbi Cuiac. ff. de his, quæ vt indig.* Non idem in muliere est, nam capere ipsa tamen potest

ex testamento Mariti, vtcumque illicitæ eo modo fuerint nuptiæ. *d. l. vlt. d. l. Præfectus. d. l. 2.* Et nominatim dicitur *in l. præfectus.* pecuniam in dotem datam hæredi mulieris restitui oportere, pro quo *l. si tutor. C. de interd.*
3 *matr.* Ratio discriminis penes Martian. *in d l. vlt. Delinquunt enim hi, qui prohibitas nuptias contrahunt, & merito puniendi sunt, quod imputari non potest mulieri, quæ decepta est a tutore.* Huic autem deceptioni causam præbet potentatus Tutoris, vt Papinianus habet *in d. l. Præfectus. Præfectus cohortis, &c. contra interdictum eius Prouinciæ duxit vxorem, in qua officium gerebat; matrimonium non erit, quæ species pupillæ comparanda est, cum ratio potentatus nuptias prohibuerit.*

4 Et cum certissima hæc sint, videtur tamen inextricabilis difficultas *ex l. cum hic status. §. vlt. ff. de donat. int. vir. & vxor.* vbi Vlp. *Sed si Senator libertinã desponderit, vel tutor pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit, an donatio quasi in sponsalibus facta valeat; & putem etiam sponsalia improbanda, & quasi ab indignis ea, quæ donata sunt, ablata fisco vendicari.* Sic non capit mulier ex donatione Mariti, sed donatum fiscus aufert.

Sed & difficultas aliqua in eo est, quod de dote dicebatur.
5 Etenim Paul. *in l. si quis officium. §. Veterem. ff. de Ritu nupt. Veterem sponsam* (inquit) *in Prouincia, quam quis administrat, vxorem ducere potest, & dos non fit caduca.* fit igitur a contrario caduca, si noua spõsa ducatur, quod est fisco dari, pro quo *l. dote. ff. eod. tit. l. qui contra. C. de incest. nupt.*

Ad

Ad l. cum hic ſtatus. §. *vlt.* reſpondet Cuiac. [a] id quod eo loci Vlpianus docet, donata vendicari fiſco, in alijs quidem perſonis procedere omnimodo, de quibus ibidem proponit quaſi iniuſtas, atque illicitas nuptias contrahentibus, non etiam in pupilla a tutore deſponſata, cum excepta iſta alijs legibus fuerit. Ergo quod dicitur, donata fiſco vendicari, cauſam quidem generalem reſpicere poſſe, ſed non ſingulas cauſas.

6 Rem ego aliter dirimebam, videl. vt quaſi ab indignis donata fiſco vendicentur, ſed in ſingulis proportionabiliter, vt ita loquar, & pro ratione perſonarum, nam ſi Tutor pupillam deſponderit, hic vtique priuandus eſt donatis, cum tamen ſecus in pupilla ſit, *vt ſup.* Sic itaque generalitas illa contrahi debet, & non eo modo, quem Cuiacius docet, non enim ex inſtituto Vlpianus docet, qui donatis priuentur, vel non, quo caſu inter Tutorem, pupillamque diſtinctio habenda fuerat, ſed præcipue diſputat, an in ſponſalibus valere donatio poſſit, quæ in nuptijs non valeret, & reſoluit, donata fiſco vendicari, quod ſufficit in ſolo tutore verum eſſe, qui pupillam deſponderit, licet in pupilla non procedat.

7 Nec valet, quod de dote opponebatur; nam dotem mulier retinet, ſi decepta eſt. *d l. Præfectus. d.l. ſi Tutor.* amittit autem, ſi nulla ſuppetit excuſatio deceptionis, *vt d.* §. *veterem. d.l. dote. d.l. qui contra.* Excuſatur itaque mulier, ſi *Virgo* nupſit, vt Papin. loquitur *in d. l. Præfectus.* Virgo, hoc eſt, infirmæ ætatis, inquit Cuiac qui in hac re diſtinguendum eo modo putat, vt, ſi mulier perfectæ ætatis ſciens, ac prudens ſua ſponte viro ſe adiunxerit, &

pęnā patiatur, & caduca dos eius fiat, secus, si decepta, atque errans; quod satis indicat appellatio *Virginis* penes Papinianum, alioqui vix aliquis esset sensus verborum illorum, *si Virgo nupsit.* quid enim alioqui intersit Virginem esse?

Redeundo ad causam donati, de qua Vlp. *in d. l. cum hic status. §. vlt.* si statuere libet, donatum in sponsalibus fisco absolute vindicari, paremque esse in eo causam viri, & mulieris, serua, si placet, tria esse, quorum hic disputatio habetur, legatum videlicet, donationem, & dotem. Si legauit tutor, aut Magistratus, capit mulier ex legato, nam quasi deceptæ parcitur, neque eam conditionem legatum habet, vt ad legantem reuertatur, si nuptiæ non consistant, mulieri enim datur, vt cuilibet. At si donauit quasi in sponsalibus, nec stare donatio potest, nec capere aliquid mulier ex donato permittitur, est enim donationi insita conditio, vt ad donantem actio redeat, si sponsalia non consistant. *l. si ex voluntate. C. de donat. int. vir. & vx.* [b] Dum itaque ad donatorem actio redit, quam scilicet habere mulier non potest, ab eo statim aufertur, tamquam ab indigno. Diuersa est causa dotis, nam hæc a muliere datur, & redire ad mulierem debet, si nuptiæ non valent. *d l. Præfectus.* Cum itaque decepta mulier præsumatur, amittere non potest quasi indigna, nihil enim commisit in legem; at si sciēs fecit, & prudens, dos caduca fit.

a *d. l. 2. ff. de his, quæ vt indig.*
b *gl. vlt. in d. l. cum hic status. §. vlt.*

An potestatem habeat legis interlocutio Principis. *Ad l. 1. ff. de constit. Princ. l. leges. C. de ll.* Cap. XLVIII.

1 *Interloqui Princeps quando dicatur?*
2 *Et quando de plano.*
3 *Sententia Principis an, & quando valeat quasi lex.*

VLp. *in d. l. 1. Quodcumq;* (ait) *Imperator per Epistolam, & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Sic itaque de plano interlocutus Princeps legem condit.

Sed contra est, quod Impp. Theodos. & Valent. rescribũt *in l. 3. C. de ll. Interlocutionibus, quas in vno negocio iudicantes protulimus, vel postea proferemus; non in commune præiudicantibus.*

Quid ergo est? Accurs. Bart. & alij rem explicant, & pro suo quisque capite. Qui distinguendum putant, an interlocutiones Principum iuris corpore fuerint insertæ, vel minus, hi male audiũt ab historia temporum, non enim erat Iuris corpus, quando eam legem Vlp. cõdidit. Eos vero, qui interlocutiones illas pro legibus valuisse dicunt, quæ generales essent, haud satis intelligere se posse Connanus docet [a] Nam si interlocutus fuerit Princeps in negocio aliquo (ait iste) volueritque, vt omnes Iudices eodem ipso modo interloquantur in causis similibus, hęc quidem sententia non interlocutoria putanda est, sed de-
1 finitiua, cum definiat, & quidem generaliter, quonam modo interloquendum sit. Animaduerti etiam debuit,

quid

quid hiſce in legibus contineatur interlocutionis nomine; non enim interloqui hic Princeps dicitur, cum quid interea declarat, vel pronunciat, dum principalis cauſa plene diſcutitur iuxta acceptionem Gellij [β], & noſtrorum communem [γ], ſed interlocutio hæc Principis, de qua loquimur, aliud non eſt, quam ſententia principalis, quę vniuerſo negocio finem præbet. *Vide l. in teſtamento. ff. de fideic. libert.*

Quæ autem ſit ratio nominis, late explicat Connan. & bene. Ego itaque ſic exiſtimo. Erant cauſæ ordinarij Iuris, quas per magiſtratus, & Iudices expediebat Princeps; erant & aliæ, quas propria ſua cognitione dignas æſtimabat, & per ſe ipſum Princeps definiebat. Et quia non ordinario iure id faciebat, ſed extra ordinem curã ſubibat quaſi Magiſtratus, & Iudicis, propterea interloqui dicebatur, & quaſi loquentes ex ordine Magiſtratus ſuos interpellare, atque interrumpere, hoc enim *interloqui* eſt apud Terent.

At quid, obſecro, illud eſt, quod ait Vlp. *in d. l. 1. Vel de plano interlocutus eſt?* Quid eſt illud, quod ait, *de pla-*
2 *no?* Æſtimat Connan. ſenſum Vlpiani eſſe, vt non tantum pro legibus valeãt ea, quæ Princeps cognoſcens decreuit, hoc eſt, pro Tribunali finiuit cum ſolemni cognitione, & ritu, verum ea quoque, quæ de plano, & quaſi aliud agens ſine Tribunali pronũciauit; *de plano* (inquit) hoc eſt, de æquato loco, ſic enim agebant Principes, neque vt reliqui Magiſtratus, ſic ipſi faciebant, ſed plerumque extra Tribunal ſententiam dicebant ſuam, quoties adirentur, & in itinere quandoque; vel quia eximium

ſibi

ſibi putabant eſſe, ſi non vt reliqui Magiſtratus ius dicerẽt, vel quia alijs publicis negocijs impediti ocium habere vix poterant, quod Tribunalibus impenderent, & forenſibus negocijs. Verã Connani explicationem latius comprobant Hotom. & Budæ. pro qua ſic Suet. *Iudices aut e plano, aut e Quæſtoris Tribunali admonebat.* Adde *l. vnius. ff. de Quæſt. in fi.* ibi. *Cuſtodiæ non ſolum pro Tribunali, ſed & de plano audiri poſſunt, atque damnari. l. Miles. §. quidam, cum Accurſ. ff. ad l. Iul. de adult. l. 3. §. dari. ff. de bon. poßeſſ. l. 2. §. 1 ff. quis ordo in bon. poſſ. ſeru. cũ ſimil.* Hinc perpulchra translatione Seneca. *Hæc tamen* (inquit) *magnanimitas in bona fortuna latiorẽ locum habet, meliusque in Tribunali, quam in plano cognoſcitur.*

Vt vero ad legum antinomias ſemel redeamus, interlocutionem Principis Vlpianus adnumerat legibus *in d. l. 1. ff. de conſtit. Princ.* cui tamen contradicitur *in d. l. 3. C. de ll.* Sed facilis conciliatio eſt, nam ſi velit Princeps, vt interlocutionis ſuæ definitio protrahatur ad cauſam legis, dubitare nemo poteſt, legem eſſe. Vlpianus autem non diſputat in ſua lege, an Epiſtolæ, ſubſcriptiones, decreta, interlocutiones ve generalis legis habeant poteſtatẽ, ſed ſupponit, habere Principem per hos modos ſtatuendæ legis voluntatem, & definit magiſtraliter, poſſe Principem vnoquoque ex his modis legem conſtituere. Ergo quod habent Diui Principes *in d. l. 3. C. de ll.* tunc recipi oportet, quando non aliud apparet ſignum in interlocutione Principis, quam iudicandi inter duos; & ſic non haberet hodie vim legis pura interlocutio Principis iudicantis, niſi Iuſtinianus ei ſpiritum nupertime addidiſſet

3 *in l. vlt. C. de ll.* Neque ita tamen, vt quælibet pronunciatio Principis legem faciat, sed si causam Princeps *cognitionaliter* examinandam suscepit, neque aliter, quam cominus partibus constitutis, vt *ibi*.

Errant itaque frequentius nostri, qui Theodosium cum Iustiniano eo modo conciliatum volunt, vt ille de interlocutoria Principis sententia locutus fuerit *in d. l. 3.* hic autem de definitiua *in d. l. vlt.*

α *lib. 1. cap. 16. num. 5.*
β *lib. 14. cap. 2.*
γ *cum gl. & reliquis in clem. 1. ver. definitiua. de sequest. possess. & fruct.*
δ *In Tyber.*
ε *lib. de Clem. 1.*

An lis ante contestationem proprie sit. *Ad §. Actionum. Instit. de pœna tem. litig.* Cap. XLIX.

1 *Iudicium ante contestationem non est.*
2 *Est enim actus collationis.*
3 *In ius vocatio principium actionis est, non iudicij.*
4 *Aliud iudicium, aliud lis.*
5 *Controuersia proprie quæ.*

1 INualuit, ante contestationem Iudicium non esse *ex l. 1. C. de lit. cont. Auth. ad hæc. C. de Iudic. cap. super quæstionum. de off. deleg.* [α] Quod tunc maxime verũ, cum Iudicia ordinaria erant in vsu; [β] Sed & hodie quis dubitet? est enim hoc summe naturale, cũ Iudicium sit actus
2 collationis, [γ] munusque propterea iudicantis sit conferre conditiones vtriusque partis ad iustitiam, & veritatem,

exque

exque ea collatione eligere, determinare, & pronunciare; At conferre nemo poteſt, niſi petente actore, contradicente reo, & in certaminibus negocij, vt loquitur *l. 1. C. de plus petit.* nemo (inquam) niſi conteſtata lite.

Obſtat vero illud Tribun. *in §. vlt. Inſtit. de poena tem. litig.* quo conſtare videatur, a prima in ius vocatione Iudicium incipere. *Omnium autem actionum inſtituendarum principium* (inquit) *ab ea parte Edicti proficiſcitur, qua Prætor edicit de in ius vocando.* Et vides Rubricam, ſub qua poſitus locus ille eſt, vnde olim ſic argumētabamur. Vbi ita temere litigatum eſt, vt fuerit commiſſa pœna, ibi cœptum fuiſſe iudicium neceſſe eſt. *l. amplius non peti. ff. rem rat. hab.* At penes Tribun. in *d. §. vlt.* quando parentes, aut patroni in ius vocati ſunt, adeo temere litigatum eſt, vt commiſſa pœna fuerit, ergo, &c.

3 Reſpōdebatur, in ius vocationem principium eſſe actionis, non iudicij, authore Cuiac. *ſ* atque ita quidem videbatur, nam tunc quaſi fugientem reum perſequi cœpimus, cum vocauimus in ius. Reus autem, niſi conteſtata lite, iudicij copiam non fecit, qua ratione tunc ſolum accepiſſe iudicium dicitur. Vbi autem vocatus fuit reus in ius, non dum temere litigatum eſt, ſed temere vocatum, ſola igitur vocatio 50. aureorum pęna mulctatur. Addebatur, *in d. tit. de pęn. tem. litig.* plus litigaturos moneri, quā litigantes, ſic enim nonnulla de iuramento calumniæ haberi, quod ante Iudicium præſtari certum eſt; *Nam reus* (inquit Imp.) *non aliter allegationibus ſuis vtitur, niſi prius iurauerit.*

Et hæc olim quidem. Nunc nihil obſtare credimus, quin

di

dicamus, a prima in ius vocatione litem esse, licet iudiciũ non sit. Aliud Iudicium est, aliud lis. Qui igitur temere in ius vocat, temere dicitur litigare, sed ante litis contestationem, hoc est, ante Iudicium. Scio esse dubitatũ, numquid vere, & proprie lis sit, priusquam contestatio eius fiat. Vide Alciat.[ε] Et crebrius creditum, non esse litem, sed causam, & controuersiam, probante etiam Cuiac.[ζ] pro quo *l. sed & si. §. si ante. ff. de petit. hæred. l. is qui se obtulit. ff. de rei vend. §. omnem vero. Auth. de Litigat.* Sed vtrobique Alciat. ex Front. & alijs probatis scriptoribus contrarium probat, & proprie litem dici, prius-
5 quam contestetur, controuersiam vero proprie, postquã fuerit contestata, ex Pandectarum libris plerumque cõstare affirmat, licet (inquit) Iustinianus, & Romanì Pontifices in Decretalibus vocis proprietatem non seruarint. Pro qua re est, quod ex instituto legitur *in l. litis. ff. de ver. sig.* & ipsa ratio, nam, cum litem dicimus esse cõtestatam, verba indicant, quando adhuc contestata non erat, tamen litem fuisse. Quod autem docet crebrior sententia, tunc admittendum credit bonus Author, cum subiecta argumenti ratio hoc patitur, vt pro instantia causæ lis accipiatur.[η]

α *De comm. Rip. ad Rub. de Iudic. num. 46. Massin. ad Rub. C. de Eden. n. 85. Fachin. contr. lib. 11. cap. 81. Gayl. pract. obs. 74. n. 1.*
β *Dixi sac Iu. contr. dissert. 3. cap. 5. n. 2. & 10.*
γ *Caiet. 2. 2. d. Tho. q. 88. art. 1.*
δ *lib. 9. obser. cap. 21.*
ε *In l. litis nomen. ff. de Verb. sig. & lib. 2. dispunct. cap. 24.*
ζ *d. cap. 21.*
η *Adde quæ Briss. de Verb. sig. ver. lis.*

Si fuerit in aliquem compromissum de Iure, an & de consuetudine iudicare possit, aut debeat. *Ad cap. 3. de eo, qui mittit. in possess.* Cap. L.

1 *Consuetudo sub genere est iuris.*
2 *Et dicitur ius Ciuile.*
3 *De Romano iure quando per eminentiam intelligere opus sit.*
4 *Argumentum non trahitur a contrario sensu in enunciatiuis.*
5 *Nec valet resistente lege.*

Miror, de hac re controuersiam fuisse eiusmodi, vt
1 vota habeat vtrimque communia ; Consuetudo
sub genere est iuris. *cap. 2. cap. consuetudo. dist. 1. § con-*
2 *stat. Instit. de Iu. nat. gen & ciu. l. immo. ff. de ll.* Et dicitur
ius Ciuile. *l. omnes populi. ff. de Iust. & Iu. §. ius autem Ciuile. Instit. de Iu. natur. cap. ius Ciuile. dist. 1.* cur itaque nō iudicabit Arbiter ex consuetudine?
Sic non turbat Iustinianus *in §. sed quoties. instit. eod.* vel
3 potius retorquetur; quādo enim dispositio referri ad vnicum ius debet, tunc per eminentiam de Romano accipiendum credimus, vt *ibi*. At cum sumitur ius quasi genus, tunc quamlibet sui speciem amplecti genus debet, & moraliter eam, quæ præualet. Præualere autem consuetudinem palam est. Aut enim est contra legem, & tunc arbiter non potest ex abrogata lege iudicare, sed cōsuetudinem necessario sequitur. Aut est præter legem, & tunc magis, nam si lex nulla edita de ea causa est, hęremus consuetudini. *l. de quibus. ff. de ll.* Aut est secundū legem, & tunc talis ambiguitas præmititur in lege, vt ius

dici

dici omnino debeat ex interpretatione consuetudinis. *l. penul. C. de ll. iun. l. Nam Imperator. ff. eod. & c erit autem lex. 4. dist.* Et præterea Iustit. *in §. sed quoties.* plus docere voluit Tyrones Iuris, quam vt doctrina illa ad contractus referri debeat, in quibus plus voluntas valet, quam ratio nominis.

Solus obstabat Innoc. 3. *in cap.* 3. *de eo, qui mitt. in possess.* Commissa causa erat quibusdam Iudicibus *secundum ius, & bonam terræ consuetudinem* finienda; Volebant illi ex Iure, & non ex consuetudine iudicare. Quæsitum, an possent. Et responsum, non posse, si rationabilis consuetudo esset. Ergo, si commissa causa fuisset dirimenda ex Iure, neque adiectum aliquid fuisset de consuetudine, potuissent dati Iudices, omissa consuetudine, ex solo Iure sententiam ferre.

Argmentũ hoc a contrario sensu est, & quidem validũ
4 Dialecticis, sed in Iure frequentissime suspectum; hic vero maxime, non enim ex verbis decisiuis Canonis deduceretur, sed narratiuis, seu enunciatiuis, quæ non disponunt.

5 Nec præterea valet resistente lege, vt docent Ordinarij Interpretes, [β] leges enim & Canones iubent, ex laudabili consuetudine sẽper iudicari. *d. l. de quibus. & paßim. ff. de ll. d. cap. 3. de eo. qui mitt. cap. vlt. de Consuet. & per tot.*

α Negatiuam communem dicit Barbat. cons. 66. vol. 3. Sed contrariam communem testatur Roch. de Curt. ad Rub. de consuet. n. 37. cum qua Abb. Panor. Fely. & alij. Idem Fely. late ad cap. ius generale, n. 6. dist. 1.

β Ad l. 1. ff. de off. eius. & c.

An rescriptum porrigatur ad successorem illius, aduersus quem fuerit impetratum. *Ad l. 2. ff. quæ sent. sine appell. rescind.* Cap. LI.

1 *Rescriptum non incipit ab hærede. 3.*
2 *Iudicis datio quando olim fieret.*

1 RESCRIPTUM eius naturæ esse, vel conditionis, vt ab hærede non incipiat, verius est, argumentoque vtimur eius, quod ex alijs scribit Cels. *in l. Neratius. ff. de Reg. Iur. Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viuenti Cæsar rescripserat, iam defuncto dedisse existimaretur, respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem viuere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficij sui vellet, ipsius æstimationem esse.* Ad quem Pet. Fab.[a] *Et generaliter* (ait) *de quo quis non sensit, in eius persona magis est, vt cesset beneficium Principis, quemadmodum & de tutoris datione ab Vlpiano definitur, ut in ijs demum valeat, quos testator in potestate scit se habere, non quos ignorat, etiam si generaliter liberis, aut filijs tutores dederit. l. si quis ita. §. si quis cum ignoraret. ff. de testam. tut.* Adde, quæ ibidem Dec. Cuiac. & alij

Quærunt modo, an porrigi rescriptum debeat ad successorem illius, aduersus quem fuerit impetratum. Et porrigi negant, si quo tempore rescriptum datum est, non viuebat is, qui conueniendus ex rescripto erat; ita Abb. Petr. Greg. & omnes.[b] Quibus planissima de hac re visa est decisio Pauli *in l. 2. ff. quæ sent. sine appell. rescind.* h. v. *Idem respondit, aduersus eum, qui in rebus humanis non*

eſſet, cum Iudex datus eſt, neque Iudicis dationem valere, neque ſententiam aduerſus eum dictam vires habere. Ergo, ſi tempore impetrati reſcripti mortuus ille ſit, aduerſus quem impetratum eſt, non poterunt hæredes eius coram Iudicibus in ipſo datis conueniri.

2 Sed vtinam aliquid probet de hac re Paul. Nam Iudicis datio non fiebat olim per reſcriptum, ſed in Iure per officium Prætoris, a quo Iudex cum formula petebatur, dabaturque. Oportebat autem, præſentibus omnibus, quos cauſa contigeret, & Iudicem dari, & ſententiam dici. *l. de vnoquoque. ff. de re Iudic.* idque eſt authore Cuiac. [γ] quod in lege 12. tab. dicebatur, *præſentibus ambobus cauſam conijci, & legem condici oportere.* Porro non poterat præſens eſſe, qui defunctus iam eſset.

3 Veriſſimum tamen eſt, quamuis Paulus id nequaquam probet, reſcriptum ab hærede incipere non poſse, cuius rei non deſunt rationes penes Bald. & alios, [δ] quorum tamen diſtinctiones in praxi caueto.

α *col. 5. vers. non videri ſibi Principem, &c.*
β *In c. ſignificauit. de Reſcript.*
γ *Dicta l. 2. ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind.*
δ *In d. c. ſignificauit.*

Priuilegium an in dubio reale, vel perſonale. *Ad l. 2. ff. de Reb. dub.* Cap. LII.

1 *Ciuibus Ciuitatis legatum datum ad quem ſpectet.*
2 *Qui Ciues dicit, vniuerſos dicit.*
3 *Priuilegium perſonale cum perſona deſinit.*
4 *Et an fauorabile, vel odioſum quid.*

Scri-

1 SCribit Papin. *in d. l. 2*. Ciuibus Ciuitatis legatum, vel fideicõmissum datum Ciuitati relictum videri. At cur non magis singulis Ciuibus? An, quia in ambigua dispositione potior futura sit Patriæ, quam Ciuium singulorum caussa? Non hoc absurde quidem diceretur; sed & verba legantis pro Ciuitate faciunt, nam Ciuibus legatum datur, nec propria Ciuium nomina demonstrantur, & (quod plus est) Ciuibus Ciuitatis. Igitur Ciuitatis habita ratio est. Sic legatum Sacerdoti Hierophylaco, & Libertis, qui in templo erunt, non ijs datum censetur, sed templo. *l. annua.* §. 1 *ff. de ann. leg.* Denique qui Ciues di-
2 cit, vniuersos dicit, qui non tam instar Ciuitatis videantur esse, quam ipsa Ciuitas. Quod autem exponit Azo; *ciuibus Ciuitatis,* hoc est, administratoribus eiusdem, ridet Cuiac.

Quid, si Ciuibus Ciuitatis priuilegium daretur, numquid forte eodem modo statuenda res esset in dubia quæstione? Aiunt nouissimi, respondendum id fore, quod in legato, sic enim priuilegium putant in dubio plus reale videri posse, quam personale. Sed aduerti debuit, non distingui legatum in reale, & personale, vt priuilegium distinguitur. Legatum, vel singulis soluatur, vel Ciuitati, non refert, nam pari modo lædit hæredem, ad quem redire deinceps non potest. Priuilegium, si personale
3 est, cum persona finitur, & legi præiudicare desinit, si reale, non item. *l. ætatem. l. forma Censuali.* §. *quamquam. ff. de Censibus. l in omnibus caussis.* 68. *ff. de Reg. Iur. cap. cum venissent. de Instit.* Vt itaque priuilegium citius finiatur, quasi odiosum, & strictissimi Iuris, in dubio per-

ſonale cenſeri volunt, non reale; Fac. *l.* 1. *ff. de conſtit. Princ.* [β] Sed an fauorabile priuilegium ſit, vel odioſum, alibi diſputatum. [γ] Vide *l. vlt. ff. eod. de conſtit.* & ibi ſcripta [α].

Ego quibus caſibus fauor exuberat, priuilegium latius interpretabor, & reale credam, non perſonale. Vide Suar.[δ] & ad praxim Pet. Barb.[ε]

α *d. l. 2.*
β *Gl. in princ. 25. q. 2. Dec. d. l. in omnibus. num. 3. alijque comm. teſte Suar. de ll. lib. 8. cap. 3. n. 13.*
γ *Inf. cap. 249.*
δ *d. cap. 3.*
ε *l. quia tale. ff. Sol. Matrim. vbi omnes.*

Priuilegium dignitatem habenti datum, an perſonæ indultum, vel dignitati cenſeatur in ambigua cauſa. *Ad l. in omnibus. 68. ff. de Reg. Iur.* Cap. LIII.

1 *Priuilegium æſtimatur ex intentione largientis.*
2 *Et ex obiecto proximo voluntatis.*

1 RECte docent, de intentione largientis conijci oportere, hoc eſt, præcipua ne ratio perſonæ fuerit, an dignitatis. Vnde Paul. *d. l. in omnibus. In omnibus cauſis* (inquit) *id obſeruatur, ut vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat. Vbi vero genus actionis id deſiderat, ibi ad quemuis perſecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.*

Sed (vt nihil vſpiam tam certum in Iure) notabis diligen-

genter, euenire & illud posse, vt præcipua sit ratio dignitatis in animo donãtis, & tamen pure personale beneficium sit. Sic tres illi Impp. *in l. sordidorum. C. de excus. mun. lib.* 10. *Neque enim* (inquiũt) *potest esse perpetuum, quod non rebus, sed personis contemplatione dignitatis, atque militiæ indulsisse nos constat.* En priuilegium, quod intuitu dignitatis, & militiæ indultum proponitur, & tamen personæ datur, non rei.

2 Sic itaque exponenda res est, vt quæramus de propiori obiecto; de obiecto (inquam) in quod omnino dirigi videatur intentio concedentis, qui sæpe prouidere personæ maluit, quam dignitati, licet impulsus a dignitate esset, vt priuilegium daret.

Nec contradicit Paul. *in d l. in omnibus.* nam neque explicat ex instituto, quodnam priuilegium reale videatur esse, aut personale, sed de actibus, seu effectibus vtriusque docet, videlicet, vt illud cum persona finiatur, hoc minime.

Suar.[a] verba Pauli pro ipsa hac, quam sequimur, explicatione detorquet, nescio, an nimis subtiliter. Nam quod ait Paul. *Vbi personæ conditio locum facit beneficio,* nõ aliud putat esse, quam præparare personam, idoneamq; eam facere, vt sit quasi proximum subiectum beneficij, aut priuilegij. Per id vero, quod statim sequitur, *Vbi uero genus actionis id desiderat,* fauorem designari existimat actioni inhærentem, & sic priuilegium reale. Tu de sẽtentia Pauli vide Fab. Cuiac. & alios melioris notæ, & ad praxim scriben. cum Barb.[β]

[a] *De ll. lib. 8. cap. 3.*

β *Ad l. Via tale. ff. sol. Matr.*

Pactum nudum eſse, cui nulla ſubſit cauſa. Et explicatus Vlp. *in l. Iuriſgentiũ. §. ſed cũ nulla. ff. de Pact.* Cap. LIV.

1 *Nudum pactum quid.*
2 *Et quamuis nudum, cauſam habet tamen, & quo ſenſu.*
3 *Synallagma quid.*
4 *Pactum de non petendo nudum eſt.*
5 *Donatio quæ non valeret ante Iuſtin.*
6 *Subeſſe pactioni cauſam quid.*
7 *Pactum nudum non obligat, & cur.*

NVdum pactum quaſi definit Vlp. eſse illud, *cui nulla ſubſit cauſa præter conuentionem*; Sic enim legimus, &
1 non vt quidam, *propter conuentionem*.
2 Perperam ij quoque ex Fab. [a] qui pactum nudum explicant eſse, *quod ſine cauſa fit*; nam nullum tale pactum omnino reperiant, quod cauſam nullam habeat, hoc eſt, occaſionem: Quomodo enim exceptionem dabit prętor ex eo pacto, *d. l. Iuriſgentium. §. igitur.* quod omni cauſa, vel occaſione deſtituatur? *Vide l. 2. §. circa. ff. de doli except. l. ſi quis cum aliter. ff. de Verb. oblig.* Hinc rurſus eo modo loquitur Vlp. *in d. l. Iurisgentium. §. ſed & ſi. Subſit tamen cauſa*, & bene, vt explicat idem Author; [β] quod enim contractui cauſam, ſeu (bene dixeris) occaſionem præbet, id quidem pręire conuentioni dicitur, non ſubeſse; quæ autem ſubeſt cauſa, nihil aliud eſt, quam negocium mutuum inter contrahentes,
3 quod Græci *Synallagma* appellant. Igitur pactum nudũ ſi-

ſine cauſa eſt, quia negocium non habet, ſed cauſam neceſſario habet, hoc eſt, occaſionem, quæ deficere
4 nullatenus poteſt. Sic pactum de non petendo nudum pactum eſt, quia ſine cauſa, hoc eſt negocio aliquo mutuo, & tamen causam habet, ſeu occaſionem, vtp. exer-
5 cendæ liberalitatis, vel aliam. *l. ſi conuenerit. ff. de Pact.* Sic non valebat donatio ante Iuſtin. quæ nec ſtipulatione vallaretur, nec traditione, ſed pacto nudo. *l. ſi quis argentum. §. ſin autem. C. de Donat.* & tamẽ cauſa, ſeu occaſio deeſſe non poterat conferẽdi in alterum beneficij. Si etiam ſic paciſcimur. *Dabo tibi Stichum, tu mihi Pamphilum*, non poteſt cauſa non præeſſe, vel occaſio; huc uſque tamen nullum geritur negocium inter nos, ſed geretur tunc, cum ego Stichum dabo, vt viciſſim recipiam Pamphilum; Vnde & Vlp. *in d. l. Iuriſgentium. Sed* (inquit) *ſi in in alium contractum res non tranſeat, ſubſit tamen cauſa, eleganter Ariſto Celſo reſpondit, eſſe obligationem. Vtp. dedi tibi rem, vt mihi aliam dares; dedi, vt aliquid facias, hoc Synallagma eſſe, & hinc naſci Ciuilem obligationem.* Ait Vlpianus. *Subſit tamen cauſa*. Expo-
6 nit Connan. hoc eſt, *factum traditionis* (quod nota) cauſa enim appellatur ex parte alterius contrahentis facta traditio; cauſa igitur, quæ pactioni ſubſit, quaſi innuat Vlp. adeſſe negocium vltra conuentionem, videlicet, quod eo nomine accepiſti aliquid me tradente, vel quod aliquid feci, & tu recepiſti, vt iam tu quoque dare debeas, aut facere. Cauſa denique Vlpiano negocium eſt, quod a traditione incipit rei.
7 At nudo pacto obligationem lex adimit (aiũt vulgo) quia

pactum esse non potest, quod serium non sit; non enim tam verbis pangimus, quam consensu. *l.* 1. *ff. de Pact.* Consensum vero non habet, si a leuitate processerit. Pręsumpsere autem Veteres, tunc serium pactum esse, cum in proprium nomen aliquod contractus migrat, vel in causam Synallagmatis. *d. l. Iurisgentium*. cæterum non esse pactum, sed ostentationem, iocum ve, atque hinc rursus causam non habere, vel occasionem, præterquã ab inconsulto isto paciscẽtium lusu; Veruntamen, si agi ex pacto debeat, non si excipi ex eo, vt sup.

α *In Rational.*
β *Ibid. in Rational.*
γ *Lib.* 5. *cap.* 2. *&c.*

An sit vestitum aliquod pactum, quod nudo respondeat. *Ad d. l. Iurisgentium.* Cap. LV.

1 *Pactorum vestimenta quæ.*
2 *Pactum nudum an vestimento accepto desinat esse pactum.*
3 *Nuda quæ dicantur in Iure.*
4 *Pacta legitima quæ.*

1 ACcursius [α] quibusdam suauis visus est, qui pactum nudum vocari crediderit in discrimen pacti vestiti. Porro vestimenta ea sunt, quæ ante diximus, videlicet interuentus rei, propriumque & peculiare contractus nomen. Prætereo de pactorum vestibus nostrorum commentationes, [β] nam hi causam subesse intelligunt, quoties pasciscentium condicto accedit aliquid, vnde ę-
2 stimari possit, seriam fuisse promissionem, non a leuitate

tate quadam. Rem ego hodiernis moribus non ineptã receperim quidem, sed cum grano salis, ne ipsi legẽ plus condere videamur, quam interpretari.

Redeo ad Accursium, quem pleno ore Duarenus [c] ridet, & Corasius [d] Sed modeste agere debuerunt, cum & doctissimus Alciatus [e] vestitæ pactionis vocabulo vsus sit quasi ad docendum accommodatissimo. At nil etiam tanti est, nam si defendere Accursius possit, pactum nu-
2 dum, vestimento aliquo accepto, non desinere esse pactũ, sed desinere esse nudum, pene obtinet. At si contra sustinuerint alij, pactum nudum, accedente causa obligationis, etiam pactum desinere esse, sequor eos, iam enim si quod vestitum est, pactum non est, nullum erit mehercule pactum, quod vestitum pactum dici possit.
3 At sequor omnimodo. Nam re vera, si quoties nudum aliquod est in legibus, opponendum ei vestitum esset, non sufficerent vestes, quotquot in tabernis suis habent fætidi Iudęi. Est in iure nuda voluntas. *l. 1. ff. de rer. permut. l. 3. in fine. ff. de adim. leg.* Nuda proprietas. *l. 2. ff. quib. mod. vsusf. vel vs. amitt.* Nudum præceptum. *l. filiusfam. §. Diui. ff. de leg. 1.* Nuda ratio. *l. nuda. ff. de donat.* Quid? Narrat Duarenus perlepide, habuisse se de hac re quæstionem cum homine alterius ludi, qui vulgarem distinctionem pertinacius tuebatur, nilque esse dicebat, quod in diuidendo aptius opponeretur nudo, quam vestitum. Ait, se ioco interrogasse hominem, cur non similiter cogitationem partiretur in nudam, & vestitam, cum lex mentionem faciens nudę cogitationis aliam esse innuat, quæ nuda non sit. Et obmutuisse interroga-

tum

tum, licet loquacissimus esset, perindeque leui argumẽto victum, fractumque acquieuisse eum, qui grauioribus rationibus a propria sententia diuelli non potuisset.
4 Pacta itaque, quæ vestita appellant Accursiani, rectius legitima dicerentur, iux. *l. legitima. ff. de Pact.*

α *In l. Iurisgentium. §. igitur nuda. ff. de Pact.*
β *De quibus Mantic. de tacit. & ambigu. lib. 24. tit. 2. Molin. de Contract. disp. 255. & seq.*
γ *d. l. Iurisgentium. §. sed cum nulla.*
δ *Miscel. lib. 1. cap. 1.*
ε *Parad. lib. 4. cap. 7. num. 4.*

De vi pacti nudi coram Iudice, vel Magistratu. *Ad l. cum ostendimus. ff. de fideiussß. tut.* Cap. LVI.

1 *Silentium fideiussoris pro consensu, & quando.*
2 *Fideiußio sola nititur verborum obligatione.*
3 *Pactum vestitur implicita confeßione.*

QVi nudi, ac vestiti pacti discrimen faciunt, hi non semel nudum pactum coram Iudice initum valere æstimant, foueri enim, & quasi succrescere calore Iudicij, & Iudicis. A qua sententia recessum communius esse, docuit Bart. Soccin.[α] Equidem in vestimento illo nihil aspicio, quod satis nitescere videatur, nec me aliquid de hac re docet vulgaris tex. in *d. l. cum ostendimus.* ibi enim
1 alia vertitur quęstio, videlicet, an taciturnitas fideiussoris, quem coram Iudice tutor nominasset, habeatur pro consensu, & legitima fideiussione, quæ nisi stipulatione fieri non potest (sola enim obligatione verborum fideiussio
2 nititur, non re, aut facto ipso, vt explicat Connan.[β] hinc verba illa solemnia. *Fideiubes? Fideiubeo*) Et resoluitur, sta-

ſtare fideiuſſionem in ficta quadam ſtipulatione, & ſubaudita a lege, cuius nec deſunt in Iure exempla. Vide *l.* 2. §. 1. *ff. ad Municip.*

Neque obijci nobis debuit Papin. *in l. tale pactum. §. qui prouocauit. ff de Pact.* cum potuerit veſtiri (ſic loquar)
3 pactum illud implicita quadam confeſſione; qui enim paciſcitur, cum eſset condemnatus, is vtique fatetur ſe debitorem. Forte etiam pactum iſtud non coram Iudice, ſed priuatim inter litigantes factum fuit, vt æſtimat Fab.[γ] quapropter, ſi pactum nudũ a ſola implicita confeſſione veſtimentũ, ſeu munimentũ ſuum capit, plus hercle veſtiri poterit, ſi factũ corã Iudice ſit, nam & ſimplex cõfeſſio facta corã Iudice valet in vim iudicati. *l. 1. C. de Confeſ.* Et huc reſpicit Aretini conciliatio,[δ] quæ ad praxim ſumme opportuna. Tu pro communi ſententia vide tex. ſatis apertum *in l. ſiue apud acta. C. de Trans. in l. omnes. §. in hac. 2. C. de Epiſ. & Cler.*

α *In l. 1. n. 2. ff. de verb. oblig.*
β *Comm. lib. 2. cap. 3. n. 5.*
γ *In Rationalibus.*
δ *In d. l. ſiue apud acta. C. de Tranſact.*

Nudum pactum nullo iure, vel Pontificio quidem obligare.
Ad cap. 1. de Pact. Cap. LVII.

1 *Pactum nudum Iure Ciuili non obligat.*
2 *Pontificij canones legibus adiuuantur.*
3 *Nudum pactum cur obligatorium eſſe non debuerit.* 5.
4 *Qui nudum pactum non ſeruat, an infidelis.*
6 *Quare conceſſa læſio intra dimidiam fuerit.*
7 *Denunciatio Euangelica contra inſignem perfidiam.*

Cum

CVm pactum nudum a Iure Ciuili nullam habeat obligationem. *l. Iurisgentium. §. sed cum nulla. cum not. ff.*
1 *de Pact.* vt tamen aliquam Iure Pontificio habeat, omnium pene scribentium voluntas fuit, a quod ipsum in terris quoque Imperij seruandum credidere, quia Canõ peccato nititur ruptæ fidei, *arg. c. vlt. cum not. de Præscrip.* Vide Fely. b latius.
2 At ego paradoxum putarem, quod dicitur, nisi tam crebro obtinuisset; scio enim Pontificios Canones legibus adiuuari. *c. 1. de Nou. oper. nunc.* nec per eos aliquid hucusque constitutum reperio, quo vel minimum Ciuilis iuris ratio corrigatur.
Sed, & cur ita agere debuerint, non video. Dices, id fuis-
3 se magis ex Pontificia pietate, ne fides rumpatur obtentu Iuris. Sed contra hoc est, quia, si pacto nudo vis tribuitur, iam vexationibus, & calumnijs latissimus aperitur cãpus, quibus occurrere voluit, & debuit æquissima lex, ne publica salus detrimentum pateretur; multa enim iocose promittuntur quotidie, multa etiam ab ijs, qui splẽdidi, ac liberales videri volunt, quæ si tenerent cuncta, non difficulter testes existerent, qui deponerent, promisisse aliquem, & sic vera Iudicia subuerterentur, nã nec qui promitterẽt, nec promissorum hæredes vsquam ab iniquis exactoribus tuti essent. Propter quod licentiam in testando Militis temperauit bonus Traianus; cũ enim iusto eo priuilegio potiretur miles, vt quoquomodo factũ ab eo testamentum ratum esset, & possent, diem suum obeunte milite, testes existere, qui affirmarent, se audisse dicentem, relinquere se bona sua, cui visum esset, &

per

per hoc vera Iudicia ſubuerti poſſent, ſtatuit ille, ne aliter teſtamentum valeat Militis, quam, ſi teſtes ipſe conuocarit, & ſic illud ſerio fecerit, & non ſi (vt plerumque ſermonibus fieri ſolet) dixit alicui. *Ego te hæredem facio, vel bona mea tibi relinquo. Vide.l.Diuus. ff. de teſtam. Milit. §. planc. Inſtit. eod.*

4 Sed & illud impoſſibile eſt, vt crimine peccare infidelitatis poſſit, qui nudo pacto aliquid promiſit, ſi Iuris præſũptionem ſequare; vnuſquiſque enim & præſumitur, & tenetur ſcire leges, quæ de nuda conuentione ſunt. Qui igitur nuda pactione promittit, promiſſum ve acceptat, cum ſcire teneatur, nihil eſſe, quod agitur, vtique nolle intelligitur vel promittere, vel recipere; vulgatum namque a Iure eſt, non eſſe voluntatem agendi in eo homine, qui ſciens, ac prudens actum nullum faciat. At, ſi contingat ob Iuris ignorantiam, vt nuda conuentione, aliquid ſerio promittatur, quod abſque peccato retractari deinceps poſſe non videatur, præſtat tamen ita agere,
5 ne, dum priuatæ cauſæ iſtius hominis ratio habetur, totius populi ſalus per innumeras, atque inextricabiles lites offendatur, aut effundatur potius.

Et hæc ipſa ratio publicæ vtilitatis ipſis quoque Pontificibus cordi fuit in conſimili ſpecie, quam nunc libet expli-
6 care. Concedunt Impp. vt poſſint ementes, ac vendentes ſe inuicem circumſcribere vſq; ad ſemiſſem iuſti precij, non vltra. *l. 2. C.de reſcind. Vendit.* Cur ita vero? An non manifeſte peccatum fouent Emptoris? An non peccat, qui vel in dimidia ipſa, vel in triente, vel in quadrãte, vel etiam in ſextante iuſti precij venditorem fraudarit?

Vti-

Vtique [γ]. Ergo (inquis) ius Ciuile peccatum nutrit iſtius hominis. Vtique etiam; ſed nutrire ea ratione poteſt, quia, ſi vnamquamque emptionem reſcindi oporteret eo prætextu, quod in parte aliqua deceptus Venditor fuiſſet, quotidianæ lites de emptionibus excitarentur in maximũ publicæ rei damnum, nulla quippe emptio tam iuſta eſse poteſt, vt non aliquo deficiat; Ergo peccatum quidem permittitur vnius, ſed generaliter litigantium calumnijs, doliſque occurritur; quapropter Summi etiam Pontifices hanc ipſam Imperatorum conſtitutionem totidem pene verbis approbarunt *in cap. cum dilecti. & cap. cum cauſa. de Empt. & Vẽdit.* Sunt ne vero in hac ſpecie reprehẽdẽdi Pontifices, qui huius, vel alterius hominis peccatum non curarint, vt communi bono conſultum vellent? atqui hæc ipſa certe ratio pacti nudi eſt. Crediderim pene, iniurioſam fuiſse Pontificum prudentiæ, & ſanctitati [β] receptam illam de pacto nudo ſententiam, neque enim ſalubrius aliquid recogitari potuiſse, quam quod de eo
7 decernit Cæſarum authoritas. Eoque maxime, quod ſi forte incidat alicuius promiſsoris inſignis perfidia, non deeſt in ſubſidium deficientis actionis a paterna Pontificum pietate ſanctiſſimum illud remedium denunciationis Euangelicæ, de quo tex. cum Scriben. *in cap. Nouit. de Iudic.* Et ecce tibi magnus ille Commentator Innoc [δ] qui in ſpecie pacti nudi Euangelica hac denunciatione vtendum cenſet.

α *De comm. Fely in d.c.1.n.4. de pact. Couarr. de Pact. par. 2.§.4. n. 13. Moli de Contract. diſput.157.n.1. Rebell. de oblig. Iuſtit. par.2.lib. 10. de Cenſib. q. 1. n.19. Vues. in Parat. de Pact. col. 22. vers. quamquam autem.*

β *Ibid.*

γ *Sac Iu. contr. diſſert. 6. cap. 1.*

δ *d. cap. Nouit. num. 4.*

Ex-

Explicatum Concilium Afric. in eo, quod vniuersos dixisse refert, *Pax seruetur, pacta custodiantur. Ad cap. 1. de Pact.* Cap. LVIII.

1 *Pacto nudo debitum quo remedio exigatur.*
2 *Prætor pacta seruare quomodo intelligatur.*
3 *Mendax an sit, qui promissum ex nudo pacto seruare desierit.*

QVi nudi pacti obligationem a Pontificia lege trahere se posse sperant, eo nituntur, quod Concilium Prouinciale Africum definijsse olim legitur *in d. c. 1. de Pact. Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conuentus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinā. Vniuersi dixerunt. Pax seruetur, pacta custodiantur.* Ita Concilium, sed retorquetur; namque inita pacta suā obtinere iubentur firmitatem, quando sunt legitima. *l. legitima. cum seq. ff. de Pact.* alioqui suam obtinere nequeūt firmitatem, cum nullam habeāt, quæ sua sit. At, si nu-
1 da sunt, seruari debent denunciatione Euangelica, non iure actionis, vt ante diximus ex Innoc. & nunc quoque explicaturi sumus, non enim ociosum esse debet, quod præmittitur. *Pax seruetur.* Species vero capitis hæc est. Antigonus, & Optantius Episcopi pacti erant inuicem, ne alter alterius plebem subtractum iret. Defecit Optantius, aduersus quem agere nequibat Antigonus quasi ex pacto nudo; Egit itaque denunciatione Euangelica, petijtque aduersarium suum Episcopum, vti pacis turbatorem, a peccato frænari. Exijt itaque a Concilio vox. *Pax seruetur, pacta custodiantur,* maxime cum ageretur inter

duos

duos Episcopos, quibus minus, quam alijs licet in peccato esse. Exijt & comminatio pęnę, quæ peccatum sequeretur. *Si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam.*

Eodem modo intelliges quod legitur *in c.* 3 *de Pact.* agendum scilicet studiose esse, vt ea, quæ promittuntur, opere compleátur, de hoc tamen *infra.* [β]

Forte etiam Antigonus impleuerat ex parte sua, & sic pacto agebat, hoc est, synallagmate, *iux. l. Iurisgentium. in princ. vers. sed. & si ff de pact.* & quæ nos supra latius. [γ]

Aut certe duo hi Episcopi transegerant de plebe, & seruanda transactio erat ex implicita confessione, vt alibi dictum est [δ] *ex l. tale pactum. §. qui prouocauit ff. de Pact.*

Sed quid opus coniecturis? Iubet Concilium pacta seruari.
2 *d. c.* 1. iubet Gregor. ea, quæ promissa fuerint, opere compleri. *d. c.* 3. Quid rursus? Prætor quoque pollicetur, pacta seruaturum se *in d. l. Iurisgentium. §. Ait Prætor.* nec tamen nudis conuentionibus actionem tribuit. *d. l. Iurisgentium. §. sed cum nulla. l. si tibi. C. loca.* seruat enim Prætor, quoad per leges liceat. *arg. l.* 1. *ff. ex quib. caus. maio l. cum sponsus. §. si res. ff. de public.* Vide Donell. [ε] Sic pacta custodiri iubent Concilia, & Romani Pontifices, sed quoad liceat per leges, a quibus recessisse etiam non creduntur sacri Canones, nisi constet de emendatione. *c.* 1. *de oper. no. nunc.*

3 At (inquies) si nudum pactum non seruo, mendax sum; *arg. c. iuramenti.* 22. *q.* 5. Absit; quod enim nuda conuentione promisi, serium non fuit, vt supra; quod igitur promittere nolui, id citra mẽdacium præstare desino. Quod

ſi forte ſerium fuiſſe credatur, ſuppetit Euangelica denũciatio. *d.c. Nouit. cum Innoc.*

α *c. Nouit. n. 4. de Iudic.*
β *cap. 60.*
γ *cap. 54.*
δ *cap. 56.*
ε *In l. legem. n. 16. C. de Pact.*

De vi pollicitationis ex Pontificio iure. *Ad cap. ſi tibi abſenti. de Præben. in 6.* Cap. LIX.

1 *Pollicitatio quid.*
2 *Epiſcopus, qui contulit abſenti beneficium, variare non poteſt.*
3 *Et an hic pollicitanti ſimilis.*
4 *Collatio beneficij actus Iudicialis eſt.*
5 *Et an donatio videri poſsit.*
6 *Epiſcopus digniori contuliſſe præſumitur.*

1 QVi certant pro pacto nudo, hi obijciunt illico pollicitationem, quæ ſolius offerentis promiſſio eſt. *l. 3. ff. de Pollicit.* & tamen præſtandi neceſſitatem habet a canone. Nam pollicitanti ſimilem ſe facit Epiſcopus, qui beneficium confert abſenti, quod cum facit, variare inte-
2 rim non poteſt, licet per acceptationem quęſitum ius nec dum fuerit collatario Clerico. *d.c. ſi tibi abſenti.*
3 Sed pollicitanti ſimilem videri Epiſcopum, negat Couarr. α qui nec rurſus donatori ſimilem credit; nam ſi donaſſe cenſeretur, poſſet re integra, hoc eſt, priuſquam collata-
4 rius acceptaſſet, pœnitere. *l. 2. §. ſed ſi quis donaturus. l. abſenti. ff. de donat.* Collationem itaque beneficij non donationem vult eſſe, ſed actum iudicialem, & Epiſcopũ non quaſi donatorem agere videri, ſed quaſi Iudicem, &

diſpenſatorem, qui facta collatione functus officio ſuo ſit, & propterea repetere collationem nō poſſit. *arg. l. Iudex. ff. de re iudic.* Nec ideo quaſi donatio videri poteſt, quod abſentē prętulerit Epiſcopus, cui pręciſe conferre nō te-
5 nebatur; nā (inquit Couar.) [a] nō niſi improprie donatio eſt.
6 Mihi actus Epiſcopi nullo modo donationem ſapit; Nā conferendo abſenti præſumptione Iuris digniorem elegit, vti tenebatur quaſi miniſter iuſtitiæ diſtributiuæ; ergo non liberalitate prætuliſſe, ſed muneris neceſſitate cenſendus eſt. Quod not.

a *lib.3.Variar.c.16.n.1.*

De reiecta condictione ex Canone. *Ad c. 1. & 3. de Pact.* Cap. LX.

1 *Alternatiuæ ratio.*
2 *Denunciationi Euangelicæ quando locus.*
3 *Iudicis officium quando competat.*

SI nudum pactum nullā, vel actionem habet, vel exactionē, inanis remanet cōdictio illa ex Canone, quā adinuenere ſacrarū legū cōmētatores inſtar cōdictionis ex lege. At etiam poſito contrario, & data validitate pacti nudi, crediderunt multi, [a] non actionem ex pacto dari, ſed Iu-
1 dicis officium. Vrgent vero, quia ſub alternatiua loquitur Concilium Africum *in d.c.1.de Pact. Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conuentus (ſi ſe non cohibuerit) Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam.* Ergo non pręciſe iubetur obſeruantia, ſed comminatio iungitur pœnæ, quæ ad iudicis pertinet officium.
2 Quam bene iſti, ſi remedium noſſe potuiſſent, quod fuit

in

in Concilio datum? Remedium (inquam) denunciationis Euangelicę, cui locus tunc efficitur, cum actio nulla suppetit, vt sæpe diximus *ex cap. nouit. de Iudic.* vbi Innoc. [β] in hac ipsa specie nudi pacti. Hoc itaque vtebatur Antigonus aduersus Optantium turbatorem pacis, qui nuda conuentione promiserat Antigoni populum non subtrahere. Vnde conclamatum in Concilio fuit. *Pax seruetur, pacta custodiantur.*

Hinc Gregorius anxius, vt Pontificem decet, ne eo prætextu insignis aliqua perfidia committatur, quod pacta nuda fuerint omni legum præsidio destituta, monet Iudicem (reperta scilicet peccati causa) vt studiose agat, ne eum, qui nimium credidit, facile promissor eludat. *Studiose agendum est* (inquit) *vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur. d.c. 3. de pact.* Reperta (inquam) pec-
3 cati causa; nam quod serio promissum non fuerit, negligi omnino oportet, non seruari. Et vides, Gregorij verba dirigi ad personam Iudicis, quasi is officium de hac re suum debeat impertire iux. communem illam theoresim, quam tibi Scribentes faciunt. [γ]

α *Innoc. & Cardin. pro quibus Bal. cons. 14. n. 3. vol. 5.*
β *c. Nouit. n. 4. de Iudic. Vide sup. c. 59. & 60.*
γ *Ad l. 1. ff. de condict. ex lege. l. solent. ff. de alim. & cib. leg. Dixi Sac. Iur. contr. differt. 9. c. 13. n. 7.*

De pacto non declinandæ, & de prorogatiuo alienæ Iurisdictionis. *Ad ll. si quis in conscribendo. C. de Pact. & de Episc. & Cler. l. si conuenerit. ff. de Iurisd. l. 1. & 2. §. conuenire. ff. de Iudic.* Cap LXI.

1 *Pactum non declinandæ Iurisdictionis valet licet nudum.*
2 *Et cur.*

3 *Donatum olim nuda conuentione cur non valuerit.*
4 *Qui prorogat Iuriſdict. alterius Iudicis an videatur donare.*
5 *Pactũ nudũ prorogandæ Iuriſdictionis an valeat, & quando.*

PActum non declinandæ Iuriſdictionis valere palam eſt licet nudũ, aut ſimplex, vt conſtat duplici *ll. ſi quis in*
1 *conſcribendo. C. de Pact. & de Epiſ. & Cler.* Idq; ex veteris Iuris Regula, *omnes licentiam habere his, quæ pro ſe in-*
2 *troducta ſunt renunciare*, vt ibi, & bene, quaſi enim tradidit, qui proprium ius remiſit, vt ſic a traditione incipere pactum videatur, & ſynallagmate veſtiri. *l. Iuriſgentium. ff. de Pact.* Dixi ſupra.[a] Et de pacto hoc accipi etiam ſolet, quod de Quoduultdeo legitur in *c. 1. de Iudic.*
Dices. An non & pactum alienæ Iuriſdictionis prorogatiuum liberalitatem ſapit? An non tradere aliquid e ſuo dicitur, qui Iuriſdictionem dilatat Iudicis non ſui?
Reſp. Qui de prorogando paciſcitur, nihil donat, ſed do-
3 naturum ſe promittit; ex pacto autem nudo donationis ante Iuſtinianum actio oriri nequaquam potuit. Multo minus tradit, qui prorogaturum ſe dicit. Dico amplius;
4 Qui de prorogando pactum pangit, nec donat, nec donare vult, aut poteſt, vt qui Iudicem nõ ſuum onerat potius, quam honoret, nam legis Iuliæ authoritate compellitur ei Iudex quaſi ſubdito ius dicere *d. l. 1 & 2. §. conuenire. ff. de Iudic.* vbi Fab. [b] Hinc Iuriſdictionẽ nanciſcitur Iudex prorogatus etiã ignorans, atq; errans. *d. § cõuenire.* ibi. *Et putet ſuã Iuriſdictionẽ.* Sed nec parti donatũ quidpiã intelligi poterit, vnuſquiſq; enim paciſcentium egit, vt ſibi ipſi commodum faceret, non vt de Iure ſuo aliquid re-

mit-

mitteret, alioqui in vnoquoq; contractu donatio fieret, nã qui se obligat sẽper de Iure suo remittere aliquid cẽsetur.
5 Ergo prorogandi pactum ab ordinarijs nudę conuentionis regulis causam suam habet, & obligatione deficitur. Nisi tamen aditus iam Iudex fuerit. *d.l.si cõuenerit*. tunc enim iam non prorogaturi ex pacto sunt, sed prorogant, se seque quasi tradunt Iudici non suo. Denique tunc incipit pactum impleri, quia non ante cępit Iurisdictio prorogari, quam cœperit exerceri, vt per Fab. γ

α *cap. 54. et 55.*
β *In rationalibus.*
γ *Ibid.*

Pactum prorogatiuum valere incipere, postquam aditus Iudex est. Sed numquid contestatione litis opus sit. *Ad l. si conuenerit. ff. de Iurisd. om. Iud. l. 1. & 2. §. conuenire. ff. de Iudic.* Cap. LXII.

1 *Pactum prorogatiuum firmatur aditione Iudicis.*
2 *Priuatorum consensus ad prorogandum sufficit.*
3 *Prorogatur Iudex etiam ignorans.*
4 *Prætor non iudicat, sed ius dicit.*
5 *Lis coram quo contestaretur.*
6 *Vocari nemo in ius potest, nisi Iudice authore.*
7 *Contestatio Iurisdictionem non facit, sed præmittit.*
8 *Aliud Iudicium, aliud Iurisdictio est.*

PActum nudum, quo alieni Iudicis Iurisdictio prorogatur, inde incipit ratum esse, quo aditus Iudex fuit. *d. l.*
1 *si conuenerit. ff. de Iurisd. om. Iud.* Igitur necessaria quidem aditio est, sed non contestatio, quod receptum comm. a

contra Accursium. Placet autem ita de re agere, vt non vltra ambigi de veritate possit.

Et sufficeret, quod ait Vlp. *in l. 1. ff. de Iudic. Si* (inquit) *se subijciant aliqui Iurisdictioni, & cōsentiant, inter consentientes cuiusuis Iudicis, qui Tribunali præest, vel aliam Iurisdictionem habet, est Iurisdictio*. Audio tamen respondentes, hac lege non satis explicatum, an reuocari consensus iste possit, vel minus. Sed perperam. *Est Iurisdictio* (inquit Vlp.) nec potest simul eius esse, & non esse; quomodo enim sua, & non sua?

2 Idem Vlp. postquam docuit *in d. l. 2 §. cōuenire. ff. de Iudic.* consensum priuatorum sufficere ad prorogandam Iurisdictionem, veruntamen, si aditus Iudex fuerit; subnectit

3 quæstionem. An si priuati consentiant de prorogando, ignoret autem Prætor, eos in se quasi Iudicem non suum consentire, & quasi ex propria Iurisdictione agat, prorogari Iurisdictio videatur. Et prorogari respondet; quod ibi sentiens Accursius hæc verba profert. *Hic est argumētum, quod etiam ante litem contestatam est Iurisdictio. Sed dic; hic forte lite contestata.*

4 Nescio, quam bene. Nam Vlp. de Prætore loquitur, cuius erat ius dicere, non iudicare, & sic coram eo lis non contestabatur, sed deinceps coram Iudice, hoc est, Recuperatore. Et huc spectant leges, quæ nominatim agūt de proroganda Iurisdictione aditi Prætoris, & præcipue *d. l. si conuenerit*. Non enim possunt de aditione per contestationem capi, cum lis coram Prętore non contestaretur, sed daretur ab eo Iudex, penes quem contestatio fieret. Excusat non nihil ignorantia vetustatis, volo, sed est alia for-

forte ratio, quæ ſatis euidens.

Ait Tribun. *in §. omnium. Inſtit. de in ius voc.* omnium actionum inſtituendarum principium ab ea parte Edicti proficiſci, qua Prætor edicit de in ius vocando. Certi au-
6 tem Iuris eſt, non aliter valere poſſe vocationem in ius, quam, ſi authoritate eius fiat, ad quem Iuriſdictio pertinet. *l. ſi quis. ff. de Iudic. l 2. ff. ſi quis in ius voc. non ier.* Ergo conteſtari lis non poteſt, niſi præcedat in ius vocatio, hęc autem fieri non poteſt, niſi authoritate eius penes quem fieri conteſtatio debet. At quomodo decernere eam
7 poſſit prorogatus Iudex, ſi Iudex non eſt, niſi cõteſtata lite? Denique conteſtatio Iuriſdictionem non facit, ſed ſupponit, facit quidem Iudicium, vt probaui; γ Iuriſdictionẽ vero non facit, quam præmittit potius; aliud enim Iudicium, aliud Iurisdictio eſt.

α *Ripa ad c. 1. de Iudic. n. 52. allegans pro eadem re Alex. in l. quidam conſulebant ff. de re Iudic. & Fely. in c. inter Monaſterium. n. 4. de ſent. & re iud.*
β *Ad l ſi conuenerit. ff de re iud. & l. 2. §. conuenire. ff. de Iudic.*
γ *Sac. Iu contr. diſſert. 3. c. 6. & ſup. c. 51.*

Reiectus Accurſius, qui pro conteſtatione pugnauerit. *Ad l. ſi cum dotem. §. eo autem tempore. ff. ſol matr. & l. non videtur. ff. de Iudic.* Cap. LXIII.

1 *Soluto matrimonio dos communis Patri, & Filiæ.*
2 *Et quo tempore Patri agere volenti filiam conſentire oporteat.*
3 *Et an, vel quando reuocare conſenſum poßit.*
4 *Procurator ante conteſtatam litem libere reuocatur.*
5 *Conſentire non dicitur in Iuriſdictionem, qui vocatus venit, vt ſcire poßit, an Iuriſdictio eius ſit, qui vocauit.*

NEgauit Accurs. [a] prorogari Iurisdictionem pacto valido, nisi fuerit coram Iudice prorogationis contestata lis; idque Vlpiani authoritate *in l. si cum dotem. §. eo au-*
1 *tem tempore. ff. solu. matrim.* Præmittes ex eod. Vlp. *in l. 2. §. quod si. ff. eod.* si soluto matrimonio filia reperiatur esse in Iure proprij parentis, a quo profecta dos sit, tunc, & patris, & filiæ dotem videri esse quasi communione quadá inter eum, eamque, *quare* (inquit) *pater non aliter, quam ex voluntate filiæ petere dotem neque per se, neque per procuratorem potest.* Cum itaq; soluto matrimonio patri pro filia agere volenti actione de dote consentire filia debeat, statim requirit *in d. § eo autem tempore,* quando filiá opor-
2 teat consentire. Respondet vero, eo tempore consentire filiam oportere, quo lis contestatur; *& secundum hæc* (inquit) *si filia dicat, se patri consentire, & ante litis contestationem mutauerit voluntatem, vel etiam emãcipata sit, frustra pater aget.* Vides, ante contestatam litem fas esse filiæ pœnitere, & consensum reuocare.

Sed nescio, argumentum ne a simili sit, vel a dissimili magis; Nos enim de consensu in alienam Iurisdictionem loquimur; Vlpianus autem de patre disputat, qui agere corá Iudice suo vult, sed non potest sine consensu filiæ, quæ & ius dissentiendi habet fauore dotis. Cum itaque agere Pater debeat corá proprio Iudice, iam non fundanda, sed
3 fundata Iurisdictio pro eo est. Vnum itaq; superest, quod requiramus, cur filia, quæ patri consensit, exinde possit vsq; ad litis contestationem dissentire. Æstimo autem, filiam consentiendo patri, vt communi nomine agat, quasi mandatum ei dare, nam re vera partim proprio nomi-

ne pater agit, partim filię. At procuratoris ea conditio est, vt ante litem contestatam possit semper, & indicta causa reuocari, secus contestata lite, nisi quid graue emerserit. *l. ante litem. cum seq. ff. de Procur. c. 2. eod. in 6.* Igitur extra rem Vlpiani definitio est.

Plus negocij quibusdam fecit Modestin. *in l. non videtur. ff. de Iudic. Non videtur* (inquit) *in Iudicem consensisse, qui edi sibi genus apud eundem Iudicem desiderat actionis.* Quáto igitur minus consenserit is, qui pure comparuit, se seq; obtulit iudicanti? qui enim (ait Fab.[6]) actionis genus sibi edi apud Iudicem petit, vtique eius implorat auxilium, authoritatemq; vt ab Aduersario etiam inuito editionem extorqueat, quo ipso imploratum quoque Iudicem agnoscere videtur.

Sed loquitur Modestinus iuxta veterē Iudiciorum ritum de Iudice illo, hoc est, recuperatore, quem proprius Prętor, aut iam prorogatus dedit cum formula, vt monuit idem Fab.[7] & causa quoque Modestini dissimillima est, nos enim de duobus consentientibus loquimur, ijsdemq; prorogantibus ex consensu, ille de eo agit, qui non con-
5 sentit, sed proferri sibi exemplum postulat actionis. Fieri autem potest (inquit Fab.) vt ex editione illa, quæ petitur, apparere possit, iustam causam habiturum illum, qui petijt, ne in eum consentire cogatur, quod nec sciri prius fere potest, quam editum genus actionis fuerit, pro cuius scilicet qualitate aut consentiendum sit, aut dissentiendum. Non igitur adhuc consentit, qui ideo petit editionem, vt sciat, an consentire debeat, an dissētire, sicut neque consentit in Iurisdictionem is, qui in ius vocatus ex

aliena

aliena Iuriſdictione venit, vt ſcire poſſit, an Iuriſdictio ſit eius, qui vocationem iuſſit. *l. ſi quis ex aliena. ff. de Iudic.* Hæc ille totidem verbis.

α *Ad l. ſi conuenerit. ff. de Iuriſd. om. Iud. l. 2. §. conuenire. ff. de Iudic.*
β *In Rational.*
γ *Ibid.*

An prorogatiuum pactum retractari impune, ac libere poſſit. *Ad l. ſi conuenerit. ff. de Iuriſd. om. Iud.* Cap. LXIV.

1 *Pactum prorogatiuum an retractari non aliter debeat, quam ſoluto eo, quod intereſt.*
2 *Priuilegium in alterius grauamen non dilatatur.*
3 *Quod legis permiſſu fit, pœnam non meretur.*
4 *Pactum nudum non obligat, & cur.*
5 *Vnuſquiſque tenetur ſcire leges.*
6 *Pactũ prorogatiuũ qui ſeruare recuſat an doli actione teneatur*

NEgat communis ſententia ſcribentium, α retractari impune poſse, ſed quod alterius paciſcentis intereſt
1 præſtari oportere, tanquam in obligatione facti. *l. ſtipulationes non diuiduntur. verſ. nec Celſus ff. de verb. oblig.* & quia facultas recedendi a pacto quaſi conceſſio quædam legis eſt priuilegio ſimilis, quæ in alterius grauamen por-
2 rigi nequaquã poteſt. *arg. l. 2. §. ſi quis a Principe. ff. ne quid in loco pub. c. ſuper eo. de off. deleg. c. dilecti. c. ſuggeſtum. de decim. c. quid per nouale. de verb. ſig. c. in his. c. dudum. in fi. de priuil.*
3 Sed nihil minus. Nam quod lege permittente fit, pœnã non meretur. *l. Gracchus. C. de Adult.* & quod legitur in d. verſ. *nec Celſus*. de ſtipulatione eſt, non de nudo pacto;

quod

quod autem de priuilegio dicitur, omnino extra rem est, qui enim pacifcitur, non quasi ex speciali concessione recedit, sed mero Iure, quo pactum nudum non obligat, quia serium non præsumitur, vt supra.[β]

At (inquies) grauatur istamen, qui pacto stare velit, recedente altero. Alciatus negat, quia facultas recedendi non alterius paciscentis est, sed communis vtrique. *arg. l. vlt ff quod quisque Iur.* Ego etiam nego, nam qui grauatur, vel a lege grauatur, vel a se ipso. Et lex quidem grauare eum potest, quia ratione nititur publici boni, hoc est, litium dirimendarum, vt supra.[γ] Qui etiam se ipsum grauat, imputare debet sibi, cur ita velit; at stulte egit pasciscendo, qui sciuit, se nuda pactione neque obligari po-
5 tuisse, neque obligare, debuit enim scire leges, quæ de pactione sunt eiusmodi, vt ante.[δ]

6 Quæres, an de dolo actio locum habeat. Resp. habere interdum, si reuera insit dolus, hoc est, machinatio ad decipiendum alterum adhibita, quod tunc euenit, cum quis suasione, consilio ve fraudolento, aut alia simili machinatione inducitur ad faciendum aliquid, a quo damnum habeat, sic, vt cum machinatione concurrere & damnũ debeat; vide *l. si cum mihi. l. & eleganter. § seruus pactionis* (de quo alibi[ε]) *ff. de pact.* Ergo non eo ipso de dolo actio nascitur, quo pactum nudum non seruatur, sed committi dolum opus est.

α *De qua Alciat. in c. 1. n. 29. de Iudic.*
β *c. 54.*
γ *c. 57.*
δ *d. c. 57.*
ε *cap. 22.*

De

De etymo possessionis. *Ad l. 1. ff. de acq. poss.* Cap. LXV.

1 *Possessio a sedibus.*
2 *Quasi sessionis positio.*
3 *Possessio a pedibus, & a sedibus.*
4 *Qui mores incipientium possidere olim.*
5 *Stare quid.*

PAulus magistraliter *in l. 1. ff. de acq. possess. Possessio*
1 (inquit) *appellata est, vt & Labeo ait, a sedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit.* Est igitur Paulo possessio quasi *sessionis*, hoc est *sedis positio*. Et vt
2 explicat Vacon. [a] (vel comminiscitur potius) ex eo sic dicta est, quod homines, antequam conditæ essent Ciuitates, vbi pro tempore, & pro opportunitate morabantur, sessiones, hoc est, sedes ponebant rusticas, vtp. tuguria, & pecudum caulas in eo ipso loco, quo secundum naturam vtebãtur. Quod & satis grammaticalis ratio suadet penes Alciat. nam verba hęc, possidere, assidere, considere, residere, dissidere *a sedeo* sunt.
3 Adnotat Alciat. [b] in vulgatis Codicibus scribi *pedibus*. Sed vulgatam lectionem, & falsam, & manifeste falsam penes eos, qui literas se nosse profitentur, audacter pronunciat. [c] de qua re alij quoque contendunt. [d]
Inutilem disceptationem viri maximi illustrem fecere [e]. Rem ego duobus verbis absoluo. Nam, si quęrendum de etymologia, hoc est, de vera nominis notatione est, *a sedibus* possessio dicitur. Sin allusio placet, quæ magis videatur ex ratione Iuris, *a pedibus* tunc conuenientius trahitur. Ex ratione (inquam) Iuris, si audis Paulum *in l. 3.*

in

in princ. ff. eod. Quod autem diximus (ait iste) *& corpore, & animo acquirere nos debere possessionem, non vtique ita accipiendum est, vt, qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire, dum mente, & cogitatione hac sit, vti totum fundum vsque ad terminum velit possidere.* Atqui circumambulatio
4 primarium munus est pedis; solebantque olim qui possidere voluissent (ait Connan. [e]) omnes fundi glebas circumambulare, vt nulla pars non calcata pedibus videretur, quod prehensionis loco esset. Id tamen, quia superstitiosum videbatur, & prope ridiculum, satis deinde ad possessionem adipiscendam habitum est, si pars aliqua fundi pertingeretur, vt ibi Paulus notat. Tu a veteri ritu circumambulationis facile percipies, quid illud sit, quod dico, plus legibus stetisse pedes, quam sedes. Quam bene Celsus *in l. quod meo. §. si Venditorem. ff. de acq. possess?* Nam si venditor mihi fundum monstret e mea turri, & vacuã tradere se possessionem dicat, *non minus* (inquit) *possidere cœpi, quam si pedem finibus intulissem.* Nec desunt penes Tullium, & alios pro hac ipsa re loca opportunissima, de quibus Forcat. Tholos. & alij [f].

Quod si cũctis faciendũ est satis, equidẽ in vtraque sententia & habere *pedes* velim, & *sedes*. Quod dũ recogito, retro est Paulus, qui mihi, vt ita loquar, insufflat *in d. l. 3. §. ex contrario. Non magis* (inquit) *eadem possessio apud duos esse potest, quam, vt tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.* Quam bene? De possidente itaque dicimus vtrumque, vt & *stare* dicatur, & *sedere*, & sic possessio æque bene a *pedibus* dicitur, & a

se-

sedibus ex Paulo; *stare* enim aliud nihil est, quam in se[ε], suaq; mole consistere, cui opponitur *sedere*. Vnde Plaut[η].

Hos, quos videtis stare hic captiuos duos,
Illi qui stant hi stant hic ambo non sedent.

α *lib.2.declar.32.n.4.*
β *d.l.1.n.2.ff de acq.possess.*
γ *lib.1.dispunct.c.1.*
δ *d.l.1.n.1.Forcatul.Necyom.dial.73.Vacon.sup.Petr.Gregor.Syntagm.lib. 1.c. 13.n.9.Ex Grammaticis Valla lib.2.Antitodot.aduersus Pog.&c.*
ε *lib.3.c.8.n.1.*
ζ *Sup.*
η *cap.2.*

De origine, & successu possessoriæ rei. *Ad d.l. 1. ff. de acq. possess.* Cap. LXVI.

1 *De origine possessionis imaginatio Vaconij.*
2 *Dominia rerum vnde cœperint.*
3 *Et cur distincta inter gentes.*
4 *Occupanti quæ concedantur.*
5 *Effectus occupationis.*
6 *Possessio olim confundebatur cum dominio.*
7 *Et quando seiuncta ab eo fuerit. 9.*
8 *Dominium traditione transfertur.*

IMaginatur Vacon.[α] vnumquemque olim ante conditas Ciuitates, & priusquam distincta dominia rerum essent,
1 gregem suum habuisse, & rusticam supellectilem, potuisseque in vno aliquo loco consistere, vbi sedes poneret, & animalia pasceret, sic, vt nemo repellere eum posset, vel ibi prius velle demorari, quam suo ipse arbitrio locum reliquisset. Hanc itaque detentionem fuisse olim fortasse *possessionis* nomine appellatam. Quod si verum forte est,

id tamen ad hodiernos mores haud facile Vaconius traxerit, inutile igitur commentum eius rei est. Præstat, vt possessionis ortum, simulq; ad hæc vsque tempora perennitatem a legibus ipsis demonstremus, & cur variatum deinceps, aut quæ fuerit variandi occasio, vel necessitas, nitidius ostendamus.

2 Docet Paul. *in l. 1. ff. de acq. poss.* ex Nerua filio, dominium rerum a naturali possessione cœpisse, *eiusq; rei vestigium remanere in his, quæ terra, mari, cęloq; capiuntur, nam hæc protinus eorum sunt, qui primi possessionem eorum apprehenderint. Item bello capta, & insula in mari enata, et gemmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inuentæ eius fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est.* Hęc Paul. Congruit illud sacræ literæ. *Quodcumque calcauerit pes tuus, tuum erit,* licet alia forte fuerit eius loci sententia, vt ad Donellum bene

3 scribit enucleator Osualdus [e]. Enimuero, cum rerum dominia distinguenda essent, sic suadente vsu, & humanis necessitatibus. §. *ius autem gentium. Instit. de Iu. nat.* omnes gentes hanc sibi legem ratione ipsa dictante condidere. *Quodcumque calcauerit pes tuus, tuum erit.*

4 Ex ipsa itaq; calcatione, occupatione, & apprehensione rei, quæ possidenda esset, dominia statim cum ipsa detētione obueniebant, prout & hodie efficitur in his, quæ communia remansere; occupanti enim conceduntur, vt aer, aqua profluens, mare, & litora Maris; quo in numero sunt bello capta, insulæ, gemmæ, & alia, quæ Paulus ibidē memorat, & ad satietatē Iustin. *tit. Instit de rer. diu.*

5 Igitur ex occupatione ipsa, seu apprehensione duo contingebant occupanti, videl. detentio apprehensæ rei (vsū

alij

alij vocant, hoc eſt, incubationem quandam in re, inſiſtentiam alij) & cum detentione ſtatim dominium. Et
6 propterea vix, ac ne vix quidem poterat a dominio ſeiungi detẽtio iſta, quã poſſeſsionis nomine appellamus, nam cum dominio confundebatur omnino, ſicut & hodie cõfundi quodammodo videtur, quando ſimul quis, & poſſeſsor eſt, & dominus, de qua re Conna ? Denique tunc naturalis poſseſsio dominum faciebat, ſicut facere hodie poteſt, ſi occupetur ex eis aliquid, quæ communia, & in nullius dominio remanſere.
7 At poſtquam diſtincta fuere dominia rerum, clareſcere ſtatim cœpit natura poſseſsionis a dominio ſeiunctæ, non enim occupari potuit, occupatum ve acquiri, quod in dominio eſſet alterius, ſed concedi a domino debuit cauſa aliqua, ſeu titulo intercedente, qui ex condicto Iuris gentium, & declarare domini voluntatem poſset, & ad
8 transferendum dominium valeret. Denique introductũ eſt, vt non ante videretur tranſlatum dominium eſſe, quã ſi res tradita a Domino fuiſſet, & quidem cum cauſa. *l. numquam nuda. ff de acqui. rer. domin.*
9 Et tamen contingere multis ex cauſis poterat, vt quis in detentione, ſeu poſſeſsione alicuius rei reperiretur, neque aliud oſtendere, quam factum poſſet, & beneficium detentionis iſtius naturalis. Ecce enim Iauolen. *in l. quæſtio. ff. de verb. ſig. Quicquid apprehendimus* (inquit) *cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus*. Opus ergo fuit Legislatoris ope, qua poſsidendi actus poſt diſtributa dominia rerum ad lucem vocaretur. Scio, Iauolenum non vno modo accipi ab
In-

Interpretibus, [δ] sed ipsi viderint; sat est, verum esse, quod dico.

α *lib.2.declar.32.n.2.*
β *lib.5.Comment.cap.6.*
γ *lib.3.Comm.cap.8.n.2.*
δ *Vide inf.cap.196.*

De eadem re, & de essentia possessionis, quæ cum probatis Authoribus ad oculum demonstratur. *Ad eand. l. 1. ff. de acq. possess.* Cap. LXVII.

1 *Possessio, detentio, incubatio, insistentia, vsus.*
2 *Qualis vsus possessio sit.*
3 *Possessio semper ad dominium collimauit.*
4 *Nemo acquirit dominium facto proprio.*
5 *Possessionis cum proprietate nexus monstratur.*
6 *Colonus non possidet.*
7 *Nec creditor pignus.*
8 *Minus fructuarius, & alij quidam.*
9 *Nemo dominus, qui non idem aliquo modo possessor.*
10 *Possessor abusiue quis.*
11 *Ad rationem veræ possessionis quid exigatur.*
12 *A marito donatum mulier vere possidet, & cur.*
13 *Possessionis definitio.*

EX occupatione igitur, seu apprehensione rei quid est, quod acquiritur, præterquã detentio, seu factum quoddã detentionis? Apprehendimus .n. vt teneamus, vt incubemus, vt insistamus, vt (inquam) re vtamur, nam hæc
1 omnia idem sunt. Possessio itaque & detentio est, & incubatio, & insistentia, & vsus. *Vsus* (inquã) *rei quidã*, talis .n. definitio fuit Galli, talemq; Festus prodidit, & Iauolenus

recepit *in l. quæstio ff de verb. sig.* Sed qualis vſus? *Quidam vſus*, ſic enim ex Gallo Feſtus loquitur referẽte Cuiac. ᵃ Non ergo proprie vſus, ſicut legatum dicitur *donatio quædam*. Non eſt enim vſus, hoc eſt, ſeruitus, non etiam vſus, hoc eſt, applicatio rei ad id, in quo facta, nata ve eſt. Vſus ergo quidam, ſic enim Cuiac. ᵇ ſtatuit poſt multa, quæ prætereo. Qualis ergo vſus? Explicat idem Author peregregie. Et vſus plane (inquit) qui poſſeſsio dicitur, nihil præterea eſt, quam incubatio, quo nomine appellata poſſeſſio fuit *in l. vlt. C. Ne rei domin. vel templ. &c.* Datur enim vſus fori, balnei, porticus, & cuique noſtrum patet vſus iſte publicarum rerum, nec tamẽ forum, balneũ, aut porticum poſſidemus, quia in eo vſu non eſt incubatio, non inſtitio, vel inſiſtentia, ſi enim inſiſteremus, & ſic poſſideremus, non poſſet alius in eadem poſſeſsione ſtare. *l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. poſſeſſ.* Et tamen plures balneo ſimul vti poſſunt, nec minus balneo publico vtor ego, quam & alius vtatur, nihilque mihi demit vſus alterius. *l. ſi vt certo. §. vlt. ff. Commod.* nam ſine incubatione vſus iſte eſt. Hæc Cuiac. totidem verbis. Deniq; poſſeſſor ita vtitur, vt totum teneat, totique incubet totus, vnde & vetus illa circumambulatio, quæ totum circuiret. *l. 3. in princ. ff. de acq. poſſ.*

3 Licet autem hodiernis moribus aliud dominium ſit, aliud poſſeſsio, licet (inquam) non inuicem ſe confundãt, vt olim. *d. l. 1.* attamen, ſicut olim poſſeſsio ſemper ad dominium collimauit, ita & hodie, & ſic aliquo modo naturã ſuam retinuit, & retinet. Ecce ſola voluntas Domini, etiã iuſta cauſa accedente, quæ ad transferendum dominium

idonea

idonea ſit, non ſufficit, nec perficit acquiſitioné, niſi poſſeſsio conſequatur, hoc eſt, niſi rem dominus tradiderit, & ſic ante traditionem remanet dominus, qui ante erat dominus. *l. ſi ager. ff. de rei vend. §. per traditionem. Inſtit. de rer. diu. l. traditionibus. C. de Pact.* quam rem perpulchre e narrans Donel. hoc quaſi iuris naturalis principiũ
4 ſtatuit in rebus acquirendis, vt nemo acquirere dominium poſsit facto ſuo, ſed facto eius, cuius poteſtati, & manui ſubdita res eſt, quod ita conſequitur quis, ſi eam ceperit, ſi eius poſſeſsionem nactus ſit, hinc enim dominium naſcitur gentium iure. *d.l* 1. Iam vero in alterius re non aliter effici id poteſt, quã ſi eam dominus tradiderit.
5 Denique (quod bene habet, & ſuſtinet Connan.) proprietas, & poſſeſsio ſe ſe mutuo nexu in eum modum cõplectuntur, alteraque alterius cauſam in eum modum ſequitur, vt deſtinatione animi eius, qui alterã habet, non ſeparentur. Vtar Connani verbis. Qui rem poſsidet (inquit) eius eſt, aut vult eſſe dominus, nec aliud eſt poſſeſsio, quam vſus rei competens ratione veri, aut ſperati dominij; vſuarius enim, & vſufructuarius re vtuntur non tanquam propria, ſed tanquam aliena, neuter enim poſsidet fundum, ſed is fundum poſsidet, cuius eſt proprietas, & cuius nomine ab Vſurario, ſeu ab Vſufructuario fundus detinetur, vt infra. Poſſeſſor autem non alia de cauſa poſſidet, quam, quia dominus eſt, aut ſe putat eſſe, aut ſperat poſsidendo quæſiturum ſe dominium; Denique, qui ſaltem propoſito & voluntate dominus eſt, vt dominus rem ſuam poſsidet, & ſic iure illius dominij, quod habet; qui bonę fidei poſſeſſor eſt, rem poſsidet ratione illius do-

minij, quod credit se habere; Qui autẽ possessor malę fidei
est, licet dominus esse non possit ordinario iure, ratione
tamẽ illius dominij possidet, quod fingit, & præsefert se
habere, aut quod sperat hodie se posse acquirere benefi-
cio longissimi temporis (de quo beneficio dubitatur, an
obtinuerit iure antiquo Romanorum) &, quicquid sit, cer-
tum est, neminem esse possessorem, qui non idem domi-
nus sit, aut vere, aut sane voluntate; quicunque enim
(nota) alia voluntate possidet, is non sibi, sed illi, quem
scit esse dominum, possidet, vt in Colono, vsufructua-
6 rio, & creditore, qui pignus accepit, perspicuum
fit; vt ecce. Colonus, qui fruendi causa rem alienam te-
net, & si iusta ex causa, nullam tamen possessionem ha-
bet. *l. non solum. §. 1. ff. de Vsucap.* vnde nullo vsquam tem-
pore vsucapit, aut præscribit. *l. 2. C. de præscr. 30. ann.* Cre-
7 ditor quoq; acceptum pignus iure quidem obtinet, sed
quasi alienum quid, & ideo non possidet, qua de causa
8 nec vsucapit. *l. sciendum. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. pignori. ff. de
Vsucap.* Fructuarius quoq; rem eousque detinet, quous-
que finito vsufructu redire ad proprietatem ius eius de-
beat. *l. 3. in fi. ff. de Vsufr.* & tamen nec possidet, ne-
que vsucapit. *l. acquiritur. in fine. ff. de acq. rer. dom. §.
idem placet. Instit. per quas pers. nob. acq.* Quibus addere
eum possis, qui in possessionem missus est, aut legatorum,
aut ventris, aut damni infecti nomine, aut rei seruandę
causa, nam mitti in alienas res dicitur tantum custodiæ,
& obseruationis causa, non dominij nanciscendi. *l. 3. §.
vlt. ff. de acq. possess.*

9 E contrario quoq; nemo dominus est, qui non idẽ posses-
sor,

ſor ſit, aut re ipſa, aut animi propoſito, ideſt, qui non
vere poſſideat, aut inuitus certe careat ſuæ rei poſſeſſio-
ne. Hæc ille fere, quæ & alij comprobant authorita-
te Theophili optimi, ac vetuſtiſſimi Commentatoris; [ε] a
10 quo etiam habes, interdum poſſeſſores appellari in iu-
re eos, qui res alienas non vt ſuas tenent, abuſiue tamen,
& appellatione ducta ab eo, quod prima fronte videtur,
11 non ex eo, quod eſt, non enim vere poſſident, ſed in
poſſeſſione ſunt ex Cuiac. [ζ] Et ſimul noueris, non exigi
ad rationem veræ poſſeſſionis, vt teneat quis opinione
12 domini, ſed vt domini affectu. Ecce enim mulier rem
a marito donatam vere poſſidet. *l. 1. §. ſi vir. ff. de acq. poſ-
ſeſſ. l. 1. §. deijcitur. ff. vnde vi.* quæ tamen nullam habere
opinionem dominij poteſt, cum ſciat, poſſidere ſe iniu
ſte, vtp. ex donatione legibus improbata. Affectũ ita-
que habet, qui ad poſſidendum ſatis.
13 Bene ſupini ingenij eſt, qui nunc poſſeſſionem neſciat
apte definire, videlicet, vt nihil præterea ſit, quam *detẽ-
tio rei cum affectu domini*. Rei tamen aptæ poſſideri, ad-
dunt alij, quod minime diſplicet, licet iuſtæ definitioni
non neceſſarium.

α *In l. 1. ff. de acq. poſſ.*
β *Ibid.*
γ *Comment. lib. 4. c. 17. n. 40.*
δ *Comm. lib. 3. c 9. n. 1.*
ε *In §. idem placet. Inſtit. per quas pers. nob. acq. & §. item. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.*

An penes tertium deponi vera poſſeſſio valeat. *Ad l. inte-
reſſe ff. de acq poſſ. l. licet. §. rei. ff. depos.* Cap. LXVIII.

1 *Sequeſter poſſeſſionis vere poſſidet.*

2 *Nec tamen affectum domini habet.*
3 *Possessio conuentionalis, seu irregularis.*

SI voluntate duorum inuicem de possessione contendentium fuerit penes tertium deposita possessio ea animi
1 destinatione, vt neuter eorum possideret, sed coram sequestro possessio staret, solus tunc sequester possidet, & quidem vere. *d. l. intereße. d. l. licet. §. rei.* nec tamen affectum, opinionemue domini habet, aut habere potest,
2 quod his, quæ diximus *sup.* contrarium valde est. Responderim ego (quicquid de hac re scripserint alij) fieri id voluntate litigatorum, quorum possessionem sequester habet, & repræsentat. Dant litigatores sequestro possessionem, quam ipsi habent cum affectu domini. Igitur affectus domini, qui in transmissa possessione est, affectum illum supplet, quem habere sequester non potest.

Subtile dices, sed non valde solidum. Ego vero nihil tam certum in iure existimo. Agitur enim in ijs legibus de possessione quadam conuentionali (sic liceat appellare) quæ legem sumit a partium, seu paciscentium volũtate, & quasi irregularis est, non enim eam sequester accipit, vt sibi habeat, vel retineat, sed vt victori restituat, quapropter nec vsucapere sequester potest. Possessionem quoque transferri in aliquem ea lege posse, vt post certũ aliquod tempus restituatur, eumq; qui, sic transfert, iterũ desinere possidere, author est Vlp. *in l. si quis vi §. 1. ff. de acq. poss.* quod bene explicat Connan. β Et de quadã contrarietate oppositarum legum vide Donel. γ

α cap·

α *cap. prox.*
β *Comment. lib. 3. c. 9. num. 2.*
γ *Comment. lib. 5. cap 13.*

Duos in solidum possidere, aut dominos in solidum esse, non posse, & cur. *Ad l. si ut certo. §. si duobus. ff. Commod.* Cap. LXIX.

1 *Qui possidet totum implet.*
2 *Dominium cœpit a possessione naturali.*
3 *Vsusfructus quomodo pars dominij.*

AIt Vlp. *si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatũ simul, Celsus filius scripsit lib. 6. Digestorum quæri posse, utrum unusquisque eorum in solidum, an pro parte teneatur. Et ait, duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse, &c.* Nescias propemodum, an sit facti ratio, vel Iuris. Nam factum sonat, non ius, quod scribit Paul. *in l. 3. §. ex contrario ff. de acq. pos.* non plus scilicet eandem possessionem apud duos esse posse, quam, *ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.* Sed quia non totum implet, qui stat, aut sedet, propterea opus fuit iuris interpretatione, aut suppletione quadam.

Habes veterem illam glebarum circumambulationem a Paulo ibid. *in princ.* quæ hodie quiescere iussa est; sufficit namque (ait ille) quamlibet fundi partem introire, dum mente, & cogitatione hac sit, qui intrat, vti totũ fundum
1 vsque ad terminum, velit possidere. Qui itaque possidet, is iuris interpretatione totum occupat, totum implet, toti incubat, neq; alteri locũ relinquit, vbi stare possit, aut sede-
2 re. Hæc itaq; causa est, cur duo in solidum non possideãt.

Atq; hinc etiam factum volunt, ne duo in solidum Domini esse possint, cum enim a naturali possessione dominium cœperit. *l. 1. ff. de acq. poss.* vtique, si duo in solidum possidere non possunt, ergo nec duo in solidum habere dominium possunt. Vide Fab.[a]

Credidi, duos in solidum Dominos esse non posse eiusdē rei, quia vere dominus plenam habere proprietatem dicitur; est autem plena, cui nihil deest, quæ scilicet cum pleno fructu, vsuq; & possessione est. *§. vlt Instit. d. Usuf. l. si extraneo. ff. eod. l. cum in fundo. ff. de Iu. dot.* quo etiam
3 sēsu vsusfructus dicitur pars dominij esse, hoc est, pars dominij pleni *in l. 4. ff. de Usufr.* cum alioqui non dominij pars sit, sed seruitutis. *l. recte dicimus. ff. de Verb. sig.* Denique, qui dominus est, totum implet, vt & qui possidet; qua ratione fit, duorum in solidum dominium, vel possessionem esse non posse. *d. §. si duobus.*

a In rational. ad d. §. si duobus.

An possessio Iuris sit. *Ad l. possessio in princ. ff. de acq. poss. & l. Nemo. C. eod.* Cap. LXX.

1 *Possessio facti est, & Iuris. 11.*
2 *Facti quæ dicantur esse, & Iuris.*
3 *Quæ facti, iuris, & animi remiss.*
4 *Fictiones a legibus possessio recipit.*
5 *Possessio olim cum dominio confundebatur, hodie quid.*
6 *Possessio quasi dominij currus.*
7 *Possessio plurimum ex iure mutuatur.*
8 *Nec tantum corporis, sed & Iuris est.*
9 *Possessionis causa postliminio non continetur, & cur.*

10 *Poſſeſsionis ratio duplex.*
12 *Natura poſſeſsionis cur inflexa a Iure.*
13 *De legibus iudicandum non eſt, ſed iuxta leges.*

POſſeſsionem dico facti eſſe. Sed qui ita defendunt, &
ius omnino abrogant, aut qui factum negant, & iuris
1 omnino volunt eſſe, ridiculi ſunt, non enim inueniret
forte Bartolus *truffas* meliores.
Facti poſſeſsio eſſet, ſi corpore, & animo ſemel apprehēſa
ijsdem neceſſario retineri, amitti ue, aut amiſſa etiam re-
cuperari deberet; ſi diſcrimen non eſſet volentium poſsi-
dere, non rerum, quæ poſsiderentur; vno verbo, ſi nihil
2 in cauſa poſſeſsionis fingere leges voluiſſent; facti enim
dicuntur eæ res, quæ naturales ſunt, & naturale homi-
nis factum exigũt nullam a Iure Ciuili fictionem admit-
tentes, aut peremptionem; iuris autem, quæ non natu-
raliter conſtant, ſed iuris intellectu, cumq; conſtitutæ a
Iure Ciuili ſint, eodem quoque iure perimuntur, cuius
3 fictionem recipiunt. Quæ ſint facti, iuris, & animi, &
quo diſcrimine habeantur, egregie docet Hotom. ᵃ
4 At prope innumeræ fictiones ſunt, quas a legibus poſſeſ-
ſio recipit, innumeræ etiam de poſſeſsione controuerſiæ
inter ipſos conditores Iuris, dum alij retrahere ad iuris ra-
tionem plura volunt, quæ alij in puris naturæ finibus
coercere nituntur.
5 At etiam poſseſsio olim cum dominij iure confundeba-
tur, hodie finis eiuſdem dominium eſt. Qui itaq; poſseſ-
ſionem dictitant Iuris eſse, eo maxime tueri ſe poſsint,
6 quod ſit illa quaſi dominij currus, aut vehiculum, mu-

tuantes

tuantes a Philoſophorum ſchola, quod de ſpiritu dicitur, qui quaſi currus animæ.
Sed & Papin. *in l. poſſeßio. in princ. ff. de acq. poſſ.* duas ha-
7 bet in eandem rem poſitiones, quarum altera, *plurimum ex iure poſſeſsionem mutuari*, altera, *poſſeſsionem non tantum*
8 *corporis, ſed & iuris eſſe*. Si poſseſsio a Iure mutuatur aliquid, id certe, quod ipſa mutuatur, iuris eſt, reliquum facti. Siq; & corporis, & iuris eſt, ab vtroque habet, vnde ſit; Vel, quod eſt, a facto habet, & corpore, quod autẽ quaſi mutuum capit, a Iure habet, & fictione iuris.
9 Idem Papin. *in l. denique. ff. ex quib. caus. maior.* negat, cauſam poſseſsionis poſtliminio contineri, *quia* (inquit) *plurimum facti habet.* At non plurimum diceret, ſi facti omnino eſset.
10 Cõſtantinus etiam *in l. Nemo ambigit. C. de acq. poſs. Nemo ambigit* (inquit) *poſseſsionis duplicem eſse rationem, aliam, quæ iure conſiſtit, aliam, quæ corpore, vtramq; autem ita demum eſse legitimam, cum omnium aduerſariorum ſilentio, & taciturnitate firmatur.*
Sed perperam bonus Imperator (ſi ſic ludere fas eſt) dum neminem ait ambigere. Eſt enim hucuſque qui dubitet, qui requirat, qui denique id ipſum auſit controuertere.
11 Et, o miſeræ leges? Poſseſsio facti eſt, dixi, & nunc dico, ſed quæ plurimum hauſerit a Iure. Ergo & Iuris poſseſsio eſt. Vt facti eſset, voluerunt legumlatores, & quantum per eos liceret, in ſuo facto naturali poſseſsionem reliquerunt. Sed prope inutilis futura erat, niſi aliquid etiam
12 Iuris addidiſsent. Quod igitur placuit de ea fingere, id factum eſt, aut fictum ſuadente vtilitate. Inflexa itaque hodie

die est natura possessionis, adeoque, vt plus habeat fortasse iuris, quam corporis.

13 An autem ita agere legumlatores debuerint, vt aliquid, vel multum naturam flecterent possessionis, nec disputare alij volunt, neque ego; non enim iudicare de legibus volumus, sed secundum leges. *arg. c. in istis.* 4. *distinct.*

a Quaest. 41.

De eadem re. Et conciliatus Paul. *in l.* 1. § *adipiscimur. ff. de acq. poss.* Cap. LXXI.

1 *Possessio meri facti non est.* 9.
2 *Furiosus, & pupillus an possint incipere possidere.*
3 *Pupillus dormientis instar est.*
4 *Sine animo possessio non acquiritur.*
5 *Cur incipiat pupillus absque tutore possidere.* 11.
6 *Alienare pupillus possessionem non potest, & cur.* 8.
7 *Potest tamen corpore desinere possidere.*
10 *An possessionem acquirere sit lucrari.* 12.

1 POssessionem esse meri facti, quod negauimus, & negamus, solus Paulus tenuisse mordicus videtur in *d. §. adpiscimur.*

2 Quaerebatur, an furiosus, & pupillus possent incipere possidere. Et, omissa quaestione furiosi, ad pupillum disquisitio remigrabat, proposita duplici sententia. Altera erat, pupillum non posse incipere possidere sine tutoris authoritate, quia non habet affectionem tenendi, hoc est, possidendi, licet rem tangat proprio corpore, sicut, si quis dormienti aliquid in manu ponat. Altera Ofilij, & Ner-

Neruę, quę recipitur, pupillum etiam ſine tutoris authoritate incipere poſſidere. *Eam enim rem facti, non iuris eſse.* Itaque & ius negatur, & pupillo ſimul adſcribitur factum poſſeſſionis, qui tamen poſſidere nequaquam poſſet, niſi tutore authore, ſi iuris poſſeſsio eſſet.

Vrget ſane Paulus, ſed illud tamen certo certius, nihil minus definijſſe eum, quam, quod facti poſſeſsio ſit. Quęrebatur, an pupillus per ſemetipſum acquirere poſseſsionem poſset, vel non aliter, quam tutore authore. Et erant de hac re duæ ſententiæ; Altera, neceſsariam eſse
3 Tutoris authoritatem, quia pupillus dormientis inſtar eſt,
4 tenendique, ſeu poſsidendi habere affectum non poteſt, poſseſsio autem ſine animo non acquiritur. Altera, nuſquam opus eſse tutoris authoritate, *quia poſseſsio facti eſt, non iuris*. Inter duas haſce ſententias Paulus, neutra recepta, determinat, pupillum poſse incipere poſsidere, hoc eſt, abſolute poſsidere (ait Cuiac.) ſine tutoris authoritate, ſi intellectum capit. Cum itaque non omnino approbet poſteriorem ſententiam, minus rationem probare intelligitur, qua ſola fulciebatur, ſcilicet, *eā rem facti non iuris eſſe*. Quod nunc ſufficit, nam ſi obtinere hæc ratio poſset, poſset etiam pupillus acquirere poſseſsionem, licet affectum nullum poſsidendi haberet, vt volebant Ofilius, & Nerua. Igitur meri facti poſseſſionem eſse, nemo cum iſtis dixerit, cum in ea clareſcere incipiat ratio Iuris.

5 Cur ergo incipit pupillus ſine tutore poſsidere? Reſp. Nō quia meri facti poſseſsio eſt, ſed quia tractatur de acquiſitione, de cauſa (inquam) lucratiua, in qua pupillus nō

indiget

indiget tutore authore. Aliud itaque dicendum eſset, ſi de alienatione tractaretur, etiam in cauſa ipſa poſseſsio-
6 nis, non enim alienare poſseſsionem pupillus poſset, niſi
7 cum tutoris authoritate. *l. pupillus. ff. de acq. rer. dom.* Poſset quidem corpore deſinere poſsidere, ſi de fundo exiret, nam hoc meri facti eſt, nec facere Ius Ciuile poteſt, vt qui a fundo diſceſsit, non diſceſserit, ſed cum vnusquisque animo dimittere poſseſsionem poſsit, pupillus tamen
8 animo dimittere eam non poteſt, niſi animum tutor ſup-
9 pleat. *l. poſſeßionem. ff. de acq. poſſ.* Sic denuo probatur, poſſeſsionem iuris quoque eſse, nam ſi facti omnino eſset, poſset pupillus, vt ſine tutore indifferenter acquirere, ita ſine tutore indifferenter relinquere.

10 At ſuſpectum forte credas, quod de pupillo acquirente dicitur, ſeu cauſa lucri. Nam poſseſsio ſine obligatione, aut certe ſine incommodo pupilli ſæpe acquiri ipſi non poteſt, ſi enim iniuſte occupat, obnoxius reſtitutioni fit, quod ſine moleſtia eſſe non poteſt, & ſæpe detrimento aliquo, vt per Donel.

11 Tu de hac re ſic ſtatuito. Poſseſsio facti eſt, ſed inflectitur ipſius natura a Iure, vbi opus ſit, neque aliter. Noluit hic lex factum pupilli poſsidere volentis pro infecto habere, ſi poſsidere pupillus ſe intelligat *arg. l. in bello. §. facti. ff. de Captiu.* quia neque oportuit quidem. Simulatque igitur poſseſsionem ingreſsus pupillus eſt, & voluit poſsidere, obtinet id, quod huius facti eſt, nempe poſsidet. In hac itaque ſpecie poſseſsio in ſuo eſse naturali relicta eſt, quia ſic poſse fieri arbitrata lex eſt. Erras tamen, ſi generaliter ex hoc infers, poſseſsionem nullatenus eſſe Iuris,

non

non enim tibi Paulus id probat, cum ab Ofilij, & Nerue voluntate dissentiat, vt dicebam.

12 Cur autem relicta in suo esse naturali possessio fuerit acquirente eam pupillo, non etiam amittente, veriorem forte causam non afferes, quam si dicas, acquisitionē non eius præiudicij, damniue esse, vt immutari debuerit natura possessionis; Est enim acquisitio sui natura lucrum, nec nisi ex contingenti, seu per consequentias, quas negligere lex solet, habere detrimentum potest.

a. *Comment. lib. 5. c. 11.*

De eadem re. Et conciliatus idem Paulus *in d. l. 1. §. si vir vxori. ff. de acq. poss.* Cap. LXXII.

1 *Donatio nulla valet inter virum, & vxorem.*
2 *Et an valeat donatio possessionis. 5.*
3 *Pro possessore possidere quis dicatur.*
4 *Iniustus possessor conseruatur a Iure.*
6 *Donatum inter virum, & vxorem quomodo possideatur.*

QVærebatur penes eūdem Paul. *in d. §. si vir vxori,* valeret ne donatio, si maritus vxori cederet possessione
1 sua ob causam donationis. Et dubitabatur, quia nulla donatio valet inter virum, & vxorem, ne mutuo amore se expolient. *l. 1. ff. de don. int. vir. & vxor.* vnde nec possessionis donatio stare potest inter eos. *l. inter virum. 46.*
2 *ff. eod.* Plurimorum tamen sententia fuit, possidere mulierem ea ratione insigni, *Quoniam res facti infirmari a Iure Ciuili non potest.* Quam eandem sententiam Paulus approbat h. v. *Et quid attinet dicere, non possidere mulierem,*

cum

cum Maritus, vbi noluit poſsidere, protinus amiſerit poſseſsionem? At profecto, ſi Iuris poſseſsio eſset, ſi, inquam, a Iure Ciuili infirmari res facti poſset, vxor vtique non poſsideret. *l ſi eum qui. ff. de donat. int. vir. & vx.*
Reſpondet Cuiacius plura, queis addi poſse cenſuerim, ibi quoque referri ſententiam quandam cum ſua illa ratione, ſed neque ſententiam probari, neq; ex conſequēti rationem. Verba, quibus aliorum ſententia refertur, & ratio ſunt hæc. *Plerique putant, poſsidere eam* (vxorem ſcilicet) *quoniam res facti infirmari Iure Ciuili non poteſt;* ſequitur Paulus. *Et quid attinet dicere, non poſsidere mulierē, cum Maritus, vbi noluit poſsidere, protinus amiſerit poſseſsionem?* Senſus Pauli hic eſt. Si dixero, mulierem non poſsidere, bene dixero, nam Iure Ciuili inſpecto non bene poſsidet, interdicta ſcilicet donatione inter virum, & vxorem. Sed nunc ſuperflua eiuſmodi diſquiſitio eſt, nā, ſi maritus deſinit poſsidere, ſique, eo deſinente, vacua poſseſsio fit, vxor illico vacuam illam poſseſsionem ingreditur, queque pro donato poſsidere non potuit, pro poſseſ-
3 ſore incipit poſsidere; nam rei vacantis poſseſsionem capit. Pro poſseſsore (inquam) is enim dicitur *pro poſseſsore* poſsidere, qui iuſtam poſsidendi cauſam demonſtrare non poteſt, ſed interrogatus, quomodo poſsideat, non aliter reſpondere poteſt, quam poſsidere ſe, quia poſsidet;
4 & nihilominus conſeruatur a Iure, & Iuris auxilijs munitur is, qui iniuſte poſsidet. *l. 1. §. deijcitur. ff. de vi, & vi arm.* vbi in puncto iſtius mulieris. *l. nemo. C. de acq. poſs.* Hanc igitur quæſtionem Paulus dirimit, & non eam, facti ne, aut iuris poſseſsio ſit, neque enim aliquid ex alio-
rum

rum ſententia probauit, vel ex ratione.

5 Hanc ipſam excitat idem Paul. *in d. l. ſi eum qui.* vbi caſus. Cum Titius venderet mihi fundũ, mandaui eidem, vt ex cauſa donationis fundum illum vxori meæ daret. Egit Titius, & fundum tradidit vxori meæ. Quæſitum fuit, an liberaretur Titius. Et reſp. liberari eum, addita ratione. *Quia licet illa Iure Ciuili poſsidere non intelligatur, certe ta-*
6 *men venditor nihil habet, quod tradat.* Hoc eſt. Non poteſt mulier quaſi ex donatione, & ſic quaſi ex Ciuili Iure poſſidere; ſed quia nullus in poſſeſſione eſt, non venditor, quia nihil habet vltra, quod tradat, non ego, quia nolui poſsidere, propterea acquirit mulier poſseſsionem quaſi vacantem, & pro poſseſsore incipit poſſidere. Et hoc eſt, quod magiſtraliter habet Vlp. *in l. quod vxor. ff. de acq. poſs. Quod vxor viro, aut vir vxori donauit, pro poſseſsore poſsidetur.*

De poſseſsione infantis compoſitæ legum controuerſię. *Ad l. 3. C. de acq. poſs. &c.* Cap. LXXIII.

1 *Pupillus quando incipere poſsit poſsidere.*
2 *Et quid ſi infans?*
3 *In rebus donatis haberi infantis adſenſus poteſt, & cur.*

VOluit Paulus *in l. 1. §. 1. ff. de acq. poſs.* pupillum poſ-
1 ſe incipere poſsidere, ſi intellectum capiat, etiam ſine tutore authore. Quod ſi infans ſit, poſsidere non poſse, præterquam tutoris authoritate. Sic enim habet *in l. quamuis §. infans. ff. eod. tit. Infans poſsidere recte poteſt, ſi tutore authore cœpit. Nam iudicium infantis ſupple-*

tur

tur authoritate tutoris. Utilitatis enim causa hoc receptum est, nam alioqui nullus sensus infantis est accipiendi possessionem. Pupillus tamen etiam sine Tutoris authoritate possessionem nancisci potest. Notas, infantem non posse incipere possidere, si tutor author non sit, pupillum vero posse, absq; tutore, si intellectum capit.

Et tamen huic contrarium legitur *in l. 3. C. de acq. poss.* vbi Decius Imp. h.v. *Donatarum rerum a quacunque persona infanti vacua possessio tradita corpore quæritur. Quamuis enim sint authorum sententiæ dissentientes, tamen consultius videtur interim (licet animi plenus non fuisset affectus) possessionem per traditionem esse quæsitam, alioquin (sicut consultissmi viri Papiniani responso continetur) nec quidem per tutorem possessio infanti poterit acquiri.* Vides contrarietatem, quę quoties agitauit Accursium, toties, & reliquos.

Sed quæ tantæ agitationis causa fuerit, non sane video. Nam fuisse dissentientes Authorum de hac re sententias, ipse te Imperator monet. Pugnasse cum Paulo Papinianum credere est, & pro Papiniano, cuius responsum non habemus, dictam ab Imperatore sententiam esse. An nõ cedere Paulus debeat?

Sed & illud verisimile est, de sola donatione fuisse disputatum, de hac enim Princeps loquitur. In rebus autem donatis plus, quam in alijs haberi infantis adsensus potest, quia de manu in manum ei traduntur. Vide Connan. [α] Gifan. [β] & alios [γ] eoque maxime, quod partem aliquam assensus ab infante exigit Imperator, vt ibi. *Licet animi plenus non fuisset affectus, &c.*

 [α] *Com-*

a Comment. lib. 3. c. 8. num. 5.
β In d. l. 3.
γ Ibid.

An solo animo amitti possessio queat, & conciliatus secummet ipso Paul. *in l. 3. §. in amittenda. & l. quemadmodum. ff. de acq. possess.* Cap. LXXIV.

1 *Differentia quædam dominij, & possessionis ex Vlp.*
2 *Solo corpore non amittitur possessio.*
3 *Sed solo animo vtique.*
4 *Tenere, & possidere quid.*
5 *Furiosus, dormiens, & ebrius an incipiant possidere.*
6 *Possessio cur solo animo amittatur.*
7 *Et quo sensu requiratur amissioni corpus, & animus.*
8 *Ad reuocationem donationis duo quæsita.*
9 *Vi deiectus possessionem quando amittat.*

NOuum videbitur, quod habet Paul. *in d. l. quemadmodum. Quemadmodum* (inquit) *nulla possessio acquiri, nisi animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est.* Nouum (inquam) nam sibi Paulus constans non videtur, cum solo animo amitti possessionem posse doceat. *in l. 3. §. in amittenda ff. de acq. poss.* h. v. *In amittenda quoque possessione affectio eius, qui possidet, intuēda est. Itaque, si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem. Igitur amitti & animo solo potest, quamuis acquiri non potest.*

1 Consentit Vlp. *in l. si quis vi. §. differentia. ff. eod. Differen-*

ren-

rentia (inquit) *inter dominium, & possessionem hæc est, quod dominium nihilominus eius manet, qui dominus esse non vult, possessio autem recedit, vt quisq; constituit nolle possidere.*

Contraria videntur hæc, sed verbis (inquit Donel. [a]) non re ipsa, statuit enim vtrumque, & vere, & recte, dici, sed alio, atque alio sensu. Verum itaque esse, quod definitur *d. l. quemadmodum*. possessionem amitti ani-
2 mo simul, & corpore, nam si corpore solo a possessione discedis, & non animo, possessionem non amittis, quia
3 animo eam retines; at, si solo animo constituis nolle possidere, cum adhuc in fundo sis, possessionem quidem amittis, non tamen, quia solo animo amittis, sed quia etiam corpore, licet in fundo sis, nam, sublato animo possidendi, iam nec corpus quidem posidet, cum inauditũ sit legibus, corpus absque animo possidere, licet possideat animus absque corpore.

4 Probat, quia *tenere*, & *possidere* non est ipso corpore rem attingere, sed ita attingere, vt affectionem tenendi habeas. Vnde igitur affectio hæc abest, inde & possessio procul est, etiam si toto corpore rem tangas. Exem-
5 plo sunt furiosus, dormiens, & ebrius, qui non possunt incipere possidere, si quid eis in manu ponas, quia affectu carent, licet corpore insistant. *l.* 1. §. 1. *ff eod.* quod enim possessionem iam quæsitam minime perdant, non refert, nam hoc ideo est, quia non possunt animo desinere possidere, & quia dubium est, si adhuc apud se essent, possessionem ne vellent derelinquere. Denique, si verum amamus (inquit) animus est, qui possidet, in

quo & corporis miniſterio vtitur; renuente eo, cui imperandi poteſtas eſt, nunquam miniſter poſſideret, hoc eſt, corpus.

6 Sed obſtabat. Cur enim dixerint leges, ſolo animo poſſeſſionem amitti? Cur ſolo? Atqui (reſpondet ille ſubtiliter) corpore, & animo poſſeſſionem amitti duplicem ſignificatum habet; vel enim, vt poſſeſsio amittatur, & corporis, & animi ope, vel, vt animus ipſe, & corpus res illæ ſint, quæ poſſeſsionem amittant. Si primum accipis, verum eſt, quod dicitur, ſolo animo poſſeſsionem amitti poſſe, quia animus ſolus ſufficit ex imperio, quod exercet in corpus. Si ſecundum, tunc non eſt animus ſolus, qui poſſeſsionem amittat, ſed etiam corpus, non enim poteſt animus deſinere poſſidere, quin & corpus cum eo deſinat. Sed & ſoli animo tribui res potuit, cum penes animum imperium totum ſit corporis.

7 Nec falli quidem Donellus potuit, quin ante ipſum errarit Accurſius[β]. Duo (inquit iſte) ſunt neceſſaria, ſi a corpore incipias; non enim ſufficit de fundo exire, niſi animum habeas deſinendi poſsidere. Sin ab animo incipis, tunc vnum ſufficit, hoc eſt, animus. Et hæc quidem dicendi formula, quæ prima fronte in actu duo ſemper neceſſaria ponere videtur, familiaris valde fuit Iuris conditoribus, qui crebro dixerunt, duo requiri ad aliquid, quorum alterum ſuapte natura ſatis abunde faceret, ſat enim ijs fuit, ſi generalem regulam poſuiſſent reſpectu illius, quod ſine altero, & per ſe nihil poſſet. Hinc Dioclet. & Maxim. *in l. ſi liqueat. C. de inoff. donat.* ſcripſere, ad reuocandam donationem duo requiri,

ri,

ri, consilium, scilicet & euentum, cum tamen solo euentu reuocetur. *l.2 .C.eod.* quod & alijs exemplis comprobat Gherar.[γ]

Sed contrarietatem Pauli alio modo cōponit Franc. Con-
9 nan.[δ] ex antecedenti lege. Dixerat enim eum, qui nollet in fūdum reuerti, quod vim maiorem vereretur, amisisse possessionem; quapropter de eo loquitur *in d.l. quemadmodum.* non qui volens, sed qui inuitus possessione exuitur; nemo enim deijcitur nolens, quin & a corpore, & ab animo patiatur, & a corpore quidem, quia, vel deijcitur violenter, vel timore frænatur, ne accedat, quæ duo non admodum distare videntur. Ergo volens solo animo perdit, nolens non sic, nam *quemadmodum* (inquit) *nulla possessio acquiri, nisi animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est*, idest, aliquid actum, & in corpus, & in animum possidentis. Satis autem agere in corpus videtur, qui terrore in id agit, ne audeat accedere.

α *Comm lib.5.cap 13.*
β *d.l.quemadmodum.*
γ *lib. enucl.possess.cap.14.*
δ *lib.3.c.9.num.4.*

Obliuione possessionem amitti, non furore, & quæ ratio discriminis. *Ad l.si is qui.& l.si id quod.ff. de acq.poss.* Cap. LXXV.

1 *Furiosus non desinit possidere.*
2 *Et cur.*

3 *Furiosus dormienti similis.*
4 *Obliuiosus possessione cadit.*
5 *Verumtamen, si vere obliuiosus.*

SI is, qui animo possessionem saltus retineret, furere cœpisset, non potest, dum fureret, eius saltus possessionem amittere,
1 *quia furiosus non potest desinere animo possidere*. Ita Procul. *in d.l.1.§. si is qui.* Proponit ergo hominem, qui, cũ solo animo possideret, furere cęperit. At vbi animus? & tamen non amittit possessionem furiosus, sed eam affectu retinet, quem non habet. Igitur, quod animo possidendi de-
2 est, supplet ius, si quidem præsumit lex, furiosum, si ad se redeat, velle possidere.
Est, qui dicat, furiosum non amittere possessionem, quã
3 animo tenet, quia dormienti similis est. *l. nunquam.* §. *si seruus. ff. de Vsucap.* Qui autem dormit, licet possidendi animum non habeat, in quantum dormiens non intelligit, non habet tamen contrarium animum, non (inquã) animum suum mutat, & possessio non amittitur, nisi animus immutetur, hoc est, nisi animo statuamus non possidere. Nec male.
4 Sed objici his solet obliuiosus possessor. Nam, qui suę possessionis obliuiscitur, desinit possidere. *d.l. si id quod.* cum tamen obliuiscens possidendi animum non mutet, & possessionem amittere videatur inuitus.
Accurs. *a* multifariam soluit, sed nihil valde solidum. Tu sic constitue. Supplet lex furiosi, ac dormientis animum, quia fore præsumit, vt excusso somno, vel furore, dormiens, & furiosus possidere velint; non enim animo pos-

posidendi omnino excidunt, cum a somno surgere ille debeat, hic resipiscere per interualla, & nemo presumatur sua re velle abuti. Non ita supplet obliuiosi affectum, quippe qui interualla non habet, si vere obliuiosus est (etenim sic a dormiente distat, & a furioso, cum furiosus dormienti quidem, sed non obliuioso comparetur, quod nota) huic enim (hoc est obliuioso) cum memoria posidendi, quam perennis detinet obliuio, vt supponitur, excidit continuo animus, & in eam causam venit, quasi nusquam posedisset, aut de posesione cogitasset.

a *d.l.si is qui.*

Quę causa sit, vt per colonos desinamus posidere, licet ignoremus. *Ad l. peregre. §. vlt. ff. de acq. poss.* Cap. LXXVI.

1 *Interest, per nos ipsos posideamus, an per alios.*
2 *Coloni deiectione possessio amittitur.*
3 *Clandestina occupatio quatenus ignoranti præiudicet.*
4 *Corpore, & animo quæsita possessio quomodo amittatur.*
5 *Coloni corpus quasi corpus domini est.*
6 *Et quasi instrumentum possessionis.*
7 *Non tamen coloni animus, & cur.*

PApin. *in d. §. vlt. Cum de amittenda possessione quæratur* (ait) *multum interesse dicam, per nos met ipsos, an per alios*
1 *posideremus, nam eius quidem, quod corpore nostro teneremus, possessionem amitti, vel animo, vel etiam corpore, si modo eo animo digressi fuissemus, ne posideremus. Eius vero, quod serui, vel etiam coloni corpore posidetur, non aliter*

amitti poſseſsionem, quam eam alius ingreſsus fuiſset, eamq́; amitti nobis quoque ignorantibus.

Difficultas in eo eſt, cur poſseſsio amittatur ignorante, Domino, ſi colonus deijciatur, vel ſeruus; nam quod in ipſo Domino non eſſet, cur eſse debeat in Colono? Non
3 eſſet (inquam) in Domino, quia, ſi abſum, & me abſente, ac nihil tale ſuſpicante, fundum meum ingreditur cládeſtinus occupator, non amitto poſseſsionem, niſi, vel terrore correptus accedere noluero, poſtquam fundum intellexero occupari, vel acceſsero quidem, ſed vi deijciar, nam tunc vere excidit mihi poſsidendi animus. Deniq; ſi ignoro, non deſino poſsidere. *l. ſi id, quod. l. clam. §. qui ad Nundinas. ff. de acq. poſſ. &c.* Cur itaque, ſi deijciatur colonus, aut ſeruus, poſsidere deſinit & dominus, vtcumque ignorans? An non interim animo retinet? An recuperandi ſpem non habet? Nam & Celſus *in l. quod meo. ff. de acq. poſs. in fi. Si* (inquit) *dum in alia parte fundi ſum, alius quis clam animo poſseſsoris intrarit, non deſiſſe illico poſſidere exiſtimandus ſuum, facile expulſurus finibus, ſimul ſciero. Rurſus, ſi cum magna vi ingreſsus eſt exercitus, eam tantummodo partem, quam intrauerat, obtinet.* Et tamen licet ſpem Dominus habere poſsit repellendi eum, qui vi ingreſsus ſit, poſsidere omnino deſinit, qui dominus eſt, quia deiectus colonus fuit, & (quod plus) licet ignoret deiectum.

Eſt, qui doceat, nec male, totum hoc a fictione quadam legis eſse; vt enim poſsideo corporaliter per Colonum, ſic repelli videor corporaliter, cum ipſe abigitur, & adhibita in eum violentia in me ipſum videtur inlata,

quare,

quare, ſicut ego ipſe deiectus fuiſsem, ſic amitto poſseſsionem,
4 cumque & animo, & corpore quæſita poſseſsio tunc demum amittatur, cum contra vtrumque aliquid actum eſt. *l. quemadmodum. ff. de acquir. poß.* [a] vtique, qui armis colonum meum expulit, eo animo vim adhibuiſse negari non poteſt, vt, & ſi adfuiſsem, me ipſum fuerit eiecturus, animumque poſsidendi mihi excuſsurus; immo eum
5 illa ſpe veniſse certum eſt, non qua Colonum meum, ſed qua me ipſum deijceret. Sic coloni corpus quaſi corpus eſt domini, & coloni abiectio corporalis Domini abiectio corporalis eſt.
6 Rurſus, ſi coloni corpus quaſi inſtrumētum eſt, per quod poſsideo. *d. §. vlt.* conſtat ſimul deiectione illius amitti poſseſsionem. Corpus (inquam) coloni, non animus,
7 nam coloni animus non cenſetur animus domini, nec vice inſtrumenti eſt. Vide Paul. *in d. l. Peregre.*

[a] *Sup. cap. prox.*

Serui fugitiui poſseſsio cur penes Dominium ſtare iubeatur. *Ad l. 3. §. Nerua filius ff. de acq. poſſ.* Cap. LXXVII.

1 *Res mobiles quatenus poßideri videantur.*
2 *Et cur dißimilis cauſa ſeruorum.*
3 *Seruus acquirit domino, non ſibi.*
4 *Aberrantis pecudis, ac ſerui diſcrimen in cauſa poſseſsionis.*
5 *Serui fugitiui poſseſsio interdum amittitur.*

Docet Paul. *in d. §. Nerua filius.* res mobiles eatenus poſsideri, quatenus ſub cuſtodia noſtra ſunt, ideſt,
1 quatenus, ſi velimus, naturalem poſseſsionem nanciſci poſ-

poſſumus, hoc eſt, habere eas ſub noſtra manu, & poteſtate, *nam pecus* (inquit) *ſimulatque aberrauerit. &c. protinus deſinere a nobis poſſideri, &c.*

2 Sed cur homo excipitur? Nam *res mobiles* (ait) *excepto homine*. Sic ſeruorum, quos poſſidemus, diſſimilis cauſa eſt a cæteris rebus mobilibus, quotquot eæ ſunt; ſeruum .n. quamquam fugerit a nobis, atque ita fugerit, vt non ſolum cuſtodiæ noſtrę ſubducatur, ſed etiam ignoretur, vbi ſit, nihilominus placet vbique poſſideri. *l. 1. §. per ſeruum, qui in fuga. l. Pomponius. in princ l. ſi rem mobilem. ff. de acq. poſſ.* & tamen conſtat, hoc modo amiſſam nobis eſſe facultatem naturalis poſſeſſionis eius nanciſcendæ. Cur ergo eximitur ſeruus a mobilium rerum communi ratione? cur hic a pecude diſtare debet, ſi alibi non diſtat? vide. *l. 2. ff. ad l. Aquil.*

Duplex eſt huius rei ratio, vna, quæ facti cauſam iuuat, altera, quæ Iuris.

Prima eſt Papiniani *in d. l. ſi rem mobilem.* hoc ideo eſſe, quia licet ab initio ſic fugiat ſeruus, vt ſe domino, & poſſeſſori ſubtrahat, poteſt tamen propoſitum mutare, & ex redeũdi propoſito conſeruare Domino poſſeſſionem ſui, cuius corpore cæteras quoque res poſſimus poſſidere. Et profecto neſcias ſemper, an ſic fugerit a principio, non vt ſe Domino auferat, ſed vt iram tantiſper euitet Domini ſui, expectaturus, donec illa leniatur. Altera eſt Vlpiani *in d. l. Pomponius.* cum quo & Caius *in l. rem quæ. ff. eod. tit.* quia talis eſt perſona ſerui, vt non poſſit nos priuare poſſeſſione aliqua, vt (inquam) non poſſit aliarum rerum poſſeſſionem nobis interuertere, & proinde nec ſui

qui-

quidem. Cuius rei duplex quoque ratio potuit esse.
3 Altera, quod conditio ea est seruilis personæ, vt quicquid acquirit, quicquid habet, tenet ve, acquirat Domino. *l. acquiruntur. ff. de acq. rer. dom.* Esset autem absurdum dici possessionem nos amittere per eum, qui si quam voluntate sua obtineret, eam nobis acquireret. Altera fuit ratio communis vtilitatis, ne hoc modo inuitarentur ad fugam
5 serui, si viderent, in ipsorum potestate esse priuare Dominos sui possessione; aliter, atque in bestijs, seu pecudibus, hæ enim si aberrant, solo naturæ instinctu id faciunt, & custodientium culpa; at seruis dolum suum prodesse haud par est aduersus Dominos, qui etiam non tantæ negligẽtiæ merent accusari, quippe qui nullas a seruis, aut paruas accipere vtilitates possent, si tam diligenter eos, arcteque asseruare cogerentur, vt omnem fugæ commoditatem præripere deberent.
5 Sed neque id perpetuum in fugitiuo est, nam si ab alio forte possideatur seruus iste, aliena tunc occupatio facit, vt fugitiui Dominus desinat possidere; non enim desinit tunc facto serui, quod hic non admittitur, sed aliena occupatione, quę communibus regulis subiacet. *d. § per seruum, qui in fuga. d. l. si rem mobilem.* Hæc alij multi, quibus hęreo.

Possessionem serui amitti, qui pro libero se gerat, & quando. *Ad l. 3. §. si seruus. ff. de acq. poss. & l. si cui. §. licet. ff. de lib. cau.* Cap. LXXVIII.

1 *Cum seruis Iudicium non consistit.*

Ser-

Seruum posſidere deſinimus, ſi pro libero ſe gerit, in eũ tamen modum, vt in aperto id faciat, paratus, ſi a Domino prehenderetur, pro ſua libertate litigare, diuque in libertate moretur. Vnde Paul. *in d. §. ſi ſeruus. Si ſeruus* (inquit) *quem poſsidebam pro libero ſe gerat, vt fecit Spartacus, & iudicium liberale pati paratus ſit, non videbitur a Domino poſsideri, cui ſe aduerſarium præparat; ſed hoc ita verum eſt, ſi diu in libertate moratur; alioquin, ſi ex poſseſſione ſeruitutis in libertatem reclamauerit, et liberale Iudiciũ implorauerit, nihilominus in poſſeſsione mea eſt, & animo eum poſsideo, donec liber fuerit pronunciatus.*

Sed immo deſinit Dominus fugitiuum ſeruum poſsidere eo ipſo, quo litem ordinauit. Itaqne Gaius *in d. §. licet. Licet* (inquit) *vulgo dicatur, poſt ordinatum liberale Iudicium hominem, cuius de ſtatu controuerſia eſt, liberi loco eſſe, tamẽ, ſi ſeruus ſit, certum eſt nihilominus, eum, quod ei tradatur, vel ſtipuletur, perinde Domino acquirere, atque ſi non de libertate eius quæreretur. Tantum de poſſeſsione videbimus, cum ipſum poſt litem ordinatam deſinat Dominus poſsidere.* Quid ergo eſt? Accurſius ſuo modo rem explicat. Ego autem cum Donel.[a] conſentio, vt poſt liberale Iudicium inſtitutum deſinat ſeruus poſsideri ad vnam rem, nempe
1 ad Iudicium rite peragendum, nam alioqui cum ſeruis Iudicium non conſiſtit. *l. ſeruus. C. de Iudic.* Cæterum ad res cæteras, vt vſucapionem, & res per eam nobis acquirendas is ſeruus a nobis poſsideri intelligitur, vt nobis vſucapiat, & acquirat, quouſque liber fuerit pronunciatus, *vt d. § ſi ſeruus. d. §. licet.*

a lib. 5. comm. cap. 12.

Poſ-

Possessionem iuris quidem esse sed non ius. *Ad l. si ea res .§. 1. ff. de Act. Emp.* Cap. LXXIX.

1 *Possessio ius insistendi rei.*
2 *Obligatio ius, & Iuris vinculum.*
3 *Etymus possessionis.*
4 *Possessio cur Iuris dicatur esse.*
5 *Possessio Iuris est, & corporis.*
6 *Ius sine facto aliquo nostro non amittimus.*
7 *Ius non est multiplicabile, & quo sensu dictum.*
8 *Possessio autem multiplicatur.*
9 *Mulier rem a marito donatam vere possidet.* 12.
10 *Vi deiectus non possidet.*
11 *Et quæ illi actio prodita sit.*

1 AFfirmauerit id Bart. [a] qui possessionem finiuit *ius insistendi rei*; quasi vero ex facto ipso apprehensionis resultet hoc ius, quod *possessio* dicitur, sicuti ex con-
2 tractu, qui facti est, obligatio oritur, quæ ius est, & iuris vinculum. § 1. *Instit. de oblig.*
3 His rursum congruit etymus possessionis, nam *possidere* est *posse sedere*, quod est ius sedendi, & insistendi habere, & quidem ius conseruabile, vt *infra*.
Adhæret insigne illud Neratij *in l. si ea res. §. 1. ff. de Act. Emp.* Quærit enim, si duo rem emerint a non domino, vter præferri debeat, cum sint in pari causa tituli, & emptionis. Et respondet, *tuendum eum esse, qui prior ius eius apprehendit, hoc est, cui primum tradita est.* Qui igitur possessionem apprehendit, hoc est, cui primum res tra-

ditur,

ditur, is apprehendere dicitur ius rei.
Sunt & alia, quibus diserte exprimi videtur, possessionem esse ius. Nam *in l. peregre. in princ. ff. de acq. poss.* de eo qui pecuniam in terra condiderat custodiæ causa sic habet Papin. *Dixi, quoniam custodiæ causa pecunia condita proponeretur, ius possessionis ei, qui condidisset, non videri peremptum.* Nota ibi, *ius possessionis.* Et in *l. non ideo. C. de liber. cau.* possessor serui, qui in causa liberali vicerit, inconcussum possessionis ius dicitur obtinere. Et in *l. Nemo. C. de acq. poss.* postquã in Iudicium deducta causa est, possessor dicitur super Iure possessionis vacillare.
4 Sed possessionem Iuris esse volo, quia fictiones recepit Iuris, ius esse nego. Atque hic error omnis. Aliud est, possessionem esse Iuris, aliud esse Ius; nam, si Iuris est, non implicat, vt & facti possit esse, & corporis, at, si ius est,
5 implicat. Possessionem esse Iuris Papin. docet *in l. possessio. §. 1. de acq. poss.* si ex hoc infers, possessionem esse ius, ergo & corpus erit, nam idẽ Papin. nõ tantũ Iuris esse possessionẽ dicit, sed & corporis, quia scilicet ab vtroque accipit possessio, & a corpore quidem, vt sit, acquiritur enim maxime actu corporis, & tandiu retinetur, quandiu corporalẽ possessionem repetere possumus, cum volumus. *l. 3. in princ. & §. Nerua. ff. de acq. poss.* a Iure vero, quia & ab eo plurima mutuatur, vt ibidem Papin. docet, & nos hucusque satis exposuimus.
6 Sed nec minus certum est, possessionem non esse ius, quam constet, eandem esse Iuris. Nam, si ius est, nemo illud sine facto nostro auferre nobis potest, seu minuere, subripiendo, contrectando, vendendo, traden-
do

do ue; manet enim ſemper integrum, & dominium, & pignus, & ſi quid aliud ius noſtrum fuit in re ablata. *l. debitorē. C. de pignor. l. nec filius. C. de reb. cred. l. ſoluendo. ff. de neg. geſt.* At poſseſsio ſtatim amittitur ſine facto noſtro, ſi res nobis ſubrepta fuerit, vel vi erepta. *l. 3. §. ſi rem. l. rem quæ. ff. de acq. poſs.* valet enim, quod ante dicebam, vnamquamque rem eatenus nos poſsidere, quatenus naturalē, ideſt, corporalem eius poſseſsionem nāciſci, hoc eſt, repetere, cum volumus, poſsumus. *d. l. 3. in princ. & §. Nerua.*

7 Præterea, ſi ius poſseſsio eſt, ergo non eſt multiplicabile, vt ita loquar, argumento Dominij, quod ſemper vnum, & idem manet tranſiens a vero domino in eius ſucceſsorem particularem, aut vniuerſalem, iux. *l. ſi ego. §. 1. ff. de Iure Dot.* Obligationes quoque, & actiones, quæ penes Authorem erant, tranſeunt illæ met vel in vniuerſalem ſucceſsorem, *t. t. C. de hæred. act.* vel in ſingularem, vtp. ceſsione, aut delegatione. *t. t. ff. de hæred. vel act. vēd. & de Nouat. & deleg.* In poſseſsione autem ſecus eſt, nam, quæ penes authorem fuerat, non eſt illa eadem, quam vniuerſalis, vel particularis ſucceſsor habet; alia enim defuncti poſseſsio eſt, alia hæredis, alia Authoris, alia ſucceſsoris ſingularis, veluti Emptoris, donatarij, legatarij, mariti, &c. *l. cum hæredes. §. 1. l. Pomponius. §. præterea. cum ſeq. l. quod. meo. §. 1. ff. de acq. poſs.* Et bene, vna enim pedum poſitio vnius non eſt pedum poſitio alterius, & factum vnius non eſt factum alterius. *§. ſed cum factū. Inſtit. de ſtip. ſeru. l. inter Artifices. ff. de ſolut.* Sed neque animus vnius poteſt eſse animus alterius, & ſic de ſingulis.

De-

Denique, ſi poſseſsio ius eſt, duo conſequuntur neceſsa-
ria. Alterum, vt omnis, qui poſsidet, ius detinendi, &
poſsidendi habeat; Alterum huic contrarium, vt omnis,
9 qui non poſsidet, ius non habeat inſiſtendi rei. Vtrum-
que falſum; Nam mulier rem a Marito donatam vere,
poſsidet. *l. 1. §. ſi vir. ff. de acq. poſſ.* & tamen mulier iſta,
ius tenendi, & poſsidendi non habet, quia illi maxime
aduerſatur lex, vnde Iure ciuili intelligitur non poſsidere.
10 *l. ſi eum qui. ff. de donat. int. vir. & vx.* E contrario domi-
nus, aut iuſtus poſseſsor deiectus vi de poſseſsione amplius
non poſsidet. *l. naturaliter. ff. de Vſucap.* & tamen is ius te-
nendi, & poſsidendi maxime retinet, qua etiam de cau-
11 ſa illi actio prodita eſt ad poſseſsionem ſtatim recuperan-
dam, interdictum vnde vi. *l. ſi quis vi. in princ. ff. de acq.
poſ. l. 1. ff. vnde vi.* Neque alio ſpectat rei vendicatio, quę
domino datur, quam, vt hæc poſseſsio, quæ iure apud
eum eſse debet, ei reſtituatur. *l. officium. l. qui reſtituere. ff.
de rei vend.* Si is, qui poſsidet, interdum ius tenendi non
habet, & qui tenendi, poſsidendi ve ius habet, interdum
non poſsidet, qui vnquam dixeris, poſseſsionem eſse Ius?
Verum vltima hæc ratio, quæ Doneli eſt, contra autho-
12 rem ſuum retorqueri maxima ex parte poteſt. Nam mu-
lier, quæ donatum aliquid a Marito poſsidet, non habet
certe poſsidendi ius, ſi modum ſpectaueris, quo poſsidet,
a Iure Ciuili non probatum; ſed tamen vere poſsidet, ſi-
que deijciatur a poſseſsione, interdictum habet, quo poſ-
ſeſsionē recuperet. *l. 1. §. deijcitur ff. de vi & vi arm.* Ergo
poſsidendi ius habet, quia & illi ad poſseſsionem recupe-
randam prodita actio eſt; cur enim ius non habeat poſ-
ſidendi,

ſidendi, qui tueri poſſeſſionem ſuam iure poteſt, licet iuſte non poſſideat, & a Iure Ciuili intelligatur nō poſſidere? Quod idem ad iniuſtum quemlibet poſſeſſorem protendere eſt, nam quod poſſidere non intelligitur, ad modum pertinet, ſeu cauſam, quæ iuri non probatur.

a *In l. 1. ff. de acq. poſſ.*

De eadem re, & obiectorum conciliatione. *Ad d. l. ſi ea res. §. 1. &c.* Cap. LXXX.

1 *Ratio veræ poſſeſsionis.*
2 *Poſſeſsio dicitur ius rei.*

POſſeſſionem facti eſſe, iam non dubitamus, & ideo, vel iuſta ea ſit, vel iniuſta, veram ſemper poſſeſsionem
1 eſſe, & fatemur, & volumus, vt *infra*. Iuſtæ tamen poſſeſsioni plus multo defert Ciuilis lex, quam iniuſtæ, ſic enim decuit. Quapropter qui poſsidet, & factum habet, & ius, nam & facto tenet, & Iure; & qui rem apprehendit, duo conſequitur, nam & detentionem inde habet, quæ facultas eſt naturalis ſtandi in re, & naturalem poteſtatem repetendi, quando velit; & cum detentione ius quoque habet, hoc eſt, iura omnia, quę naturali poſſeſsioni tributa a lege ſunt; demum qui poſsidet, & ſedere poteſt actu corporis, & id ipſum facit acceſsione Iuris. Non eſt itaque poſſeſsio ius, hoc eſt, purum ius, ſed, & factum, & ius; &, vt non ſimplex factum, cum fictionem recipiat Iuris, ita nec ſimplex Ius; factum denique (ſic loqui liceat) qualificatum a Iure. Nulla etenim poſſeſſio eſt, quæ Iuris qualitates non receperit. Si iuſtam quę-

ris, non habes, vnde valeas dubitare; si iniustam, hanc certe non licuit acquirere, quia titulum non habet, non modum, non causam, quæ iuri probetur; dicitur tamen possessio vera, *l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. poss.* possessio legitima, *l. Nemo. C. de acq. poss.* quia ius a lege habet, & actionem, qua conseruetur. *l. 1. §. deijcitur. ff. de vi. &c.* Vno verbo; Qui possidet, ius quoddam & a natura habet, & a lege. A natura; nam, cum ipse rem teneat, ipso facto naturali suæ detentionis potior est illis, qui in rei possessione non sunt, quod idem Iure etiam Ciuili postmodum inualuit. A lege etiam, quia quæcumque a Iure mutuari possessio potuit, ipse nanciscitur. Qui itaque rei possessione eijcitur, is, & sua detentione, quæ in facto consistit, deturbatur, & omni iure simul denudatur, quodcumque possessori tributum a lege fuerit, vt sic non male dixeris, ius possessionis ei ademptum, aut peremptum. *d. l. peregre.* quod si peremptum non fuerit, inconcussum obtineri. *d. l. non ideo. C. de lib. cau.*

Sed veniamus ad ea, quæ potiora sunt. Plaudit certe, Nerat. nedum obstet, *in d. l. si ea res. §. 1. ibi. Is ex nobis tuendus est, qui prior ius eius apprehendit, hoc est, cui primum tradita est.* Satis enim constat, possessionem eo loci non simpliciter accipi, & ex se, sed in quantum pro-
2 ducit effectum iuris, hoc est, prælationem, & ideo Iuris nomine appellari. Possessio etiam ius rei dicitur, sicut vsus, & vsufructus *in l. stipulatio ista. §. si quis forte. ff. de Verb. oblig.* Scio, fuisse, qui distinguendum æstimarint inter ius simpliciter, & ius rei, sed ipsi viderint.

Nec aliunde melius intelligi potest, quod volumus, quã

ex

ex Constan. in opposita *l. nemo. C. de acq. poss.* Ait Imp. non posse intelligi eum possessorem, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causa in iudicium deducta super Iure possessionis vacillet, & dubitet. At is certe, cum quo de proprietate agitur, non dubitat de possessione sua, scit enim possidere se, atque adeo se aduersarium actori constituens hoc animo est, vt velit rem pro sua tenere; sed vacillare incipit, & dubitare de Iure possessionis. Possessio quidem certa est, possidet enim etiam post litem contestatam is, cum quo Iudicio agitur. *l. si post acceptum. ff. de rei vend. l. 2. §. vlt. ff. pro Empt.* Sed incertum possidendi ius, hoc est, incertum, possit ne is, qui possidet, suæ possessionis causam ostendere, quæ Iuri probetur; quare nec possidere quidem intelligitur, effectu scilicet Iuris, nam si victus fuerit, nihil ei proderit ea possessio. *d. l. si post acceptum. l. moræ. C. eod. de rei vend. l. nec bona. C. de præscr. lon. temp.*

Denique possessionem Iuris esse aio, quæ & simul facti sit, sed non ius, nam re ipsa factum esse, quod iuris qualitatem receperit, sic exigente hominum vsu. Ex quibus omnibus sic possessionem finio, vt sit *factum, quo rem corporalem detinemus, plura mutuans a Iure.*

Vnicam esse possessionem. *Ad l. nemo. C. de acq. poss.* Cap. LXXXI.

1 *De diuisione possessionis sententiæ.*
2 *Possessio naturalis trifariam dicitur.*

3 *Sicut triplex genus posseßorum est.*
4 *Iusta, & iniusta posseßio quo differant.*
5 *Vna est posseßio, non multiplex, & quomodo.*
6 *Ius Ciuile quid.*
7 *Et an differat specie a Iure naturæ.*

VNicam esse voluere Placent. & Azo, quæ plures haberet qualitates, non species, ex *l.* 3. §. *genera. ff. de*
1 *acq. poss.* si quid ibi Paulus de hac re probat. Ioannes glossator bipartitam fecit, naturalem scilicet, & ciuilem ex *l. quod vulgo. ff. pro Empt. l.* 1. §. *deijcitur. ff. de vi, & vi ar. l. nemo. C. de acq. poss.* Tripartitã Bart.[a] videlicet naturalem, ciuilem, & corporalem; sed naturalem addidisse se protestatus est in gratiam euidentioris doctrinæ. Quinquepartitam recentiores, vt & ipsi aliquid fecisse viderentur, naturalem, ciuilem, ciuilem simul, & naturalem, corporalem, & ciuilissimam.

Recepta frequentius duplex illa fuit, qua reliquæ omnes cõtinerentur, vt naturalis alia sit, alia Ciuilis, eáq; sequuti melioris notæ Interpretes sunt, licet non eodem explicãdi modo.[b] Quibus adsentiens Donel.[y] considerat, trifa-
2 riam dici naturalem possessionem in Iure nostro ad relationem ciuilis possessionis, sicut genus triplex possessorum est. Vno modo, vt ea sit possessio naturalis, cui insistimus corpore, vera tamen, & iusta possessio, & hoc nomine distinguatur ab ea, quæ solo animo constat. *l.* 1. & 3. §. *Neratius*. §. *Nerua. l. cum hæredes. in princ. ff. de acq. poss.* Altero, vt possessio naturalis vera quidem possessio sit, sed iniusta, qualis est vxoris in re a Marito donata. *l.*

1. §. *deijcitur. ff. de vi, &c.* sic dicta, non quia teneatur solo corpore, animo vero nequaquam, sed quia, siue corpore teneatur, & animo, siue animo tantum, defenditur sola corporis detentione, & non ciuili Iure, vnde, & ciuili possessioni opponitur. *d. §. deijcitur.* Tertio, vt possessio naturalis ea dicatur esse, quæ alterius nomine detinetur ex iusta aliqua causa, vt coloni, fructuarij, creditoris in pignore, & sim. *l. 2. §. 1. ff. pro hær.* ad differentiam Ci-
3 uilis, quam sibi possessor, non alteri tenet. Dixi; *Sicut triplex genus possessorum est;* nam & qui possidet, aut iuste, & vere possidet, vt in primo, aut vere, sed non iuste, vt in secundo, aut nec vere, nec iuste, quia tantum detinet, vt in tertio.

4 Connanus, & Donel. nisi duplicem possessionis speciem non agnoscunt, naturalis scilicet & ciuilis, hoc est, iustę, & iniustę. Reliqua, quę dicta sũt, negant. Sed hoc ego impatiẽter audio, quod de iusta dicitur, & iniusta possessione, non enim alio differunt, quam modo, quem ciuilis ratio probarit, vel improbarit, hic autem ad substantiam non pertinet, nec specificam differentiam facit.

5 Quid dicendum? Placet opinio Placent. & Azon. vnicam esse possessionem, quæ tamen duas recipiat qualitates. A natura alteram, vt constet actu corporis, cui & animum accedere opus est, vt sit actus humanus, actus (inquam) hominis. Alteram a ciuili lege, quæ naturali facto plurimum addiderit, vel detraxerit. Et hoc est, quod Papin. ait in *l. possessio. in princ. ff. de acq. poss. Et plurimum ex iure possessio mutuetur.* quodcumque enim naturæ addit, minuitque ratio ciuilis, id ciuile dicitur,

6 & eſt. Sic, cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, hoc eſt, naturali, ius proprium, ideſt, ciuile efficimus, ait Vlp. *in l. ius Ciuile. ff. de Iuſt. & iu.* & quod addimus, vel detrahimus naturali facto poſſeſsoris, ciuile eſt, id enim lex facit, non natura. Vna itaque poſſeſsio eſt, quæ duas habeat qualitates inter ſe differentes ſpecie, ſeu forma, non vt ipſa multiplex ſit.

7 Nec mirare, in vna, eademque re duas eſſe qualitates, quę ſpecie differant inter ſe, nam & corpus quodlibet phyſicum conſtare ſolet qualitatibus inter ſe eo modo diſcrepantibus. Sed nec rurſus addubites, qualitates eas, quas dico, ciuilis, & naturalis poſſeſſionis, differre ſpecie inter ſe, nam & ius quoque naturale, & ciuile ſpecificum diſcrimen habent, vt in eleganti diſtinctione Sot.[δ] Poſſeſsionem conſtare ex naturali, & ciuili non quaſi duplicem ex ſpecie duplici, ſed quaſi vnum ex duplici qualitate, non dubitabis ex his, quæ infra latius.

α l 1 ff. de acq. poſſ.
β Duaren. in comm. de acq. poſſ. Cuiac. obſ. lib. 9. c. 33. Conn. lib. 3. c. 10. num. 5.
γ Comm. lib. 5. c. 17.
δ de Iuſt. & Iu. lib. 1. q. 5. art. 2.

Ciuilem, & naturalem poſseſsionem ſpecie non diſtare ob id, quod hæc corpore detinetur, illa animo. *Ad d. l. Nemo.* Cap. LXXXII.

1 *Naturalis poſseſsio quæ.*
2 *Et quæ Ciuilis.*
3 *Plus, & minus non faciunt differre ſpeciem.*
4 *Ratio poſſeſsionis quæ apud Conſtant.*
5 *Poſſeſsio ſolo animo retinetur.*

6 *In vsucapione exigitur continuatio possessionis.*
7 *Possessio obligationi comparata.*

SI naturalis, & ciuilis possessio sunt duæ species differentes ob id, quod illa corpore detinetur, hæc animo, non plus constare poterit vna, eademque possessio & naturali simul, & ciuili possessione, quam possit vnum, atque
1 idem corpus homine simul, atque equo constare. Corpore apprehensam possessionē naturalis possessionis nomine appellamus, quod certū. *l. 1. in princ. ibi. naturaliter. l. 3. §. Neratius. ibi. naturalis possessio. & § Nerua. ibi. naturalem possessionem. l. cum hæredes. in princ. ibi. naturaliter cō-*
2 *prehensa. ff. de acq. poss.* Sed & eandem, quæ naturalis est, ciuilem quoq; dicimus, si legi probetur, immo ex generali iuris regula nulla est Ciuilis possessio, quę itidē naturalis non sit. Fatemur, solo animo retentā possessionem plus quodammodo ciuilem esse, quam, quę & corpore simul, & animo teneatur; nam plus aliquid operari legem, dū soli animo tribuit, quod & corpori simul tribuendum esset, & sic actum supplet corporis sua fictione. *d. l. 3. §. Ne-*
3 *ratius.* protritum tamen illud est, quod totidem verbis proferri solet. *Plus, & minus non faciunt differre speciem.* Donel.* profitetur, in iure sæpius naturalem possessionē eam dici, quæ corpore teneatur, at nullam esse legem, qua caueatur, ciuilem eam esse, quæ teneatur animo. Adumbrari id tamen ex *d. l. Nemo.* vbi Constant. *Nemo ambigit, possessionis duplicem esse rationem, aliam, quæ iure consistit, aliam, quæ corpore.* Iure, hoc est, animo, nam corpori non idonee ius opponitur, sed animus. Negat

tamen Donel. inde effici, vt duplex possessio videatur, nam *duplicem rationem* dicit Imperator, non duplicem
4 speciem. Ratio possessionis non speciem significat, sed modum, quo possidemus, vt est in Latinorum vsu. Cic. *Omnis honesta est ratio expediendæ salutis*. Adde *l. clam. in princ. ff. de acq. poss.* Nos paulo ante explicauimus, duplicem esse rationem possessionis, hoc est, duplicem qualitatem, aliam a Iure, per quam Ciuilis appellatur, aliam a corpore, & actu corporis, a qua naturalis dicatur, & huic plaudunt ea omnia, quæ in ea lege Constãtinus definit.

Connan.[g] diuisionem hanc ciuilis, & naturalis possessionis in binam speciem, quasi ab animo, & actu corporis somnium esse dicit male affecti hominis, atque ita existimo. Ait Paul. *in d. l. 3. in princ. Et adipiscimur possessionẽ corpore, & animo, neque per se animo, aut per se corpore*. Et rursus *in l. quemadmodum. ff. eod. Quemadmodum* (inquit) *nulla possessio acquiri, nisi animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi vtrumque in contrarium actum est*. At hęc ipsa possessio, quæ corpore, & animo acquiritur, eisdẽq; & corpore, & animo dimittitur, illa est procul dubio ea-
5 dem, quæ retinebatur medio tempore, & quidem solo animo, nam solo animo retineri possessionem liquet. *l. qui vniuersas. §. quod per colonũ. l. clam. §. qui ad Nundinas. l. quamuis saltus. ff. de acq. poss. l. licet. C. eod. § possidere. Instit. de Interd.*

Eandem esse non dubitabis; nam si duę illæ possessiones specie differrent, possessio vtique, quę animo retineretur medio tempore, possessio noua esset, & ab vtraque illa pos-

possessione longe distans, quæ animo simul, & corpore acquireretur, dimittereturque, quod absurdum, multiq́; 6 etiam momenti in re vsucapionis; nosti enim, in vsucapione exigi continuationem possessionis. *l. 3. ff. de Vsucap.* at, si noua possessio esset, interrumperetur vtique medio tẽpore vsucapio, quod nemo dixerit. Et certe possessionẽ nudo animo retentam non posse ab ea separari, quæ animo simul, & corpore capta esset, satis ostendit Dioclet. *in ead. l. licet.* dum ita loquitur. *Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest.* Et ad 7 rem facit Papin. *in d. l. quamuis saltus. Vt eodem modo* (inquit) *vinculum obligationum soluitur quo quæri adsolet, ita non debet ignoranti tolli possessio, quæ solo animo tenetur.* At quis dubitare possit, eandẽ semper esse obligationem, dũ incipit, dũ manet, dum resoluitur? Adde, quę Connan. γ

α *Comm. lib. 5. c. 7.*
β *lib. 3. Comm. c. 10. n. 4.*
γ *d. n. 4.*

De eadem re, & sententia Pauli *in l. 3. §. Nerua. ff. de acq. poss.* Cap. LXXXIII.

1 *Res mobiles quatenus possideantur.* 4.
2 *Naturalem possessionem nancisci penes Paulum quid.*
3 *Mobilium, atque immobilium rerũ in possessione differentia.*

PAulus *in d. §. Nerua.* hæc habet de possessione rei mobilis. *Nerua filius res mobiles, excepto homine, quatenus* 1 *sub custodia nostra sint, hactenus possideri, idest, quatenus, si velimus, naturalem possessionem nancisci possumus.* At, si possidemus, quomodo nanciscimur? aut, si nancisci de-

be-

bemus, quomodo possidemus? Ergo fiet, vt sequens naturalis possessio, quam nanciscimur, noua possessio sit, & ab ea differens, quam ante obtinebamus, hoc est, animo retinebamus.

Sic plerique arguunt, non aduertentes, idem esse, vt in
2 custodia nostra res aliqua sit, &, vt naturalem eius possessionem nancisci posimus. Quid namque est illic naturalem possessionem nancisci? certe nihil aliud, quam inuenire eam rem posse, quæ in custodia nostra sit, eiusque actualem possessionem repetere pro libito etiã posse, sic enim Paulus confestim. *Nam pecus, simulatq; aberrauerit, aut vas ita exciderit, vt non inueniatur, protinus desinere a nobis posideri, licet a nullo posideatur. Disimiliter atque si sub custodia mea sit, nec inueniatur, quia præsentia eius sit, & tantum cesat interim diligens inquisitio.*
3 Vide, quæ ego alibi, & quæ ibidem Cuiac. peregregie, quo etiam interprete docet Paul. res mobiles eatenus posideri a nobis, quatenus sub custodia nostra sunt, in discrimen scilicet immobilium rerum, quarum possesio non sic facile excidit, vt rerum mobilium; Nam in rebus immobilibus pedem habemus, aut sedem *l. 1. l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. pos.* nec ita facile posunt occultari, vt ignoremus, vbi sint, quippe quæ in aperto, in propatulo semper sunt, nec nos facile latere posunt, quasi præsen-
4 tes, aut præsentium vice. Non sic res mobiles, in quibus nec stari dicitur, nec sederi, sed eatenus posideri, quatenus sub custodia nostra sunt, quatenus (inquam) si velimus, naturalem posesionem nancisci posumus, hoc est, inuenire, & manibus comprehendere, sic enim in-

tel-

telliguntur verba hæc, & non de apprehensione nouæ possessionis. Propterea (ait Paul.) si pecus aberrauerit, & nescio, vbi sit, sed tamen quæro, & custodiam teneo, intelligor possidere. Sin autem eo modo aberrauerit, vt neque sciam, vbi sit, neque custodire velim, statim desino possidere, licet possessionem alius non capiat. Consimiliter, si vas ita exciderit, in flumen puta, vel in profundum Maris, vt non inueniatur, amitto possessionem, licet nemo alius possessionē eius acquirat. Hæc ille.

De eadem re, & sententia Vlp. *in l clam. §. qui ad nundinas. ff. de acq poss.* Cap. LXXXIV.

1 *Duo insolidum an possideant, aut quando.* 5.
2 *Quatenus possideat, aut possidere videatur clandestinus occupator.*
3 *Clandestini, & violenti possessoris discrimen.*
4 *In possessione prima origo spectanda est.* 6.

AIt Vlp. *Qui ad Nundinas profectus neminem reliquerit, &, dum ille a Nundinis redit, aliquis occupauerit possessionem, videri eum clam possidere, Labeo scribit. Retinet ergo possessionem is, qui ad Nundinas abijt. Verum si reuertentem dominum non admisit, vi magis intelligi possidere, non clam.* Hic duo possident ex Vlp. alter corpore, qui scilicet possessionem occupauit, *clam enim possidere uidetur*, inquit ille; alter animo, sic enim sequitur. *Retinet*
1 *ergo possessionem is, qui ad Nundinas abijt*, quia videl. non repugnat, duos possidere in solidum inter diuersas species possessionis. Sed

Sed dubito, fuerit ne hic ſenſus Vlpiani; nam duos poſſidere in ſolidum non poſſe, plusquam certum eſt. *l.* 3. *§. ex contrario. ff. de acq. poß.* etiam ſi alter ſolo animo poſſideat. *l ſi id quod § vlt. ff. eod.* Adde *l.* 3. *§. ſi quis nuntiet. &* *l* 7. *ff. eod.* Quid ergo eſt, quod ait Vlp. *in d. §. clam.* retinere eum poſſeſsionẽ, qui ad Nundinas abijt? Numquid ex eo, quod poſſeſsio occupata clam fuerit, abſente, atq; inſcio Nundinatore, deduci hæc conſequentia debuit, vt animo poſſeſsionem retineat Nundinator?

2 Æſtimo, ſequelam iſtam veriſsime deduci, qui enim clã occupauit poſſeſsionem, non potuit incipere poſsidere, cũ ſi de eo nihil reſcijſset Nundinator, retinuiſſet animo poſſeſsionem, vt conſtat *l. quamuis ſaltus. ff. de acq. poſſ.* propterea valuit conſequentia hæc. ***Qui occupauit poſſeſſionem abſente, atque inſcio Nundinatore, videtur clam poſſidere, ergo retinet Nundinator animo poſſeßionem.***

Senſus autem Iuriſconſulti eſt. Si profectus ad Nundinas neminem reliquit, vel colonum, vel inquilinum, aut fructuarium, per quem poſsideret, &, antequam rediret a Nundinis, occupauit alius poſſeſsionem, hoc eſt, rem (vide *l. interdum. ff. de Verb. ſig.*) videtur occupator ille clam poſsidere; videtur (inquam) vere enim non poſsidet, ſed poſsidere videtur, iux *l. naturaliter. ff. de acq. poſs. l.* 1. *§. deieciſſe. ff de vi, & vi arm.* Et quia nõ poſsidet, ſed poſsidere videtur is, qui ſic rem occupauit, propterea Nundinator poſſeſſionem animo retinet. Quid ſi Nundinator, cum domum reuerteretur, ſciuit, poſſeſſionem ſuam clam occupari, & noluit accedere, quia timore conterritus, ne repelleretur, fuit, animo tunc deſijt

Nun-

Nundinator poſſidere, quare clandeſtinus poſſeſſor, qui non poſſidere cœperat, ſed detinere, ſtatim poſſeſſor verus factus eſt, & *clandeſtini* nomen retinuit. Quod ſi maluit Nundinator accedere, & vi fuerit repulſus, tunc, qui clam ingreſſus fuerat, non clandeſtinus poſſeſſor, ſed violentus dicitur, quia accedere cum vellet Nundinator, ſemper poſſeſſionem animo retinuerat, quouſque repelleretur.

3 Scopus denique Iuriſconſulti fuit, vt clandeſtini, & violenti poſſeſſoris diſcrimen faceret in caſu Nundinatoris, qui diſcedens neminem reliquiſſet, per quem poſſideret;
4 quaſi vero ſic loqui vellet. In poſſeſſione ſemper prima origo, & prima poſſidendi cauſa ſpectanda eſt, non ſuperueniens qualitas. *d. l. clam. in princ.* Tunc, ſi Nundinatore abſente, qui neminem reliquiſſet, furtiue aliquis & clam ingreſſus poſſeſſionem fuerit, is certe non poſſi-
5 det, quouſque animo Nundinator poſſeſſionem retinet, quia duo non poſſunt inſolidum poſſidere. *d. l. quamuis ſaltus, &c.* Sin autem reſcierit Nundinator, captam poſſeſſionem eſſe, aut accedere vult, vt occupantem repellat, aut non. Si recuſat accedere, quia ſibi timet, animo ſtatim poſſidere deſinit, &, qui ingreſſus eſt, poſſide-
6 re incipit quaſi clandeſtinus poſſeſſor, inſpecta ſcilicet origine ſuæ poſſeſſionis Sin autem accedere deſtinat, animo tunc poſſeſſionem retinet, donec vi repellatur, & qui clam fuerat ingreſſus, ſed poſſidere non potuerat quaſi clandeſtinus, obſtante ei poſſeſſione, quam animo retinebat Nundinator, poſſidere incipit quaſi violentus poſſeſſor; ſuæ namque poſſeſſionis origo non ab eo eſt, quod clam egit, ſed quod vi.

Ci-

Ciuilem, & naturalem possessionem specie non distare ob id, quod illa iusta dicatur, hęc non. *Ad l. 3. § ex contrario. & § genera ff de acq. poss.* Cap. LXXXV.

1 *Iniustæ possessionis ratio quæ.*
2 *Modus ad substantiam non pertinet rei.*
3 *Summa possessionis penes Paulum quæ.*
4 *Poßint ne duo insolidum poßidere.*
5 *Possessor verus totum implet.*
6 *Genera possessionum quot, aut quæ.*

SIc tenendum credimus, licet in contrarium vrgeant insignes tres Commentatores; *a* Mouemur autem, quia
1 possessio iniusta non ideo iniusta dicitur, quod ex se, suique natura iniusta sit, sed quia non iustus est modus,
2 quo ipsa acquiritur, modus autem ad rei substantiam non pertinet, vt modus est, sed extra eam est.

Possessio itaq; iniusta re ipsa non differt a iusta possessione, immo non iusta possessio, & vera possessio dicitur, & quia vera, etiam legitima. *l. nemo. C. de acq. poss.* manutentionemque a Iure habet, & interdicta possessoria. *l.* 1. §. *deijcitur. ff. de vi, & vi arm.* denique nihil continet iniustum, præterquam in modo, & ratione acquisitionis, cęterum iusta est, quia vera, nam verum, et iustum conuertuntur.

Sed & Paul. *in d. l* 3 §. *ex contrario.* non multum referre existimat *in summa possessionis*, iuste ne quis possideat, an
3 iniuste. Scio, maximos viros eo modo rem fuisse interpretatos, vt *summa poßeßionis* non aliud sit penes Paulum,

quam

quam genus possessionis, quasi vnum sit possessionis genus, species duę. Sed non bene, nam de genere, aut specie Paulus non disputat, sed de essētia, aut essentiæ veritate;
4 disputat enim aduersus Trebatium, qui docebat, posse duos insolidum possidere, alterum iuste, alterum iniuste, non autem duos iuste, vel duos iniuste, quasi vero diuersa esset substantia iustæ, & iniustæ possessionis, &, reiecta opinione Trebatij, monet, in summa, hoc est, substantia possessionis non referre, iuste ne quis possideat, an iniuste, vtramque enim possessionem veram possessionem esse, cum non magis (inquit) eadem possessio apud duos esse possit, quam, vt tu stare videaris in eo lo-
5 co, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris, scilicet, quia possessor verus totum implet, neque alteri locum relinquit.

Sed dubitationem statim inijcit idem Paul. *in d.l.* 3. §. *genera*. *Vel etiam* (inquit) *potest diuidi possessionis genus in duas species, vt possideatur, aut bona fide, aut non bona fide*. Oppositio valeret, nisi Iurisconsultus speciei nomen extra modum dialecticum perpetuo caperet; sic enim incipit. *Genera possessionum tot sunt, quot & causæ acquirendi eius, quod nostrum non sit, veluti, pro Emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro noxæ dedito, pro suo*. En possessionum genera sunt causæ, & tituli, quibus possidemus. Deinceps sententiam mutat, & vnum quasi genus constituit, cuius tituli illi sint quasi species, quas infinitas esse dicit. *Et in summa* (inquit) *magis vnum genus est possidendi, species infinitæ*. Et cum dixisset, species esse infinitas, hoc est, titulos, vel causas, propterea bene

es-

esse censuit, si in duo capita contraherentur; vnde statim. *Vel etiam potest diuidi genus in duas species, vt possideatur, aut bona fide, aut non bona fide.* hoc est, genera omnia, causæ scilicet, & tituli possessionum infiniti ad duplicem ordinem arctari possunt, vt, vel iniusti, vel iusti sint.

Ergo retorquetur argumentum, vt verius dicamus, vnicam esse possesionem, quæ pluribus causarum generibus constet.

a *Conna. lib. 3. c. 10. n. 5. Donell. comm. lib. 5. c. 7. Fab. in Rational. ad l. si vt certo. §. si duobus. ff. Commod.*

De eadem re, & lumen Vlpiano additum *in l. penul. ff. vti possid.* Cap. LXXXVI.

1 *An in solidum possidere duo possint, alter iuste, alter iniuste.*
2 *Et num re ipsa, vel opinione, aut spe.*

1 SI *duo possideant in solidum* (ait Vlp.) *videamus, quid sit dicendum, quod qualiter procedat, tractemus. Si qui proponeret possessionem iustam, & iniustam; ego possideo ex iusta causa, tu vi, aut clam. Si a me possides, superior sum interdicto. Si vero non a me, neuter nostrum vincetur, nam, & tu possides, & ego.*

Ponit Vlp. duos possidere in solidum; alterum iuste, alterum iniuste, & quærit, quis eorum superior esse debeat interdicto vti possidetis. Sic autem distinguit. Si ego iuste possideo, tu autem iniuste, vi scilicet, aut clam, aut tu possides vi clam a me, quia possessionem, quæ mea fuerat, occupasti, aut possides vi clam ab alio, quia pos-

possessionem occupasti, quæ penes alium esset. Si vi, aut clam posides a me, superior sum interdicto; Si ab alio vi, aut clam posides, tunc neuter nostrum vincit, neq; enim aduersus te excipere posum de vi, quam mihi nullam attulisti, & propterea quoad me non es iniustus possessor. Colligis, posidere posse in solidum duos, alterum iuste, alterum iniuste, cum tamen nõ posint duo iuste, vel duo iniuste, hoc autem non potest ex alio esse, quam quod essentia; & specie differunt iusta, & iniusta posessio.
Sed prompta solutio est, nam duos in solidum posidere non posse, alterum iuste, alterum iniuste, quia in summa, hoc est, in substantia ipsa posesionis non refert, iuste ne, an iniuste posideat quis, dixi paulo ante ex aperta lege Pauli, quæ est *l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. poss.* & ex alijs compluribus Iurisconsultorum responsis id ipsum satis
2 aperte liquet, de quibus pasim. Qui vero insolidum posident ex Vlp. *in d. l. penul.* non ambo posident, sed ambo possidere se putant, & sic de posessione litigant, quam vterque penes se esse contendit; vide *l. 1. §. inter litigatores vers. sed si inter. ff. vti poss.* Duo itaque posident contentione litis, vel opinione; Vel duo posident, quia vterque posidet saltem spe, quippe probabilis spes recuperandi hoc facit, vt quis posidere videatur. *l. si quis vi. ff. de acq. poß.* Quod itaque Vlp. ait; *Si duo posideant in solidum*; accipere eo modo debes, si duo possidere se dicãt eandẽ numero rem, & ignoretur, vter obtinere debeat interdicto vti posidetis. Et quod rursus. *Nã, & tu posides, & ego*, ęq; est, ac si diceret; nam pares sumus posesione, quia nemo hucusque probat, se magis possidere, vtp. se posidis-
O se

se litis contestatæ tempore. *§. quorum. cum not. Instit. de. interd. & consim.*

Non distare ciuilem, & naturalem possessionẽ ob id, quod nobis met posideamus, vel alijs. Cap. LXXXVII.

1 *Naturaliter qui posidere videantur.*
2 *Colonus poßidens, seu detinens interdictũ non habet, et cur. 4.*
3 *Poßidere aliud, aliud detinere.*
5 *Simplici detentori cur interdum interdictum detur.*

1 COlonum possidere naturaliter, vt & eum, qui depositum suscepit, docet Vlp. *in l. communi. 7. §. neq; colonis. ff. comm. diuid.* quod idem de eodem colono, depositarioq; & commodatario scribit Iulian. *in l. 2. §. 1 ff pro hær.* Idem de fructuario traditur *in l. naturaliter. ff. de acq. poss* & de creditore in pignore *in l. cum & sortis. in fi. ff. de pignor. act. in l. per seruum. in princ. ff. de acq. rer. dom.* & de eo, qui precario possidet *in l. & habet. §. eum qui ff. de precar. l. Pomponius. §. si is qui. ff. de acq. poss.*

Sed contra. Eum enim qui precario detinet, non possidere, habes *in l. certe. vers. is qui rogauit. ff. de Precar.* prout neque creditorem in pignore. *l. sciendum. § 1. ff. qui satisd. cog. l. pignori. in princ ff. de Vsucap.* nec fructuarium. *l. acquiruntur. in fi. ff. de acq. rer. dom. l. male igitur. C. de præscr. 30. ann. §. idem placet. Instit. per quas pers. nob. acq.* nec colonum. *l. non solum. ff de Vsucap. §. 1. l. 1. §. deijcitur. ff. de vi, & vi arm.* Quin & minus iuris colonus habet, quam reliqui, illi enim interdictum habent, quo se muniant, & tueantur, vtp. fructuarius. *l. 3. §. vnde vi. cum. §. seq. & §. vlt.*

vlt. ff. de vi, & vi arm. precario detinens contra omnes, præterquam aduersus concedentē. *l. qui precario. ff. de precar. l.* 1. *§ vlt ff. uti poßid.* & fortasse creditor in pignore, vti
2 ex Accurs.[a] docet Cuiac.[b] Colonus autem interdictum non habet. *d. l.* 1. *§. deijcitur.* At cur ita? An non iste quoq; naturaliter possidet?
3 Rem sic dirime. Qui nō sibi posſidet, sed alteri, is neq; naturaliter posſidet, neq; ciuiliter, sed leniore verbo rem detinet, nec posſidere dicitur, nisi abusiue; tales sunt colonus, vsufructuarius, creditor in pignore, & is, qui precario rogauit, atque ita, & non aliter conciliabis iura, quæ de his contrariari vidētur inuicem; vide Cuiac. Cum itaque abusiua, & impropria posſesſio eorum sit, errant, qui naturalem posſesſionem, quam isti habere dicuntur, distare docent per eum modum a Ciuili, quod naturalem habens alteri posſidet, ciuilem vero habens posſidet sibi, nam illa naturalis dicitur quidem posſesſio, sed non est. Miraris, eos, qui non posſident, sed, vti diximus, tantum
4 detinent, habere interdictum? Sed obserua, quia colonus interdictum non habet, & tamen posſidere dicitur naturaliter. Ergo stare non potest sequela hæc. *Interdictum habet, ergo posſidet.* Credo equidem, datum fuisse interdi-
5 ctum fructuario, creditori, & precarium habenti, quod eorū intersit nō deijci, & sic benignitate Iuris. Coloni autē nihil interest, quia, si deijciatur, mercedē non soluit; quod si interesset coloni, interdictū ei quoq; dari oportuisset. *arg. l. is, qui in puteū. §. Aristo. ff. quod vi, aut clam;* quod not. non. n. pauca in Iure sunt, in quibus ob rerum vtilitatē immutata causa posſesſionis est, maximeq; in pignore.

a Ad l. penul. §. Creditores. ff. vti possit   ß Obs. lib. 9. c. 33.

De eo, qui precario possidet. *Ad l. & habet. §. eū qui. et l. certe. vers. is qui rogauit. ff. de precar.* Cap. LXXXVIII.

1 *Qui precario possidet fructuario, colono, & inquilino similis.*
2 *Et quando possideat, vel minus. 5.*
3 *Natura precarij quæ.*
4 *Deiectus a possessione an, & quo pacto videatur possidere.*
6 *Qualis qualis possessio.*
7 *Duo insolidum quãdo possidere intelligantur.*

POmpon. *in d. §. eū qui. Eum* (inquit) *qui precario rogauerit, vt sibi possidere liceat, nancisci possessionē non est dubium. An is quoq; possideat, qui rogatus sit, dubitatum est. Placet autē, penes vtrumq; esse eum hominē, qui precario datus esset, penes eū qui rogasset, quia possiderat corpore, penes dominū, quia non discesserit animo a possessione.*

Sed contradicit (nec minus aperte) Vlp. *in d. vers. is qui rogauit.* h. v. *Is, qui rogauit, vt precario in fundo moraretur, non possidet, sed possessio apud eū, qui concessit, remanet. Nam & fructuarius, & colonus, & inquilinus sunt in prædio, & tamē nō possident.* Sic nō plus in rogante est, quam in fructuario, colono, & inquilino, & non plus, quam isti, possidere videtur. Quid ergo est?

2 Animaduerti cum Accurs. & alijs, diuersam esse quęstionem Pomponij, & Vlpiani. Nam Pompon. *in d. §. cum qui.* de eo loquitur, qui expressim rogauit, vt sibi possidere liceret, quo casu transfertur possessio quasi ex conuentione. *arg. l. interesse. ff. de acq. poss. l. licet §. rei. ff. depos.* atq; ita accipio, quod legitur *in l. Pompon. §. si is qui. ff. de acq. poss.*

poss. ibi, *si tamen receperit possessionem rupto precario, &c.*
[b] At Vlp. *in d. l. certe.* de eo disputat, qui rogauit, non vt precario possideret, sed vt precario moraretur, qua habita quæstione statuitur, non plus in hoc homine esse, quã in fructuario sit, colono, vel inquilino, nam hi quoque morantur in fundo, & tamen non possident. Atq; ita verissime conciliata res est, quicquid voluerit Gen. post Connan. ✗

Sed hucusque officit resolutio Pomponij. Nam qui precario rogauit, sibi vt liceat possidere, is vna cum eo, quem rogat, in solidum rem possidet, vt ibi. *Placet autem, penes vtrumque esse eum hominem, qui precario datus esset, penes eum, qui rogasset, quia possederat corpore, penes dominũ, quia nõ discesserit animo a possessione.* At non posse alium possidere corpore, alium animo, dixi *sup.*

Est, qui respondeat, id, quod dicitur, *non discedere rogatum a possessione sua,* eo sensu accipiendum esse, vt sit in eius potestate, quandocumque velit, recipere possessio-
3 nem, esse enim precarium eius naturæ, vt cum dominus
4 velit, reuocare possessionem possit. *l. 2. ff. de precar.* Huic simile illud esse, quod de eo dicitur, qui vi deiectus a possessione est, non enim possidere hunc quidem, verũtamen dici possidere, quia interdictum habet, quo statim recuperare possessionem valeat. *l. si quis vi. ff. de acq. poss.*
5 Ego possidere eum censeo, qui precario rogat, & quidẽ quasi ex pactione, vt dicebam; non tamen eo modo possidere, vt omnino iusta, hoc est, integra possessio eius sit; nam, si integra esset, non posset penes alium corpore esse, penes alium animo, cum verus possessor totum occupet,

ſeu corpore, ſeu animo poſsideat, vt ſæpius dictum. Poſſidet ergo qui precario rogat, ſed quoad quid, vel (vt Vlp. loquitur *in l. is qui in puteum. §. Ariſto. ff. quod vi. aut clam*) *qualiter qualiter*; non enim per omnia poſſidet, ſed in
6 poſseſsione eſt, vt ibi dicitur. Sic qualis qualis poſseſsio dicitur eſſe hæreditatis. *l. gerit. ff. de acq. hær.* poſsidet enim quoad quid, vt ibi, & vſucapit etiam iure ſingulari. *l. iuſto. §. nondum. ff. de Vſucap.* Nec tibi noua videri poterit poſſeſsio iſta partialis ad aliquid. Vide ſup.[δ]
7 Denique nihil obſtat, ne in ſolidum cum alio poſsidere is poſsit, qui non iuſtam poſſeſsionem habet, hoc eſt, non integram, aut perfectam; ſicq; hoc voluit Connan.[ε] repellendus non eſt.

[α] *Quos refert Nicol. Gen. in Conciliat.*
[β] *vt per Gl. Cuman. & alios.*
[γ] *lib. 3. Comm. c. 10.*
[δ] *cap. 79.*
[ε] *d. cap. 10.*

De vulgari diſcrimine obreptionis, & ſubreptionis quędam. *Ad l. 1. C. ſi Nupt. ex reſcrip. pet. cap. ſuper literis. de Reſcrip.* Cap. LXXXIX.

1 *Obrepere Iuriſconſultis quid.*
2 *Et vnde dictum.*
3 *Et quid ſubrepere.*

AN obreptio a ſubreptione differat, controuerſum eſt poſt Cardin.[α] & Innoc.[β] de hac re non valde conſentientes. Confunduntur mehercule hæ voces *in d. l. 1.* nec iuuat euaſio, ſeu Beroum legas,[γ] ſeu Petrum Gregor.[δ] qui ingenioſe miſtum quoddam facit obreptionis, & ſub-

ſubreptionis in eo, qui malitioſe id, quod verum eſt, celat occaſione mentiendi, vt velit videri, ſe verum dixiſse. In vſu Grammaticorum diſcrimen non habeo, quod ſa-
1 tis probem. Iuriſconſultis plerumque obrepere is dicitur, qui veritatem celat. *l. ſi quis obrepſerit. ff. ad l. Cornel de fals.* cum Briſson.[t] *l. ſi fideiuſsor. 29. §. 2. ff. Manda. l. 1. §. 1. ff. ſi quis a paren fuer. manum. l. ſed ſi hac lege. §. patronum. ff. de in ius voc. l. 3. §. puberi. ff. de carbon. edi.* Vulgatus eſt error Accurſij *in d. l ſi quis obrepſerit.* Ait Modeſtin. *Si quis obrepſerit Præſidi Prouinciæ tam per acta, quam per libelli interpretationem, nihil agit.* Obrepſerit (inquit Accurſ.) ideſt, *tantum perſuaſit Præſidi, quod habuit ſententiam pro ſe.* Sed non bene; nam obrepere idem Modeſtino fuit, ac latenter progredi diſſimulata veritate, vt plene Budæ ſic enim deinceps ait Modeſtin. *Si libello dato aduerſarius tuus ve-*
2 *ritatem in precibus ab eo datis non adiecit, ſubſcriptione vti non poteſt.* Inde vero Accurſium deceptum æſtimat Budę. quod credi derit, verbum *obrepſerit* ab *obripio* eſſe, ſicut exiſtimatione pari tradidit Nicol. Perot. obreptitias, & ſubreptitias preces ab obripiendo, ſubripiendoque dictas eſſe.

3 Subreptionis, & obreptionis diſcrimen nullum eſſe penes Grammaticos, certo habeo, nam & *ſubrepere* latenter repere eſt. Hinc ſubreptitius amor in Plaut. Penes iuris interpretes inualuit Innoc. eo ſcilicet sēſu, vt, qui verū ſupprimit, obrepere dicatur, ſubrepere autem qui, falsū exprimit. De comm. Menoch. quam recepit bene eruditus Fab. Sed gratis iſti, nam vnde id probent, neque referunt, neq; habent fortaſse, & quod legitur *in d. l. 1. C. ſi nup. ex reſcr.*

pet. magis contrarium eſt.

Itaque commentitiam hanc differentiam, quamuis communem, libentius refutarim cum Menoch. alijſq; ab eo relatis, & tam ſubrepere eum dixerim, quam obrepere, qui Principem adierit fallaciter, ſeu veritatem minime adiecerit, ſeu falſum aliquod ſibi confinxerit, quo reſcriptum extorqueret,

α *cap. ſuper literis. de reſcrip.*
β *cap. cum dilecta. eod.*
γ *d. c. ſuper literis. n. 2.*
δ *Enarr. ad tit. de reſcript. lib. 1. c. 49. n. 8.*
ε *comm. verb. Iur.*
ζ *de Arbitr. caſu. 201. n. 9.*
η *d. l. ſed ſi hac lege. §. patronum. ff. de in ius voc.*

An teneatur ordinarius Iudex ſententiam exequi illius, qui delegatus a Principe fuerit, vel Pontifice. *Ad c. paſtoralis. §. quia vero. & c. ſignificaſti. de off. deleg.* Cap. XC.

1 *Ordinarius ſententiam delegati exequitur, licet iniuſtam.*
2 *Et quando exequi delegatus ſententiam ſuam poßit.*

Quæſtionem ex inſtituto dirimit Innoc. 3. Pont. *in d. c. quia vero. Reſpondemus* (inquit) *quod cum Ordinarius*
1 *teneatur obſequi delegato, & ſi ſciat ſententiam illius iniuſtã, exequi nihilominus tenetur eandem, niſi apud eum efficere poßit, vt ab hoc onere ipſum abſoluat.* Sic iniuſtam quoque exequi iubetur, quod plus eſt, &, ſi vllibi oportuerit, nihil tamen violentum agere aduerſus delegatum debet, ſed apud ipſum precibus inſtare, vt differat. *c. ſi quãdo. eod.*
2 Contrarium videri potuit, quod legitur *in d. c. ſignificaſti.* h. v. *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi Iudex*

Ordinarius ad mandatum Iudicis delegati a nobis, aut non vult, aut non potest (alijs resistentibus) sententiam ab eo latam effectui mancipare, delegatus Iudex eam authoritate nostra sibi commissam potest executioni mandare, &, si qui sibi restiterint, eos sententia Ecclesiastica coercere. Quid est, quod ait Pont. *aut non vult, aut non potest?*

At mehercule non eam sententiam id habet, vt nolle posit, cum obsequi teneatur. *d. §. quia vero.* sed, vt nolẽs, vt (inquam) per iniuriam nolens pati debeat exequi delegatum. Et id quidem expeditius, non enim adeo viribus pollet delegatus Iudex, vt non violentum aliquod expectare ab Ordinario posit. *d. c. si quando* Vt itaque a se ipso ageret, permittendum ei fuit; atque ita statuere de hac re debere eos, qui celebrem eam quæstionem ex ordine controuertunt, *sit ne maior delegatus Principis Ordinario Iudice,* dicebam alibi [a] & simul de quæstione latius.

Nunc mihi ipsi non satisfacio, ne dicam Romano Pontifici; cur enim ita loqui debuerit; *Aut non vult, aut non potest?* cur (inquam) non, vt alibi, ita & hic planius fecerit Ordinarij Iudicis obsequium?

Quantum de hac re conijcio, est hoc. Mandauerat delegatus Pontificis Ordinario, nec palam recusabat Ordinarius sententiam exequi, sed aiebat, se ab alijs impediri. Sic compelli Ordinarius remedio aliquo non poterat, & dubium simul erat, an obtentui sumerentur impedimenta illa, quæ Ordinarius allegaret, dubium (inquam) an nollet Ordinarius, an non posset. Hic ergo nouum a Pontifice remedium, vt a se ipso delegatus exequatur, &,

si quos videat resistentes, eos coerceat. Percipis (quod hucusq; satis animaduersum non est) si Ordinarius aperte nolit, compelli eum; Sin dubitetur, velit ne, an nolit, si prætextu forte aliquo parere detrectet, si impotentem se faciat, tunc exequi delegatum posse. Hoc itaque discrimine agi rem oportere.

α *Sac. Iur. contr. di[f]fert. 2. c. 6. & 7.*
β *Ad Rub. de off. deleg. & Rub. ff. de off. eius. &c.*

An præsentatio Clerici fructus sit iuris patronatus. *Ad cap. consultationibus. de Iure patr.* Cap. XCI.

1 *Clericus bona fide possidentis præsentatus non remouetur, postquam institutus est.*
2 *Fructus bona fide consumptus non restituitur.*
3 *An præsentatio Clerici sit fructus, vel actus. 6.*
4 *Ius patronatus quid.*
5 *Definitio inter morales perfecta quæ.*
7 *Vsusfructus quid.*
8 *Iuris patronatus veri fructus.*

SI quem præsentauerit bonæ fidei possessor Clericum, & institutus Clericus fuerit, remouendum non esse eum,
1 qui ita fuerit institutus, statuit Alex. 3. *in c. consultationibus de Iurepatr.* Et bene (inquiũt Canonistæ omnes vno ore) nam præsentatio Clerici iuris patronatus fructus est; vt autem alterius cuiusque rei fructus bonæ fidei possessor lucrifacit, non dominus. §. *si quis a non domino. Instit. de*
2 *rer. diu.* ita & istius Iuris. Et vt generaliter possessor fructus bona fide consumptos restituere nõ compellitur, vt not.

ad

ad *d.§.si quis a non domino. c.grauis.de restit.spol.* ita, qui ius patronatus bona fide possidet, sic fructum suum recolligit, & consumit, vt nec reddere teneatur, nec perinde pati, vt facta nominatio, seu oblatio melioris iuris obtentu reuocetur.

Sed statim addubitant, qualis nam fructus pręsentatio sit, naturalis ne, an industrialis.

3 Dubitaueram ego, & forte rationabilius,[a] an præsentatio vice fructus esse videatur. Placuit nouitas; nunc planius rem doceo.

4 D.Tho.[b] ius patronatus eo modo finiebat, vt sit *potestas præsentandi Clericum ad beneficium Ecclesiasticum.* Laudabam contram Lambertinum, nam inter Morales perfe-
5 cta illa definitio est, quæ per actus proprios traditur, &
6 obiecta, præsentatio vero actus est proprius, & obiectum proprium beneficium est. At, quî obsecro fieri potest, vt fructus præsentatio sit, si vere actus est, qui omnem omnino fructum antecedat?

7 Sic olim. Nunc addo exemplum insigne. Vsufructus eo modo definitur, vt sit *ius vtendi fruendi salua rerum substantia;* sic denuo per actum, & obiecta. Actus fruitio ipsa est, obiecta res, quæ vsu non consumuntur; qualis in patronatus iure præsentatio, talis in vsufructus iure, fruitio est. Dicet ne quis, fruitionem esse fructum iuris istius? At, si fruitio actus est, non fructus, in eadem vtiq; causa præsentatio erit.

Iuris patronatus quasi fructus erunt, meritum ab Ecclesia, meritum a Deo, acceptatio de oblato Clerico, honor, alimentaq; & alia, quæ patrono debentur ex sacrorum Canonũ indulgentia.

[a] Sac.

α Sac. Iur. contr. dissert. 9. c. 8. n. 9.
β 4 dist. 27. q. 3. art. 2.

Quali consensu perfici Matrimonium dicatur. *Ad l. Nuptias. ff. de Reg. Iur.* Cap. XCII.

1 *Matrimonium quid.*
2 *Matrimonium facere dicuntur duo; & quæ.*
3 *Consensus nomine in Matrimonio quid veniat.*
4 *Consortium quid.*
5 *Vxor in locum sui hæredis, &c.*
6 *Separandi coniugij formula.*

MAtrimonium nunc facere coniunctio dicitur, nũc
1 consensus. Est enim matrimonium *viri, & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem continens. §. 1. Instit. de pat. pot. cap. illud. in fi. de præsumpt.* Sic matrimonium coniunctione perficitur. Nuptias itidem non concubitus, sed consensus facit. *d. l. nuptias.* Cõsensus ita-
2 que, & coniunctio Matrimonium faciunt. Numquid non vnum hic sunt consensus, & coniunctio? nam & id, quod contractũ facit, & id, quod ex contractu est, consensus nomine appellatur α.
3 Sed, & quid veniat consensus nomine, non aliunde cõijci melius potest, quam ex Vlp. *in l. cum fuerit. ff. de condit. & dem.* h. v. *Cum fuerit sub conditione legatum (si in familia nupsisset) videtur impleta conditio statim, atque ducta est vxor, quamuis nondum in cubiculum Mariti venerit, nuptias enim* (nota) *non concubitus, sed consensus facit.* Ergo consensus nihil aliud Vlpiano fuit, quam coniunctio, hoc est, totius vitæ consociatio, quæ tunc fieri incipie-

piebat, cum deducta erat mulier in domum viri. Non potuit itaque aptius matrimonium definiri, quam, vt *coniunctio* esset *indiuiduam vitæ consuetudinem continẽs*, si vitam intelligis, hoc est, viuendi genus, morumque institutionem, nam vt primum ducta mulier esset, quod fiebat nuptiali die, inde oriebatur indiuidua vitæ consuetu-
4 do, hoc est, communio omnium bonorum, & fortuna-
5 rum, quam *consortij* nomine vocauit Modestin. *in l. 1. ff. de Ritu Nupt.* Hinc enim in sui hæredis locum venisse spon-
6 sa dicebatur ex Gell. β Hinc, si sperãdum matrimonium erat, verba illa *interponebantur. Tuas res tibi habeto, &c. l. 2. ff. de Diuort.*

α *Dixi Sac. Iu. contr. differt. 10. c. 6. n. 12.*
β *lib. 18. c. 6.*

De vera, & propria probatione scribentium placita, quæ reijciuntur. *Ad. c. forus. de verb. sig.* Cap. XCIII.

1 *Probatio an, & quibus differat ab argumento.* 3. 4. 5.
2 *Præsumptio an vere, & proprie probatio.*
4 *Probatio quid.*
5 *Argumentum quid.*
6 *Præsumptio iuris probatio est.*
7 *Item hominis.*
8 *Testium inductio quandoque inutilis.*

1 PRopriam, & veram probationem eam esse, quæ testibus, & fide tabularum constet, docuit Isid. *in cap. forus. de Verb. sig.* nam, si quæ probatio reperiatur, quę sola inuestigatione consistat, *argumentum* appellari voluit,

non

non *probationem*, qualis præsumptio, & coniectura quęlibet.

2 An itaque præsumptio proprie, & vere probatio non est? Negant aliqui esse, nam, aut pręsumptio est iuris, & hæc (inquiunt) non probatio dicitur, sed argumentum, quod non tam probet, quam ab onere probandi releuet agentem; vide Alciat.[a] Aut præsumptio est hominis, & hæc non tam recipitur a Iure, quam Iudicis arbitrio commendatur quasi insufficiens probatio.

3 Sed inania hæc sunt, & doctis hominibus indigna; namque argumentorum nomine omnes, quotquot illæ sunt probationum species continentur, sic enim definitur pro-

4 batio communi omnium voto, vt sit *rei dubiæ per argumēta ostensio*; per argumenta, hoc est, per legitimos quosq; probationum modos. In acceptione autem Isidori argumentum a probatione distat, quia penes eum in pressissima, ac religiosissima quadam significatione capitur argumenti nomen, vt illud sit, *quod sola inuestigatione inuenit*

5 *veritatem, quasi argute inuentum*. Itaque ad rem Quintil.[b] argumentum definit, vt sit *ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, et, quod est dubium, per id, quod nō est dubium, confirmat*. Argumentum denique Isidor. pro artificiali probatione vsurpat, generale vero nomen probationis inartificiali relinquit, quæ tabulis constat, & testibus, & a reo, causaque ipsa defertur authore Tull.[c]

6 Nec stare id potest, quod dicebatur, præsumptionem Iuris plus leuamen ab onere probandi esse, quam probationem; Immo enim præsumptio ista est quasi conclusio quædam ex facto aliquo proueniens, quod quidem factū

ple-

plene probari oportet ab eo, qui dicit, vt præſumptio releuare probantem poſſit. Exempla habes *in l. licet Imp. ff. de leg. primo. l. filium ff. de his, qui ſui, vel al. Iur l. nõ omnes §. a barbaris. ff. de re milit. l. optimam. C. de contrah. ſtipul. c. 1. de frig. & malef.* Et prætere non ſemper valet ſequela hæc. *Releuat ab onere probandi, ergo non eſt probatio*, quando enim quis ab onere probãdi leuatur per id, quod ipſum quoque probatio eſt, tunc ſimul & probat, & releuatur.

7 Minus vrget, quod de hominis præſumptione dicebatur; cur enim propria, & vera probatio non ſit, ſi deuenire eo poteſt religione iudicantis, vt plena, & ſufficiens ſit? *Adde c. afferte. de præſump. c. de hoc. de Simon. l. vlt. C. de probat l. 1. C. ad l. Cornel. de Sicar. l. non aliter. ff. de leg.* 3. Fac. vero, inualidam ſemper eſſe, atque imperfectam, adhuc tamen vera erit ſpecies probationis, nam mehercule maior, & minor perfectio eſſentiam rei non variat, nec ſpeciem mutat, aut rationem modi. Dixerit ne quis, Equum, aut leonem ſpecies eſſe animalis minus proprias, quam homo ſit, quod illi imperfectiores, hic autem perfectior videatur? Nec enim bene ſequitur. *Præſumptio hominis non plene probat, ergo non eſt proprie probatio*; quia antecedens reſpicit effectum, conſequens autem eſſentiam, aut rationem modi, modus autem, vt modus eſt, eandem, quam cęteri, perfectionem habet.

8 Interdum quoque teſtium inductio inutilis eſt, ſi exceptionem habeant, qua repellantur, & tamen nemo dixerit, eãm teſtium probationem vere, & proprie probationem non eſſe, quatenus probatio eſt, adeoque inſpecta

eſ-

essentia, & ratione modi, non effectu, aut plenitudine probationis [δ].

α de præsumpt. par. 3. n. 2.
β lib. 5. cap. 10.
γ 2. de Orat.
δ Vide, quæ plenissime de omnibus Sac. Iur. contr. differt. 4. 0. 4. 5. 6. & seq.

De eadem re. *Ad l. 1. ff. si tab. test. null. ext.* Cap. XCV.

1 *Non probatur hęres, qui non scripto, sed coniectura talis est, & cur.*
2 *Aliud proferri nomen hæredis, aliud probari.*
3 *Præsumpta testatoris voluntas manifesta dicitur.*

PAul. *in d. l. 1. Hæredi* (inquit) *cuius nomen inconsulto ita deletum est, vt penitus legi non poßit, dari bonorum possessio minime potest, quia ex coniectura, non proprie scriptus videretur*. Coniectura, hoc est, præsumptione, vt Glosator explicat, præsumitur enim non scriptus, cum legi non possit, ait ille; quod itaque ex præsumptione dicitur, id simul improprie dicitur.

1 Æstimo, vt alibi quoque, [a] diuersam esse Pauli sententiã; non enim eo pertinet decisio, vt non proprie probetur hęres qui pręsumi hęres ex coniectura potest, sed, vt non proprie, nõ formaliter (inquã) scriptus dicatur, cuius nomen ita deletum sit, vt prorsus legi non possit, idque rationem habet maximam, nam (inquit Cuiac.) scriptus dicitur quis ex scriptura literarum, non ex coniecturis. At (sic enim obijcies) ex mente testatoris, alioue modo conijci potuerat, hunc vere hæredem esse; cur itaque reijcienda fuit probatio huiusmodi ex cõiectura, vel præsumptione, quæ pro hærede facere posset?

Re-

Respondi, non sufficere præsumptionem, quia nominatim Prætor scripturam requirit, nec nisi scripto hæredi bonorum possessioné decernit. Non itaq; ex eo fieri, quia præsumptio non sit vera, & propria probatio, sed quia nõ sufficit, cum nec formam supplere potis sit. Forma autem eo pertinet, vt extent tabulæ, vnde & statim subiungit Paul. *Quamuis, si post prolatas tabulas deletum sit testamentum, bonorum possessio competat. Nam & si mortis tempore tabulæ fuerint, licet postea interierint, competet bonorum possessio, quia verum fuerit, tabulas extare*. Ergo interpretatur Paul. non extare tabulas, cum deletum nomen est, non enim prolatæ dici possunt, si scriptum hęredis nomẽ
2 prolatum non est. Ecquis vero nesciat, aliud esse proferri
3 nomen hæredis, aliud probari? Cum tamen præsumptá ab homine, seu Iudice testatoris voluntatem adeo probatam videri, vt & manifesta dici possit, habeamus ex Marcel. *in l. non aliter. ff. de leg.* 3. *Non aliter* (inquit) *a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem*.

a Sac. Iur. contr. dissert. 4. c. 5.

Rescriptum Principis in his dumtaxat negocijs legem facere, pro quibus fuerit promulgatum. *Ad l. metum. 9. §. sed quod Prætor. ff. quod met. cau.* Cap. XCV.

1 *Signa legis generalis.*
2 *Rescriptum iuris corpore receptum generalis lex est.*
3 *Rescripti quæ olim vis.*
4 *Rescripti a mutari solita.*
5 *Contractus Principis vim habet legis, & quomodo.*

SIc profecto hodie; fuitque id in tantum Principibus curæ, vt, si vsquã generalis definitionis vicem obtinere re-
1 scriptum debeat, signis probari velint magistrali lege cõstitutis. *l.* 3. *C. de ll.* Olim forte rescripta Principũ latitudinẽ legis habuere, sic enim Paul. *in l. penul. § vlt. ff. de Iur. et fa. ignor. Et licet de Municipibus agatur in Epistola, et rescripto illo, tamen in qualibet persona idẽ obseruabitur.* Sed illic erat signum legis generalis, hoc est, initium constitutionis generale, quod nec personæ restringeretur, nec causæ.

Plus negocij habet, quod Vlp. scribit *in d. § sed quod Pretor. Sed* (inquit) *ex facto scio, cum Campani metu cuidã illato extorsissent cautionem pollicitationis, rescriptum esse ab Imperatore nostro, posse eum a Prætore in integrum restitutionem postulare, & Prætorem, me assidente, interlocutum esse vt siue actione vellet aduersus Campanos experiri, esse propositam, siue exceptione aduersus petentes, non deesse exceptionem. Ex qua constitutione colligitur, vt siue perfecta, siue imperfecta res sit, & actio, & exceptio detur.* Ergo & rescriptum generalis constitutionis nomine appellatur, & quasi lex vbique obtinens ab Vlpiano recipitur.

Forte credas, sub Seuero, cui paruit Vlp. eam vim rescripta Principum habuisse, vt omnes obligarent, quam primi temperarint Theod. & Valent. in *d. l.* 2. *&* 3. qui multo tempore fuere post Seuerum.

Accurs.[a] responderat, valuisse rescriptum Seueri quasi
2 legẽ, quia receptum erat iuris corpore. Sed recedit deinceps, agnoscens, eam responsionem stare non posse, & alio modo rem componit; sed ipse viderit.

3 Si credimus, vt par est, nullo tempore rescripta Principum te-

tenuisse legum vices, respondebimus, fieri olim consueuisse, vt, si in causa aliqua rescripsissent Diui Principes, reliqui Magistratus, qui postmodũ iudicaturi erãt, rescriptũ illud in similibus negocijs sequerẽtur, & quasi legis loco haberent, licet lex non esset; mirũ itaq; videri non posse, si quod ita rescribitur, *cõstitutionis* nomine appelletur. Legis itaq; loco fuisse apud Magistratus dico, licet lex non esset,
4 nam & ipsi Principes, qui rescribebant, non semel, quod rescripserãt, immutabãt; vide *l. Diui fratres. ff. de Iure patr.* Vel forte *constitutio* eo loci dicitur penes Vlp. ius quoddã constitutum, hoc est, stabilitum duplici modo, videl. rescripto Principis, & interlocutione Prętoris, assidẽte etiam Vlpiano. Non itaque constitutio quasi lex.

Existimo, in rescriptis Principum nihil fuisse per iuniores leges immutatum, sed omni tempore paris fuisse authoritatis. Nec contradicit Vlp. *in l. 1. ff. de const. Princ.* nam hæc alibi [a] discussa satis.

At (inquies) donationes quoque Principum vim hodie habent legis generalis. *l. donationes. 26. C. de donat. int. vir. & vx.* Quanto magis eorundem rescripta?

5 Acute quidem; sed cum audis, contractum principis habere momentum legis, nihil aliud eo loquendi modo significatum puta, quam, vt, quod Princeps facit in rebus, & personis suis, iustum sit, & validum, quia Iuri communi putatur derogasse eatenus, quatenus fecit. Sicut enim Iuri communi potest Princeps derogare contraria lege, ita & pacto, & facto ipso, quod tamen extra res, & personas suas nõ dilatatur. Ergo cõtractus Principis dicitur lex, quia legi derogat in re, & persona Principis. Vide Conã. [b]

α *In d. l. 3. in gl. vlt.*
β *In d. §. sed quod Prætor. ver. colligitur.*
γ *sup c. 48.*
δ *Comm. lib. 1. c. 16. n. 8.*

Cur testamento Curator non detur. *Ad princ. Instit. de Curat.* Cap. XCVI.

1 *Tutela, & cura publicum munus est.*
2 *Curator testamento datus confirmandus est decreto.*
3 *Priuilegium non extenditur.*
4 *Nisi a Principe concedente.*

CVratorem dari testamento posse, negat Tribun. &
1 bene; nos, quæ sit huius rei causa, videamus. Tutelam, & curam placuit publicum munus esse §. 1. *Instit. de excus. tut. vel. curat.* Publicum munus a publico esse debet, non a testamento priuati hominis. Hinc, si Curator testamento datus fuerit, nihil agit, nisi confirmetur decreto Magistratus, *vt d. princ.*

At cur (inquies) testamento tutor dari potest? §. 3. *Instit. de Tutel.* Resp. hoc esse, quia permissum, sic enim loquitur Tribun. *Permissum est itaque parentibus, &c.* Est itaque parentibus quasi priuilegio datum; extendi autem priuilegium non debuit, etiam similitudine rationis. *l. si vero §. de viro. ff sol. matr. l. si pupillorũ. §. si. Prætor ff. de reb. cor. l quod vero ff de ll. c. vlt. de præb. Clem. 1. de Censib.* α

Nec valet, si specialitatem Iuris Ciuilis ad alios casus ex similitudine æquitatis dilatarit Rom. Pont. *in c. cũ dilecta. de confirm. vt. vel inut.* nã qui priuilegiũ indulgere potest Prĩceps, aut Prelatus, is & producere ad aliud potest, quod dũ facit, e nouo facit, & quasi nouũ quid largitur. At posse hoc idem agi a subdito, a Iurisperito, ratio non patitur.

Ca-

Caueant, qui ſine lege ſæpius, & indiſcretis quibusdam modis cauſam fiſci, libertatis, dotis, & ſi quæ aliæ ſunt, pares facere in priuilegijs ſolent, & in priuilegijs piarum cauſarum laxare habenas; ſæpe enim fit, vt, dum æqui, & pij videri volunt, coloratæ cuiuſdam iniuſtitiæ ſcopulis ſe ſe impingant, & adnumerari ijs velint, *quibus non eſt intellectus*.

a *Bal. in c. inter cætera. n. 9. de Reſcript. Bero. in c. 1. n. 71. de probat. Barbo. in l. ſi conſtante. n. 73. ff. ſol. Matr. Matheſil. de interpr. extens. n. 50. de comm. Suar. de ll. lib. 8. cap. 28. n. 11. Salas de ll. diſput. 17. ſect. 8. n. 48.*

Eum, qui libertus non ſit, operas nec ſpondere poſse, nec iurare. *Ad l. ſi quis pro eo. ff. de fideiuſſ.* Cap. XCVII.

1 *Filius patri debere operas non poteſt.*
2 *Ius libertatis infringi non debet obtentu operarum.*
3 *Libertina conditio imago eſt ſeruitutis.*
4 *Operæ officiales, & artificiales quæ.*
5 *Seruus an operas iurare poßit, cum liber erit.* 8.
6 *Seruus de his, quæ in ſeruitute promiſit, poſt manumiſsionem non tenetur.*
7 *Niſi promiſerit in cauſam libertatis conſequendæ.*

SI *quis pro eo* (inquit Paul.) *qui libertus non eſſet, & operas præſtaturum ſe iuraſſet, fideiuſſor erit, non tenebitur*; quaſi vero obligatio nulla in ea ſpecie ſit, cui hærere poſſit fide-
1 iuſſio; adeoq; nec filius patri promittere operas iurato poteſt. *l. penul. ff. ſi a paren. quis manum. iun. l. nullum. ff. de obſeq. paren. & patr. præſt.* nam, vt iuriſiurandi obligatio cõtrahatur, liberum eſſe oportet, qui iuret, & libertatis cauſa
2 iurare. *l. vt Iuriſiurandi. ff. de oper. libert.* Cauſam eſſe æſti-

mat Coras. *a* ne ius libertatis infringatur obtentu operarum. *l. Titio centum. §. Titio centum. ff. de condit. & dem.* Et certe libertina conditio imago est Seruitutis, cum ingenuum constet plus aliquáto liberum videri, quam libertinus sit. *§. vlt. Instit. de Iu. pers.*

4 Intelliges, in operis officialibus valere, quod dicitur, nam & per antonomasiam veniunt tales. *to. tit. de oper. libert.* & maiorem præseferunt seruitutis imaginem. Officiales itaque non nisi a liberto promitti possunt, aut iurari, artificiales vero a quolibet. *l. operæ. 9. ff. eod. tit.* Sunt vero officiales, quæ puri obsequij, officijue sunt, & personale commodum faciunt Domino, vt adesse, comitari, sono, saltatione, musice oblectare, &c. Artificiales vero, seu fabriles, quæ ad opus pertinent, quales a sutoribus, fabris, pictoribus, pistoribus, &c. Vide Coras. *e*

5 Sed mirum videtur, neq; eum quidem, qui seruus sit, operas iurare posse, *cum liber erit. l. seruum testamento. ff. de manum. test.* nam id permittitur dumtaxat, vt iuret Domino seruus, se, cum liber erit, promissurum patrono operas, aut iuraturum. *l. vlt. ff. de lib. cau. cum Acursio* At cur ita? non enim sic infringit seruus libertatem (quam non habet) sed nanciscitur, liberque fit.

Æstimat Coras. eam fuisse rei sic statuendæ causam, quia præmendæ, onerandæ, & plerumque deludendæ futuræ libertatis gratia dominus ita stipulatus censetur ab eo, qui adhuc sub eius existet potestate. *l. is qui onerãdæ. ff. de oper. libert. l. 1. § quæ onerandæ. ff. quar rer. act. nõ det.* nihil enim non facturus, promissurus, aut iuraturus seruus præsumitur in gratiam consequendæ libertatis. arg. *l. cum hi. ff. de transact.*

Non

Non hercle diſplicet, quod Coraſius docet, ſed rem libet
6 melius explicare. Principium eſt iuris, ſeruum de his, quę
in ſeruitute geſſerit, aut promiſerit, non teneri poſt ma-
numiſsionem. *l. 1. & tit. C. an ſeruu. ex ſuo fact.* tanquam
qui nouus homo, & alius ſit. *l. ſeruus. in fi. ff. de adim. leg. l.*
ſi Pamphilo. ff. de opt. leg. l. qui res. § aream. ff. de ſolut. Si
7 tamen promiſerit aliquid ſeruus domino, quo libertatẽ
conſequeretur, teneri per in factum actionem. *l. 3. C. an*
ſeruu. ex ſuo fact. Quæſitum itaque fuit penes Venul. *in d.*
l. vlt. ff. de lib. cau. an ſicut tenetur ſeruus pręſtare Domi-
no, quod promiſit, vel iurauit in gratiam conſequendæ
libertatis, pecuniam, fundum, domum, ita & præſtare
operas teneatur, quas, vt liber efficeretur, præſtiturum ſe
ſpopondit. Et reſponſum, nõ teneri, neque enim permit-
tendum fuit, vt iurari poſſet in gratiam conſequendæ li-
bertatis id, quo libertas ipſa minueretur. Vide Accurſ.[δ]
non enim præſtatio operarum quaſi præſtatio pecuniæ
eſt, aut fundi.

8 Denique conſtitutum eſt, vt promiſsio operarum ſtaret
ſub veteris Iuris principio, ſolumque illud Domino per-
mitteretur, vt ſeruum adigeret ad iurandum, ſe, cum liber
erit, iuraturum operas, ſic enim dabitur in eum actio de
dolo ſubſidiaria, niſi iuret.[ε]

α *in d. l. ſi quis pro eo.*
β *Sup. Conna. lib. 2. c. 8. Donel. Comm. par. 1. lib. 2. c. 18. Cuiac. obſ. lib. 17. c. 14.*
γ *ver. neceſſitatem.*
δ *d. l. 3. ver. promiſſæ.*
ε *gl. d. l. vlt. ver. neceſſitatem.*

De Iure agnationis ciuili, & cognationis naturali, & conciliatus secum ipso Tribun. *in §. vlt. Instit. de legit. agn. tut. & §. vlt. Instit. de cap. dem.* Cap. XCVIII.

1 *Agnationis ius omni capitis deminutione perimitur.*
2 *Cognationis ius non item: & cur.* 6.
3 *Quod tamen ciuile est.*
4 *Et cur dicatur naturale.*
5 *Agnationis ius cum iure cognationis confertur.*

1 *SEd agnationis quidem ius* (inquit Tribun.) *omnibus modis capitis deminutione plerumque perimitur, nam agna-*
2 *tio iuris Ciuilis nomen est. Cognationis vero ius, non omnibus modis commutatur, quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia vero non vtique.*

Nullibi sic turbidus Tribun. est, cum tamen hæc proponeret adolescentulis, quibus consultum velle debuerit. Ius agnationis omnibus modis capitis deminutione perimi, bene est, non cognationis, quod est naturale, & ideo corrumpi non potest iuris Ciuilis fictionibus, & cõmentis.

At, obsecro, si cognationis ius naturale est, cur tamen aliqua capitis deminutione infringi possit? Nam *non omnibus modis* (inquit Trib.) ergo aliquibus commutatur, quod & planius docet *de cap. dem. in fi. Quod autem dictum est, manere cognationis ius etiam post capitis deminutionem, hoc ita est, si minima capitis deminutio interueniat, manet enim cognatio: nam si maxima capitis deminutio interueniat, ius quoque cognationis perit, vtp. seruitute alicuius cognati, & nec quidem, si manumissus fuerit, recipit cognationem. Sed &*

si

si in insulam quis deportatus sit, cognatio soluitur. Porro, si cognatio tollitur commento Iuris Ciuilis, hoc est, maxima, & media capitis deminutione, ergo, vel cognationis ius Ciuile est, vel, si naturale, ciuilis tamen iuris fictione tollitur contra Tribunianum. At etiam, si Ciuile est, cur nõ omnibus modis capitis deminutione perit, sicut ius agnationis?

3 Haud facile te explices, nisi Tribuniani sententiam plusquam verba intueare. Statuo in primis, ius cognationis ciuile esse, nec dubium, nam ciuilis quædam ordinatio est, qua planum fit, quomodo inter cognatos succedatur, igitur & maxima, & media capitis deminutione perimitur, vt ciuile est. Dicitur tamen naturale, quia

4 non intellectum sequitur legis, sed rationem naturæ.

5 Vt ecce. Agnatio merum Ciuile ius est, quo agnati ante omnes cognatos, licet proximiores, prærogatiuam habent succedendi, non enim ducitur ratione coniunctionis, & gradus, sed familiæ, & nominis. Cognatio vero normam a iure naturæ habet, nam quo propior es gradu, eo anterior es successione. Ergo agnationis ius familiæ ius dicitur, in eamque causam statutum a lege est, vt in familijs diuitiæ, ac splendor conseruentur; cognationis vero ius appellatur ius naturæ, quia prærogatiuam nullam habet, sed ordinem naturæ, cæterum ipsum quoque constitutio est Ciuilis legis, cuius est deferre successionem.

Vides, cognationis quoque ius aliqua capitis deminutio-
6 ne, hoc est, maxima, ac media perimi posse quasi Ciuile quid. Cur autem etiam minima tolli nequeat, rationẽ

ad-

addit Tribun. *Quia Ciuilis ratio ciuilia quidem iura, &c.* Verba ſunt nimis generalia, quæ contrahi debent ad rẽ, de qua agitur, ſic. Agnatio mera ciuili ratione conſtat, hoc eſt, ratione familiæ, & ideo tolli per minimam capitis deminutionem poteſt, quæ apta nata eſt familiæ ius immutare. Cognatio vero, licet ciuile ius ſit, non tamen mera conſtat ciuili ratione, ſed coniunctionis, gradus, & naturæ. Non ergo minima capitis deminutione commutari poteſt, cum hęc eam poteſtatem non habeat, vt rationem abroget naturæ.

Vel. Minima capitis deminutio propterea inducitur a lege, vt merum ius familiæ deleat, quod pure ciuile eſt. Hoc autem Cognati non habent, cum regantur ordine naturæ, ergo nec amittere quidem poſſunt, nam nec minimam capitis deminutionem pati poſſunt. Denique ratio Ciuilis, hoc eſt, minima capitis deminutio non eſt apta nata ſoluere, & corrumpere ius naturale, hoc eſt, ius illud Ciuile, quod conſtat naturæ ordine, ſed vnum illud, quod, & pure Ciuile eſt, & pura Ciuili ratione nititur. Neque aliud voluit Tribun.

De tribus rerum precijs, & an ex ratione Iuris veteris eſſe videantur. *Ad l. in cauſæ. 16. §. Idem Pomp. ff. de Minor.*

Cap. XCIX.

1 *Inter ementes, ac vendentes licita circumuentio eſt. 5.*
2 *Deceptio legibus inimica.*
3 *Precium triplex.*
4 *Conuentionũ bonæ fidei ratio communis.*
5 *Remedium reſcindendæ venditionis.*

VLp. *in d. § idem Pomponius.* apte docet, *in precio Em-*
1 *ptionis, & venditionis naturaliter licere contrahen-*
tibus se circumuenire. Quod & singulari quodam iure ad
locationem quoque, & conductionem producit Paul. *in*
2 *l. item si. 22. § vlt ff. loca.* Mirantur nostri (cum nihil ma-
gis sit contrarium legi, quam deceptio) ipsius met legis
authoritate circumueniendi licentiā dari, ęstimaruntque
per eam decipiendi licentiam nullum commutatiuæ iu-
stitiæ præiudicium fieri, sed, cum sit cuiusque rei preciū
3 triplex, supremum, infimum, atque medium, fas esse
contrahentibus inter hæc precia se inuicem circumueni-
re, hoc est, non semper exactam illam, & mathemati-
cam precij æqualitatem fore anxie, & nimia quadam
scrupulositate perquirendam.

Sed perperam; id enim cuiusmodi sit, ex his facile appa-
ret, quæ olim scripsimus, [a] quando remedium noua lege
indultum ad veriora iuris principia exacta quadam expli-
4 catione reuocauimus. Porro ea semper fuit ratio omniū
conuentionum, quæ bonæ fidei essent, vt quæcumque
læsio, aut inæqualitas in ijs occurrisset, etiam citra vim,
dolumue, ea statim ipsius Iudicij æquitate vendicaretur,
nullo omnino habito discrimine, an vltra, vel citra di-
midiam læsio interuenisset. *l. iure succursum. §. vlt. ff. de*
Iu dot. l. maioribus C. comm. vtr. Iud. l. in contractibus. C. quib.
5 *ex cau. maio.* vno excepto contractu Emptionis, & Ven-
ditionis, in quo licuit semper contrahentibus citra omne
discrimen, & in qualibet precij parte se inuicem circum-
scribere, licet bonæ fidei sit. Cur ita vero? Non alia
hercle ratione, nisi quia sic naturaliter contigit (in-

quiunt Paul. & Vlp.) hoc est, omnium gentium vsurpatione facta istiusmodi licentia est, neque enim aliter fieri venditio solet, quam id agente venditore, vt carius vẽdat, emptore autem, vt vilius emat. *d. l. in causæ. §. idem Pomp. d. l. item. si §. vlt. l. si voluntate C. de rescind. Vend.* Demum Impp. Diocletiano, & Maxim. placuit singulari ratione humanitatis Venditori vltra dimidiam iusti pretij læso subuenire; humanum enim visum est, non tá laxis habenis permittendum esse, vt se ita contrahentes interciperent, sed ad finem vsque dimidiæ iusti precij. *l. 2. C. de resc vend.* quod etiam probauere Pontifices *in c. cum dilecti. c. cum causa. de Empt. & Vendit.* Enimuero, si deceptio inter illa tria rerum precia solum permissa a lege erat, quę tanta fuit necessitas, vt noua lege emendaretur? At nec decuit quidem, nam multo minor erat deceptio, quæ in tribus illis pretijs contingere olim potuisset (si deceptio dici potest) quam quæ hodie in dimidia iusti, ac veri pretij; cur itaque inuentum ex miseratione Venditoris remedium fuit, quod nõ tam mederi illi posset, quá impensius nocere? Sume tibi precium vsq; ad mathematicam superstitionem rei, quam vendis, ęquale, potes vtique ad dimidiam vsque decipi. *d. l. 2.* An nõ minus esset, si intra supremum, atque infimum rei precium lęderere? Equidem commune illud placitum de triplici rerum precio receperim libens quasi, bonæ cõscientiæ valde accomodatum, sed non Iuris veteris authoritate.

a *Sac. Iur. contr. differt. 6. c. 2. & seq.*

De coniugio B. Mariæ cum voto. *Ad cap. Beata. 27. q. 2.* Cap. C.

1 B.

1 *B. Maria quomodo consenserit in copulam.*
2 *Vouentibus Virginitatem velle nubere peccatum est.*
3 *An Virgo vouerit ante nuptias, vel post.*

B. *Maria* (inquit August. *d. c. Beata.*) *proposuit, se seruaturam votum Virginitatis in corde, sed ipsum votũ Vir-*
1 *ginitatis non expreßit ore. Subiecit se diuinæ dispositioni, dũ proposuit, se perseueraturam Virginem, nisi Deus aliter ei reuellaßet. Committens ergo Virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo.* Sic Dei mater implicite consensit in copulam, *si Deo placuisset.*
2 Sed, an non peccauit, cum vellet nubere? Absit, nam virginitatis votum emiserat post contractas cum viro nu-
3 ptias, alioqui peccasse videretur, nam *vouentibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est ex Hieron. in c.4.dist. 27.* Forte etiam ante contractas Nuptias, non enim absolute egit, sed conditionem adiecit ex August. *si Deo placuisset.* Et verius credo, priusquam contractæ Nuptiæ essent, vouisse Virginem; cur enim de futura prole accepto nuncio responderit. *Quoniam uirum non cognosco?* Nam his verbis satis demonstrauit, se eius propositi fuisse, & voti, ne cognosceret virum, alioqui non tam respondisse, quam elusisse quodammodo videretur; parum enim fuisset dicere, *non cognosco*, cum demũ cõtractis nuptijs cognoscere potuisset. Hęc pulchre August.[a] quorũ ineffabili sacramento Centuriã claudo.

[a] *lib. de sanct. Virg. c. 8. Nyss. Orat. de Christ. Nat. & cum vtroque doctiss. Baron. in appar. ad annal. c. 56. Dixi sac. Iu. contr. dissert. 10. c. 7.*

LÆ-

LÆLII MANCINI POLITIANI GENIALIVM &c.

CENTVRIA SECVNDA.

Ius naturæ vbique, & indiſtincte eſſe immutabile. *Ad* §. *penul. Inſtit. de Iu. nat. &c.* Cap. CI.

1 *Libertas a Iure naturæ.*
2 *Mutatio quomodo fiat in iure naturali.*
3 *Rationes naturales diſsidere poſſunt inter ſe.*
4 *Lex Ciuilis non valet, niſi ex rectitudine naturæ.*
5 *Legum obedientia a natura eſt.*
6 *Seruitus rationem habuit naturalem.* 8.
7 *Sicut & bellum.*
9 *Seruitus, & contra naturam eſt, & a natura.*

IVs naturæ quaſi diuina quadam prouidentia conſtitutũ, intime bonum, ab exordio creaturæ incipiens, & humanarum legum quaſi lapis, & fundamentum, vndequaque immobile eſt, atque immutabile. *d.* §. *penul. c. vlt.* §. *his itaque. diſt. 6. clẽ. paſtoralis. de re iudic.* a Quod ipſum tamen aliquibus ex cauſis mutationem recipere aliquam poſſe creditum *ex l. ius Ciuile. ff. de Iuſt. & Iu.* Exemplum vulgare libertas eſt, quæ, cum naturalis eſſet, migrare in ſeruitutem potuit, ſic ſtatuente lege. *l. manumiſsiones. ff. de Iuſtit. & Iu. l. libertas. ff. de ſta. hom. t. t. Inſtit. de Iu. perſ. cum ſeq.* b

No-

Nostri plerumque dicunt, non ipsum naturę ius mutari, sed actus, seu effecta. Alij non principia naturalia, sed consequentias Alij præceptum naturę discernunt a permissione eiusdem, quod est, esse quid bifariam Iuris naturæ, negatiue, & positiue, vt loquuntur.

Ego, & principia naturalia, & conclusiones eorundem, seu consequentias, aut effecta, & quæ vel a natura præcipiuntur, vel permittuntur ab eadem, omnia (inquam) prorsus immutabilia, atque immobilia stare, & consistere, nusquam dubitauerim. Est autem duplex, ni fallor, explicandi modus.

2 Docent Theologi, si quid mutari videatur, aut minui ex naturæ Iure, mutationem illam non in iure ipso fieri, sed in materia eiusdem, qua mutatione facta desinere ab eo Iure obligationem. Hanc vero mutationem a circumstantijs procedere, quæ rebus adueniunt Et adcommodari his solet exemplum valde vsitatum ex ter maximo illo disciplinarum fonte Augustino. Nam sicut Medicina alia præcepta pro infirmis habet, alia pro sanis, quædam pro robustis, quædam pro debilioribus, nec tamen in se variantur Medicę artis præceptiones, sed multiplicantur, & quædam modo vtiles sunt, quædam non, sed alijs vtilioribus locum præbent; ita Ius naturale semper idem existens, immobile, atque immutatum aliud hic pręcipit, aliud illic, &, cum variationem non recipiat, in variabili tamen materia variari videtur.

Alter explicãdi modus lenior, & qui difficultatem de hac re omnem valeat abrogare. Si quid lex, aut consuetudo Iuri naturali detrahit, non ideo tamen dicitur ius naturę mu-

mutari, ná detrahere nihil est aliud, quá excipere de Iure aliquid, qui vero excipit a Iuris regula, is mutare regulá nõ dicitur. Enimuero, quando lex Ciuilis excipit a Iure naturæ aliquid, valet id quidem, sed non ex ciuili potestate, quæ nihil potest supra ius naturæ; Valet igitur ex ratione naturali, cui lex ipsa Ciuilis innititur, & quæ potest alteri
3 naturali rationi contrariari ex circumstantia aliqua adueniente; quod vbi fit, tunc ratio illa, quæ præualet, naturalis censetur esse, alia vero talis esse continuo desinit.
4 Nec dubia hęc; Nam lex ipsa Ciuilis nihil est, nisi ex ratione, & rectitudine naturali. *c. erit. 4. dist.* & saltem ratio
5 erit publici boni, quæ & ipsa naturalis, vnde illud. *Salus populi suprema lex*, cui accedit legum, ac Principum obedientia, quæ itidem a natura est. *l. 2. ff. de Iust. & Iu.* Sed exéplis clarius innotuerit, quod volo. Refrico autem causam libertatis, quæ migrare in seruitutẽ potuit. Aiunt, nihil de libertate fuisse iussum a natura, sed, quod in ea est, dono traditum, permissumque, adeoque potuisse ei de gentium Iure aliquid minui, quin & Iure Ciuili, quo suæ libertatis dominus quisque est, & ideo decernere de ea potest, vel ipso naturæ iure.
6 Dicam verius, inductionem quoque seruitutis a Iure gentium fuisse, quod naturale est. §. *singulorum. Instit. de rer. diu.* Naturalem itaque habuisse rationem, quæ contrarię naturali rationi, ob quam inuenta libertas fuit, præiudi-
7 caret. Vt ecce. Oportuit bella adinuenire, & quidem illa ipsa ratione naturali, ob quam inuenti fuere Magistratus, iudicia, pœnæ. *c. iustum. & seq. 23. q. 2.* Nam Princeps bellum gerens personam refert Iudicis criminaliter procedẽ-

tis, qui gladio vtatur aduersus perturbatores dominij sui, licet extraneos, se enim pęnę subdidere, cum in Principẽ delinquerent. Sed & alia ratio bellum suasit, quæ a tota natura est, videl. populsatio violentiæ. *l. vt vim. ff. de Iust. & Iu.* At, si bellum naturalem rationem habet, tunc seruitus magis; cum enim in bello hostes per quam iuste occiderentur, inuenta seruitus fuit ex æquitate naturæ, vt magis seruarentur homines, quam perderentur. *§. serui. Instit. de Iu. pers.*

Non obstat, seruitutem definiri *constitutionem Iuris gentiũ contra naturam. §. seruitus. eod.* Est enim seruitus contra naturam, hoc est, contra anteriorem illam rationem, quæ libertatem suasit, cæterum ipsa quoque a natura est, & quidem superior, quando iusta est.

α *Late Couarr. 4. decretal. par. 2. c. 6. §. 9. n. 2. Suar. de ll. lib. 2. cap. 14. n. 5. Salas. de ll. disput. 5. sect. 7. n. 32.*

β *Innoc. Panor. & alij in c. vlt. de consuet. Suar. sup. Moli. de Iustit. to. 1. tract. 1. disp. 4. Becan. de lege nat. q. 3. Salon. 2. 2. D. Tho. q. 57. art. 2. vers. An ius naturale, &c.*

γ *Cuiac. l. ex hoc iure. ff. de Iust. & Iu.*

De Pandectarum, seu Digestorum nomenclationibus, & de Palea, seu Paleis Decreti. Cap. CII.

1 *Digerere quid.*
2 *Rapsodia in Digestorũ libris.*
3 *Digestorũ ordo male audit.*
4 *Digestum triplex.*
5 *Et cur intercisum.*
6 *Nouum vnde dictum.*
7 *Infortiatum vnde.*
8 *Digestorũ nomina magistralia.*
9 *Protopalea Cardinalis.*

ID Pandectę sonant, quod legũ omnium receptacula. Dissident nostri quidem in gręca etymologia, sed in re ipsa

non diſcordant. Digeſta quoq; ex eo dicta, quod omne ius antiquũ recollectum in ijs ſit, docemur ex Iuſtin. in *proœm. & præfat.* qui idẽ *in l. 2. §. omnia ff. de orig. Iur. Nomenq;* (ait) *libris impoſuimus Digeſtorum, ſeu Pandectarum, quod omnes diſputationes, & deciſiones* in *ſe habeant legiti-*
1 *mas.* Digerere eſt etiam diuidendo ordinare. Cic [a] *Cum ſi quis omne Ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt.* Ciceronianũ hoc alterius rei occaſionem præbet, ſcribit namque Alc.[b] id præſtare Tribunianũ voluiſse, quod M. Tull facere aliquando cogitauerat, ideſt, vt ius Ciuile in artem redigeret. Sed dubitat, ſatis ne hoc fuerit a Tribũ. præſtitũ, cum ſententia Ciceronis ea eſſet, vt primo in certa genera ius digereretur, deinde, vt ea genera in certas ſpecies, ac veluti membra, poſtremo, vt forma quęlibet, ſeu ſpecies propria ſua definitione explicaretur. Ait, non male Tribunianũ genera ipſa notaſſe videri, ſed ſub
2 ſingulis titulis rapſodiã quandã eſſe carentem arte, quæ
3 ingenioſi artificis, peritiq; operam, induſtriamq; deſideret. Digeſtorum quoque ordo male audit à Donel.[c] cui hærent Vult.[d] Vueſ.[e] & alij cum Oſual.
4 Redeo ad Nomina. Tribus præcipue partibus articuli ſeptem, his vero quinquaginta Pandectarum libri concluduntur, triplex Digeſtum triplici etiam nomine appellatur. Scimus, quid ſit, *nouũ* eſſe aliquod, aut *vetus*, ſed *infortiati* nomen inter Latinos non audiuimus; ſed neq; illud intelligere ſatis poſſumus, nouum cur alterũ dicatur, alterum vetus; cernimus enim Digeſtorum perpetuũ quẽdam ordinẽ, & contextum continua librorum 50. ſerie compaginatum, neque aliã ob cauſã credimus intercisũ,
quam

quam, quod tãta librorum quasi moles in iustum aliquod volumen consui non posset.

6 Bart.[s] rem aggreditur, & *nouũ* fuisse dictum suspicatur a dictione *Noui*, quæ legitur in prima Rub. *de oper. no. nunc.* Hæc cõiectura colorem habet ex Alc.[r] qui testis est, eam in antiquis Codicibus non a verbo *operis* incipere, sed a ver. *Noui*. Addit alia quædam Bart. sed rudiore Minerua, quod enim *Nouum* explicat, id est, *vltimũ*, non probat Alciat. cum aliud nouissimũ sit, aliud nouũ. Quod etiam *nouũ* addit, hoc est, *iniquũ*, (iniqua scilicet puniẽs ob materiam, quã continet, pęnarum, ac delictorũ) refutat Alc. quasi commentũ quoddã, quod se ipsum satis demõstret.

7 Infortiatum vero sic dictum putant, quod semel amissum tempore Longobardorũ fuisset a Græcis restitutũ, dicebãt enim se τὰ φορτία, hoc est, victualia (nam hic liber causarũ patronis valde lucrosus) reddidisse. Ingeniose quidẽ, nisi deficeret historiæ fides, nam totum, atque integrum Digestorum opus semper Pisis extitisse, nullãq; eius partem abfuisse, constat ex Bart. &c. Crassius alij *infortiatum* ex eo nuncupatum volunt, quod fortes, hoc est, valde difficiles contineat leges. Alij insulsius docent, ab authoris nomine desumptum nomen, seu ab *infortias* Chaldęo vocabulo, quod est *dispositio*, vltimas enim dispositiones in eum librum relatas fuisse. Ridet Alciat.[θ] quasi vero (inquit) Latini homines Babylonẽ (quę Patria Chaldęorum est) legationem misisse aliquam videantur, vt suo libro nomẽ impetrarent; additque, interrogasse se hominem, qui eius linguę notitiam profitebatur, sibique ab eo constanter affirmatum, non esse eiusmodi vocabulũ inter Chaldęos.

Eo tandem veniunt Commentatores, vt libere fateantur, tria hęc nomina magiſtralia eſſe, & ex placito. Scribit Haloād. Bulgari, & Azonis ſęculo natas trium iſtorum voluminum appellationes fuiſſe, quæ præter barbariem nihil oleant, quapropter in partiendo opere Digeſtorum plus apud nos valere Imperatoris authoritatem debere, quam vulgi imperitiam. Alc. [ι] refert, ſe, cum forte Bononiam aduenißet, Digeſtorum volumen quoddam antiquißimum prę manibus habuiſſe, nec vulgaribus, vt hodie, protritiſque tomis diuiſa volumina, ſed in duas tantum partes, quarum poſterior a Trebelliano S.C. incipiebat. Se [κ] item in Marciana Mediolan. bibliotheca Digeſtorum opus non in tria, vt præſentis moris eſt, ſed in duo volumina ęque diſſectum relegiſſe. Credit ergo, ineptam eſſe recentiorum dubitationem, dum potißimum de eo ambigunt, cur intermedium Pandectarum volumen infortiatum nuncupetur, quaſi non barbara vox iſta ſit, & nullius ſenſus, ab indocto aliquo literatore primum facta, quem deinde alij non minus indociles ſecuti ſint.

Sunt & in Decreto Paleæ, quas noſtri frequentius a *Protopalea* quodam dictas putant. Hunc vero S. R. E. Cardinalem dictitant fuiſſe, qui Gratiano capita illa, quæ ab eius nomine *paleæ* nuncupantur, adiunxerit. Nec deſunt, qui paleas a græco τὰ παλαιὰ dictas reputent, hoc eſt, *antiqua*, vel a πάλιν, hoc eſt, *rurſum*, quaſi additiones.

α *de Orat. lib. 1.*
β *In Parerg.*
γ *Comm. lib. 1. c. 1.*
δ *In Proleg. de ſtudio Iuris.*
ε *§. 1. Inſtit. de teſt. ordin.*
ζ *In princ ff. Noui.*
η *Rub. de oper. no. nunc. n. 35.*
θ *Parerg. lib. 4. c. 25.*
ι *In proem. diſpun.*
κ *lib. 3. Parad. c. 13.*

Quod

Quod illud ſit, quod habet Innoc. 3. *in c. qualiter.* 24. *de Accus. Quaſi denunciante fama; &c.* Cap. CIII.

1 *Iudicium non eſt ſine conteſtatione, & quæ illa ſit.*
2 *Iudicium quid.*
3 *Accuſator duplex.*
4 *Iudicium abſque vero accuſatore quaſi mutilum.*

IVdicium non eſt ſine conteſtatione. *l. 1. C. de lit. cõteſt.*
1 *Auth. ad hæc. C. de Iudic. c. ſuper queſtionum. de off. deleg.* [a] nec conteſtatio eſt, niſi opponente Actore, & ex-
2 cipiente Reo, eſt enim Iudicium *actus legitimus trium perſonarum in Iudicio contendentium, &c.*

Actor certe, vel accuſator in Iudicio inquiſitionis nullus eſt, aduerſus quem excipiat reus, quo ue excipiente Iudex vti medius conferat, eligat, determinet, atque pronunciet, vt ante diximus ex Caiet. [b] nam hæc verum accuſatorem exigunt, quem non habet Inquiſitio, niſi virtua-
3 lem; & huc diſtinctio illa pertinet, quam inter formalẽ, verumque accuſatorem, & virtualem, hoc eſt, famam, & clamoroſam inſinuationem habet D. Tho. [γ] Neque aliud voluit Innoc. *in d. c. qualiter.* cum enim deficiente Accuſatore Iudex non tam conferat, quam vltro quærat, vnde quodámodo & Iudex ſit, & pars, quodammodo & iudicet, & accuſet, quodque accuſatoris munus eſt, probationes quærere, vt Iudici perſuadeat, hoc ipſum Iu-
4 dex exequatur, vt ipſe ſibi perſuadeat; cũ deniq; abſq; accuſatore neceſſe ſit, quaſi mutilũ iudiciũ eſſe, bonus Põtifex quaſi imperfectũ inquiſitionis Iudiciũ benigne excuſaturus, *non* (inquit) *tanquam idem ſit accuſator, & Iudex, ſed*

quasi denunciante fama, vel deferente clamore, &c. [δ]

α *Dixi sac. Iur. contr. dissert. 3. cap. 5.*
β *2. 2. D. Tho. q. 88. art. 1. dixi d. c. 5. et sup. c. 50.*
γ *2. 2. q. 69. art. 2.*
δ *Vide Sac. Iu contr. d. dissert. 3. c. 8.*

Ius accrescendi ab hominis dispositione ex integro non prouenire *ad l. si Titio. §. 1. ff. de Vsufr.* Cap. CIV.

1 *Ius accrescendi vnde sit.*
2 *Accretionis causa quæ.*
3 *Accretio alluuioni similis.*
4 *Alluuio quid.*

1 IVs accrescendi a lege est, quæ defuncti voluntatem supplere sola potuit, aut de ea præsumere. Agit vero, quod defunctum acturum fuisse æstimat, interdumque adeo recedit a destinatione hominis disponentis, vt sibi tribui totũ velit. Mirandũ, fuisse Authores, & quidem non vani nominis, qui ius accrescẽdi ab hominis dispositione prouenire simpliciter velint, quos cõmunibus votis, nec vulgaribus argumentis reprobatos monuit Bellon. [α] Prætereo casus, quibus in eum modum operatur lex, vt defuncto, eiusq; voluntati contrariari prorsus videatur, quid enim de his sentire potuerint, non satis intelligo. Venio autem ad eos, in quibus contrarietas nulla est testatoris, & legis. Si de iure accrescendi agitur, quod in legatis, & fideicommissis valet, fatentur, ex tacita defun-
2 cti voluntate prouenire, accretionis enim causa sola est coniunctio, quam defunctus fecit. [β] Videamus, quantũ legi tribuendum in hac specie sit. Papinianus quæstionem mouet de legato *in d. l. si Titio.* & in fine hæc verba

ha-

3 habet. *Quoniam portio fundi velut alluuio portioni, personæ vsufructus accresceret*. Igitur, cum de accretione agitur rei legatæ, portio accrescere. portioni dicitur, veluti alluuio. Quam vero partem habet in alluuione hominis
4 voluntas? Est siquidem naturalis accretio quædam prouenienš a gentium Iure, quæ nullum requirit factum hominis, sed a se ipsa venit. γ Non hercle melius potuit Papin. explicare partem, quam in accrescēdi iure lex habet.

α *de Iur.accr.c.2.q.2.n.35.*
β *Duaren.lib.1.de Iu.accr.c.1.Cuiac.in l.vni.§.his ita.C.de Caduc.toll.Menoch. de præsumpt.lib.4.præs.86.n.17.*
γ *Cuiac.d.l.si Titio.Gouean. de Iu.accr.n.1.*

Quædam de interrogatorijs actionibus, & animaduersæ legum contrarietates ad celebrem quæstionem &c.

Cap. CV.

1 *Interrogatoriæ actiones in iure proponi solitæ.*
2 *Fieri in iudicio quid olim diceretur.*
3 *Tribuniani manus agnita.*
4 *An Iudicium a prima in ius vocatione incipiat.*

INterrogatorias actiones scimus *in Iure* proponi consueuisse, hoc est, coram Magistratu *l.1.in princ.l.voluit.§.quod*
1 *ait Prætor.ff.de interr.act.* Ergo ante iudicium, non in iudicio; fieri enim in iudicio dicebatur, quod coram pedaneo Iudice, non coram Magistratu, donec sublatum discrimen hoc fuit per Dioclet. & Max. *in l.2.C. de ped. Iudic.* Itaque bene Calistr. *in l.1.§.interrogatorijs.ff.eod. Interrogatorijs autem actionibus* (inquit) *hodie non vtimur, quia nemo cogitur ante Iudicium de suo iure aliquid respondere; &c.*

Sed quod ait Calistr. *ante Iudicium*, turbat Vlp. *in d.l. voluit.* h. v. *Voluit Prætor adstringere eum, qui conuenitur ex sua in Iudicio responsione, vt, vel confitendo, &c.* Nota, quod scribit, *in Iudicio*; vt & rursus in *l. si fine. §. Celsus. Si defensor Iudicio interrogatus, &c.*

3 In his duabus legibus, & alibi sæpe manus agnita Tribuniani est, qui cum aliqua voluerit suis temporibus accommodare, non satis accommode legum concordiam tutatus interdum est.[a] Quin & quod legitur *in d. §. interrogatorijs.* totum Tribuniani esse credimus, non enim prius interrogatoriæ actiones desierunt esse, quam sublatæ Iudicum dationes essent, hæ autem vsque ad Diocletiani tempora in vsu fuere; non itaque dicere Calistratus potuit. *Interrogatorijs actionibus hodie non vtimur, &c.*

Sed & Vlp. *in d.l. voluit. §. vlt.* edictum prætorium haud satis bene explicauerit, nisi pars aliqua Tribuniano relinquatur. Verba hæc sunt. *Quod ait Prætor. Qui in Iure interrogatus responderit. Sic accipiendum est, apud Magistratus Populi Romani, vel Præsides Prouinciarum, vel alios Iudices, ius .n. eum solum locũ esse, vbi Iuris dicendi, vel iudicandi gratia consistat.* Quod itaq; ait, *Vel alios Iudices*, & quod rursus; *Vel iudicandi gratia*, a manu Tribuniani esse, non dubito affirmare.

4 Nec parui momenti hæc sunt, nam quod scriptum habet idem Vlp. *in d.l. voluit. in princ.* ibi, *ex sua in Iudicio responsione*; ad celebrem quæstionem trahitur, *an Iudicium a prima in ius vocatione incipiat, vel a litis contestatione*, quam alibi disputo.[β]

a *Vide Fab. in Rational.*

β *Sac. Iu. contr. dissert. 3. c. 6. & adde, quæ sup. c. 49.*

Circulum in moralium rerum definitionibus non ſemper eſſe vitioſum. Cap. CVI.

1 *Matrimonij definitio.*
2 *Mos definitus penes Iſidor.*
3 *Definitio Iudicij.*

1 MAtrimonium definit Iuſtin. *in princ. Inſtit. de Nupt.* vt ſit. *Viri, & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ conſuetudinem continens;* Ita quoque Romanus Pont. *in c. illud. de præſumpt.* & ex parte Modeſtin. *in l. 1. ff. de Ritu Nupt.* Si circulus in qualibet definitione vitioſus eſt, male addit Theologorum Coryphæus, α vt ſit *viri, & mulieris coniunctio maritalis.* quorſum namque iſtud, cum videatur coniunctio maritalis idem cum Matrimonio eſſe? Defendunt Theologi, cum fieri poſſit, vt definitio ab ijs petatur, quę poſteriora ſunt ſimpliciter, nobis autem priora, ante enim cognoſcimus, quid maritalis coniunctio, quam, quid matrimonium ſit.

2 Forte etiam pari excuſatione eget Iſidor. *in c. mos. 1. diſt.* cũ morem definit, vt ſit *longa cõſuetudo de moribus tantummodo tracta,* licet alia eſſe ſoleat huius loci defenſio, vt *infra.*

3 At, ſi ſic circulus ſtare poteſt, non male iudicium definierit Franc. Zabar. vt ſit *actus legitimus trium perſonarum in Iudicio contendentium, actoris, Iudicis, & rei,* nec male egerint Theologi, ac iuriſperiti omnes, qui eam definitionẽ receperint, & laudarint, licet enim contentio in Iudicio per ſe quid poſterius ipſo Iudicio ſit, nobis tamen eſt quid prius, quippe ante cognoſcimus in Iudicio cõtentionem, quam Iudicium ipſum cognoſcamus. β

Sed

Sed & Philosophus qualitatem finijt, *secundum quam dicimur esse quales*, & quale illud, *quod qualitate afficitur*. At quis euidentior circulus?

a Magist. sent. in 4. dist. 27. art. 1.
b Vide Sac. Iu. contr. dissert. 3. c. 7. n. 5.

Explicatus Isid. *in c. mos. 1. dist.* Cap. CVII.

1 *Mos quid.*
2 *Consuetudo & iuris, & facti nomen.*
3 *Et vnde sic dicta.*
4 *Vsus, & mos comparati.*
5 *Consuetudo quid.*
6 *Et quid mos.*
7 *Mores in duplici discrimine.*
8 *Lex appellatione moris interdum appellata.*

MOs (inquit Isidor.) *est longa consuetudo de moribus tantummodo tracta*. En circulus in definitione Moris,
1 nam idem per idem definitur, mos videlicet per consuetudinem illam, quæ de moribus trahitur. Consuetudo rursus per morem definitur *in c. consuetudo. ead. dist. 1.* de qua re deinceps.

An ex more consuetudo fiat, an ex consuetudine mos, dissensio Scribentium est. Habes nonnihil penes Varronē, & Lactantium referente Connano.[a] Adde Zasium,[b] &c.
2 Ex omnium vero traditis hęc tibi instillo. Consuetudo, & iuris, & facti nomen est; iuris, quo ligamur volente lege, si requisita accedāt legis ;. Est & facti nomē, & quidē prima ea significatio eius nominis est, vt factum significet, sic enim scribit Isidor. *in d. c. consuetudo. Vocatur autem consue-*

3 *suetudo, quia in communi est vsu*; porro vsus non iuris, sed facti est. Ergo consuetudo, vt facti est, nihil aliud denotat, quam similium actuum frequentiam, seu actionem pluries a populo repetitam, nec tunc distinguere oportet, an vitiosa ista consuetudo sit, vel non, an rationabilis, vel irrationabilis, hę enim distinctiones consuetudini conueniunt, prout ius est, non prout factum. Sic autem accepta consuetudo non differt a more, nam & mos frequentiam significat, & multiplicationem in actibus, sicut & vsus, vt penes Lyricum. *Si volet vsus, quem penes arbitriũ est, & vis, & norma loquendi*; quod & Iurisconsultis familiare est; vide *l. hoc legatum. l. librorum. §. quod tamen Cas-*
4 *sius. ff. de leg. 3. l. 1. §. impuberi. ff. ad Silan. l fundi. ff. de Ver. sig.* Eo tamen discrimine, quod vsus de singulis actibus etiam dicitur, mos autem de sola actuum frequentia.

5 Nunc definitiones ab Isidoro traditas facillime explicamus, tuemurque. Definit is, consuetudinem ius esse, *quod moribus institutum est*. Moribus, hoc est, actuum frequentia, & multiplicatione, vt sic consuetudo differat a mori-
6 bus, quasi ius a facto. Morem quoque definit, vt sit *consuetudo*, hoc est, actuum frequentia, nam consuetudinis nomine nisi factum intelligere non potuit, cum mos etiã in facto consistat. Denique nomen *moris* explicat non per genus aliquod, sed per aliud nomen *consuetudinis*. Sed cur addit deinceps; *de moribus tantummodo tracta*? Quid est, quod ait, *moribus*? quid rursus, quod ait, *tantummodo*?

7 Explico sic. Mores aliquando distributiue sumuntur, aliquando collectiue, prout constituunt morem illum, quẽ consuetudinem dicimus in facto cõsistentem. Est itaque

mos

mos consuetudo tracta *de moribus*, hoc est, de singulis actibus liberis, & moralibus. Additur *tantummodo*, vt excludantur actus, qui ex legibus scriptis exercentur, licet &
8 ipsi mores appellari possit, cum interdum lex appellatione moris nuncupetur, vt *in princ. & c. 1. dist. 1.*

α lib. 1. c. 10. n. 6.
β Ad l. de quibus. n 12. ff. de ll. vbi omnes. Suar. de ll. lib. 7. c. 1. Salas. de ll. disput. 19.
γ Vide scripta ad d. l. de quibus. ad c vlt. & t. t. de Consuet.

Defensus idem Isidorus valde ingeniose *in c. consuetudo. ead. 1. distinct.* Cap. CVIII.

1 *Consuetudo quid.*
2 *Consuetudo triplex.*
3 *Consuetudo, & desuetudo.*
4 *Bifariam deficere legem dicimus.*
5 *Consuetudo secundum legem qualis sit.*
6 *Et quod eius officium.*
7 *Lex ambigua non est lex.*

1 C*Onsuetudo est ius quoddam moribus institutum* (ait Isidor.) *quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Qua-
2 si vero nulla alia consuetudo sit, quam præter legem. An non etiam consuetudo contra legem est? An non secundum legem? [α]

Sed non male Isidor. aut, si male is, male etiam Tertull.
3 [β] Æstimauerit forte quis, non esse consuetudinem contra legem, sed desuetudinem, quæ subtilitas fuit Græcorum interpretum probante Connano, [γ] de qua plura ego. [δ] Et re vera desuetudine legem abrogari, bene expressit Iuliã. *in l. de quibus ff. de ll.*

Sed

Sed pone (quod verius est) & desuetudine abrogari legem, & contraria consuetudine, æstimo tamen, hanc quoque consuetudinem definitam ab Isidoro esse, quod
4 & alij [t] agnouere penes Curt. Nam bifariam deficere legem dicimus, & cum nulla prodita est, & cum prodita quidem aliqua, sed interijt. Quæ itaque abrogatur consuetudine lex, haud male defecisse dici potest, non male (inquam) nam & proprie, & vere; vnde miror, fuisse ex nostris, qui dicerent, abrogatam consuetudinem improprie defecisse videri, atq; adeo quęrant, numquid improprium aliquod recipi definiendo possit. Quęstionem ego definitionis procul habeo, sed proprie defecisse existimo, quoquo modo sublatum quid e medio fuerit. Sic M. Tull. [u] animantes tunc interire docet, cum calor *defecerit*, & perpetuo apud Latinos authores *deficere* humor dicitur, ingenium, membra, memoria, motus, nerui, sensus, sanguis, vires, spes, anima, vita, &c.
5 Consuetudo vero, quę secundum legem est, plus videtur confirmatio, & obedientia iuris, quam ius, & sic vere consuetudo non est, ait Curt. [y] Ego hanc quoque consuetudinem vere esse, & ab Isidoro definitam fuisse affir-
6 mo, nec paradoxum crede. Consuetudinis istius munus est, vt legem interpretur. *l. si de interpretatione. ff. de ll.* eam tamen in quam dubitatio incidat talis, vt eam non possit Iurisconsultus ęquitate explicare, tunc enim sola consuetudo, aut Principis authoritas auferre dubitationem potest. *l. penul. C. de ll.* Sed tunc maxime requiro, an id, quod seruatur vigore legis ambiguæ, videatur seruari in vim legis, an in vim consuetudinis. Et credo in vim consue-
tudinis,

tudinis, sic enim aperte loquitur Calistr. *in l. Nam Imperator. ff. de ll. Nam Imperator noster Seuerus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum authoritatem vim legis obtinere debere.* Ergo quasi consuetudo seruatur, nō
7 quasi lex. Et maxima quidem ratione, nam lex ambigua non est lex. *c. erit autem lex. 4. dist* quam propterea negāt Practici allegari ad causarum decisiones posse. Vides, ambiguam legem defecisse videri, quasi edita non fuisset. Ergo hanc quoque consuetudinem finit Isidor.

α *Vide scripta ad l. de quibus. ff. de ll.*
β *De Corona Militis.*
γ *lib. 1. c. 10. n. 9.*
δ *In prælect. ad Rub. de Constit. & Sac. Iur. contr. dissert. 1. c. 5.*
ε *Ant. Laur. Bar. Com.*
ζ *Rubr. de Consuet. n. 9.*
η *De nat. Deor lib. 3.*
θ *vbi prox.*

Cur furari liceat imminente mortis metu, nec tamen ob eundem metum mæchari fas sit. *Ad cap. si quis propter. de furt.* Cap. CIX.

1 *Necessitas non sentit legem.*
2 *Mulierem turpem non excusat paupertas.*
3 *Diuinorum præceptorum dispensator solus Deus.*
4 *Furti malitia vnde sit.*
5 *Item homicidij.*
6 *Et fornicationis.*
7 *An occidere innoxium fas sit, vt eius carnibus saturemur.*
8 *Necessitas a peccato quando excuset.*
9 *Qui necessitate pressus furtum facit, dupliciter excusatur.*
10 *An rei minimæ furtū sit.*

Ex-

EXcusat furti crimen necessitas famis. *d. c. si. quis propter.* Rationem habet Glossator, [a] quia talis necessitas com-
1 munem rem facit. Necessitas legem nescit distinctorum dominiorum, vt & aliam quamlibet. Vel ea ratione (inquit gl.) quia credere fur mendicus debuit, permissurum Dominum. § *placuit. Instit. de oblig. quæ ex del.* Debuit (inquam) nam & potuit, & debuit scire, agere se ex consensu domini omnino præsumpto, quia debito, cum teneretur dominus necessitate, & fame laboranti inopi eodem modo subuenire.

Nunc ad quæstionem. Est, qui mortem omnino subiturus sit, nisi fornicetur; est (inquam) qui fame laboret, nec impetrare panem à muliere possit, ni coeat cum illa; licet ne fornicari? Necessitas frȩnum non habet legis, & tamē consentiunt omnes, non licere. [b] Cur enim Christianis permitti debuerit, quod vel Ethnicis vituperandum visū
2 sit? Ecce enim Vlp *in l. palam. ff. de ritu Nupt. Non est ignoscendum ei* (inquit) *quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit.*

Subscribo sententiæ, quam negare nefas est, sed angit me ratio discriminis, cur liceat quidem furari metu mortis, nec fornicari tamen. Gl. & alij [c] rationes excitant, & pro suo quisque capite. Couarr. [d] refert aliquas, additque suā, cuius, & reliquarum, quas ille enarrans præterit, compendium est hoc.

3 Duo sunt prȩcepta a Deo. *Non furtum facies. Non mœchaberis.* quorum vt author Deus, ita & dispensator solus. Dispensitionem vero exequitur recta ratio hominis, quȩ vicem in hac re subit Dei. Videamus, an ȩqualis in vtroq;

præ-

4 præcepto causa sit. Furtum inde malitiam habet suam, quia contrectatio est alienæ rei cum iniuria domini. Ergo, si iniuria procul absit, iam nulla furti malitia est. Si quis ensem furenti eripiat, ne se, vel alterum occidat, furtum non committit, quia malitiam furti necessitas ista totam exhaurit. Qui igitur necessitate famis aliquid subtraxerit, non peccauit, nam, vel re vsus quasi communi est, vel domini consensum habuit præsumptum, aut debitũ, quem credere valuit omnino permissurum. Præceptum
5 quoque illud. *Non occides.* inde causam suã habet, quod innocens per iniuriam morti datur. Tolle iniuriam, præceptum simul tollas necesse est. Sic aggressor iuste perimitur, sic Princeps, & Iudex publica authoritate gladium iuste perstringit ad puniendos facinorosos.

6 Non idem in fornicatione est, nam hæc inde malitiam capit suam, quod ex inordinato quodam appetitu carnale commercium cum ea fęmina habeatur, quæ vxor non est, cum nisi coniugalem coitum recta ratio non recipiat, vt probatum volunt *l. 1. § ius naturale. ff. de Iust. & Iu. & c. ius naturale. 1. dist.* Pone periculum mortis, vnde euadere non possit quis, nisi fornicetur, non hercle tollitur malitia, nam non inde euenit, vt vxor fiat, quæ vxor non est, aut, vt inordinatus ille coitus speciem sumat coniugalis coniunctionis, & matrimonij. In hoc itaque recta hominis ratio nõ dispensat, cum nec Deus ipse dispensare possit, vt seclusa ratione cõiugij fornicari possit quis. Couarr. ex D. Thoma.

7 Refrico nunc præceptum illud. *Non occides.* Pone hominem, qui ad extremum fame laboret, numquid occidere

in-

innocentem poterit, vt eius carnibus famem expleat? Nō hercle, quia necessitas illa auferre malitiam non potest iniuriosę occisionis. Vide Couarr.ζ Denique cum millies
8 debeamus mori prius, quam semel peccare, necessitas tūc a peccato excusat, cum malitiam abrogat peccati, secus excusatio nulla est.
9 Ita plane satisfactum. Sed & dissimilitudo aliqua inde, est, quod qui necessitate pressus furtum facit, duplici excusatur via, nam, & necessitate se tuetur, & paruitate rei, scimus enim modicum quid furari licere, & quo præsens necessitas expleatur, non vltra, neq; illud ignorare debe-
10 mus, in quęstione esse penes nostros, an rei minimæ furtū fiat. At in fornicatione nullum modici discrimen est.

α *Ib. ver. pæniteat.*
β *gl. et omnes in d. c. si quis propter.*
γ *gl. Io. And. Panor. ibid. Dec. in l. quæ propter. n. 4. ff. de Reg. Iur. Med. de restit. q. 19. col. vlt. Surd. de alim. tit. 8. priuil. 40.*
δ *Ad reg. peccatum. par. 2. §. 1. n. 5.*
ε 1. 2. q. 100. *art.* 8.
ζ *Sup.*

An testamentum Iure Pontificio valeat, quod fuerit in alterius voluntatem collatū. *Ad c. cū tibi. de Testā.* Cap. CX.

1 *Institutio hæredis alterius arbitrio commissa vitiosa est.*
2 *Et an valeat ex iure Canonis, vel quando.*
3 *Filiusfam. de aduentitijs nullo Iure testatur.*
4 *Magna est ratio, quæ pro Religione facit.*
5 *Captatoria voluntas.*
6 *Qui libere disponit Dominus est.*
7 *Hæres quasi herus.*
8 *An ita valeat institutio.* Titius hæreditatis meæ Dominus esto.

NOn valere ex teſtamento iſto hæredis inſtitutionem, ſi ius Ciuile inſpexeris, ſatis ſuperq; liquet, ſic .n. Caius *in l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit. Illa* (inquit) *inſtitutio*
1 *(quos Titius uoluerit) ideo uitioſa eſt, quod alieno permiſſa eſt arbitrio. Nã ſatis cõſtanter. Veteres decreuerũt, teſtamẽtorũ iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, nõ ex alieno arbitrio pẽdere.*
2 Sed valere rurſus, ſi Pontificiũ ius attenderis, videtur ex *d. c. cũ tibi.* vbi Innoc. 3 *In ſecũda quæſtione dicimus* (ait) *quod qui extremam voluntatẽ in alterius diſpoſitionẽ cõmittit, non videtur decedere inteſtatus.* Nec dubiũ hoc, ſi pię cauſę interſit, teſtamentũ valere, tunc .n. conſentiũt omnes, ſolas Iuriſgẽtiũ ſolemnitates, (ſi quę ab eo iure ſint, aut eſſe poſſint) ſeruari oportere. *c. relatũ. 11. c. cum eſſes de teſtam. cap. vlt. de ſucceſſ. ab. inteſt.*
Dolebã aliquando, nimium in hac re laxari habenas, & in teſtamento ipſo pię cauſę ſeruatã a Pontifice iuris Ciuilis ſubtilitatẽ adeo aperte monſtrabã, vt extra omnẽ dubitationis aleã incõſulta ſcribentiũ facilitas ſtare videretur. Cum .n. mero iuris rigore prohibeatur, ne teſtari filiusfã.
3 poſsit de aduentitiorũ proprietate, quæ ex nouiſsimis conſtitutionibus ei ſeruatur. *l. penul. C. qui teſt. fac. poſſ.* fuit tamen maximus hic rigor in piæ cauſę diſpoſitione ſeruatus penes Bonifac. *in c. licet. de ſepult. in 6.* h. v. *Quamuis autẽ filiusfam. abſq; patris adſenſu ſibi poßit libere eligere ſepulturã, pro anima tamen ſua præter ipſius adſenſum, niſi peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe habeat, aliquid iudicare* (hoc eſt, ſupremo iudicio relinquere) *non poteſt.* Cur itaque oporteat te de teſtamentorum ſolemnibus adeo intemperanter ſentire eo ſolo, quod magna ſit ratio illa, quæ pro Re-

li-

ligione facit? Ratio quidem magna, dummodo memineris, non ita temere protrahenda legum præscripta esse, vt nouas leges condere videaris.

Sic profecto accidit *in d.c. cum tibi.* Laudo eos, qui locum Pontificis de commissione distributoria capiunt, aut quãdo hæredis incerti ex certis electio alteri demandatur, vt sic non recedat Innoc. a Iuris ciuilis ratione. Qui etiam dicunt, Innocentium de extremo Iudicio loqui voluisse, quod non in alterius liberam voluntatem committitur, sed dispositionem, hoc est, prudens arbitrium, licet in plenum huic causæ mederi non videantur, plus tamen placent, quam qui priuilegia, & ciuilium legum correctiones tam facile meditantur. Cur enim ius Ciuile Romanus Pont. emendare voluerit? Nam non in hac re fauor vertitur animæ, non Ecclesiæ, non religionis, & adeo absoluta sunt verba Pontificis, vt qui de pia causa intelligi ea velint, manifeste diuinent.

5 Deniq; si, quę in arbitriũ alterius confertur volũtas, captatoria dici posset (quod nõ puto) hęc certe recipi nõ debuisset a Pontifice, quasi mali moris, vt multis probat Alciat.

Quid dicendũ? Puto, aliã fuisse causã Pontificis, fuisse .n. ei propositũ, an quis videatur hęres institutus per hęc verba. *Comitto meam voluntatẽ in dispositionẽ Tity*, aut his non absimilia. Et respõdisse, videri hunc hęredẽ institutũ, quasi dictum esset. *Titius hęres meus esto*. Qui .n. de aliqua re libere disponere iubetur, is Dominus eius rei est, cum dominiũ nihil aliud sit ex Bart. quã *ius de re libere disponendi*, & mos veteribus fuerit, vt hęredes quasi heros pro Dominis appellarent. *§. vlt. Instit. de hær. qual. & diff.*

Sed, & illa quoq; institutio antiquitus valuit. *Titius hæreditatis meæ Dominus esto. l. his verbis. ff. de hæred. instit.* Quid si quis ita dixerit. *Titiũ de hæreditate mea disponere volo?* Vtiq; idẽ erit, nam qui disponendi ius nanciscitur, is dominus est. Sic disponere testator dicitur, quia dominus. *§. disponat. Auth. de Nupt.* & qui eo iubente disponit, dominus itidẽ est. At ab eo, qui dixerit. *Titiũ de hæreditate mea disponere volo,* non longe est is, qui extremã suã voluntatẽ cõmiserit, seu contulerit in dispositionẽ Titij. Denique sic Innoc. Pont. interpretatus est, vt hęc verba institutionem faciant, quod satis.

Nec recesit ab hac sententia magnus ille Commentator Innoc.[δ] Eo tamen tẽperamento adhibito, vt qui hoc modo hęres institutus est, nudum hęredis nomen sortiatur, & in piã causam bona distribuat, quod quãquam communiter est receptũ,[ε] tamen plus placet, vt absolute hęredem dicamus authore Pontifice; a quo vnũ hoc percipere est, si verba dubia perduci ad institutionem posint, non esse tunc ad exitiũ testamenti trahenda ex ciuili subtilitate, sed ex Pontificia benignitate iuuanda, ac fouenda, non. n. temere præmisit bonus Compilator. *Cũ tibi de benignitate, et infra*. Nec desunt exempla.[ζ] Est tamen, qui integrã afferat decretalem hanc,[η] æstimetque eũ, qui extremã suam voluntatem in alterius dispositionem commiserit, eatenus videri testatum dumtaxat, vt excludat Episcopum, ne ipse administret, sed vtinam satis.

α *Sac. Iur. contr. differt. 6. c. 5. & 10.*
β *Connan. lib. 9. c. 4. n. 4. & quos retuli d. differt. 6. c. 8. 9. 10.*
γ *Lib. 2. Parerg. c. 31. Couarr. d. c. cum tibi. n. 1. post omnes ad l. captatorias. C. de testam. Milit.*
δ *d. c. cum. tibi.*

Ias.

θ *Ias.d.l.captatorias.n.12.Couarr.d.c.cum tibi.n.10.*
ζ *Tusc.l.I.concl.227.*
η *Vide Fachin.contr.lib.5.c.57.*

An ex meretricio poſſit mulier aliquid capere, aut exigere *Ad l.4.§.ſed & quod Meretrici.ff.de condict.ob turp.cau.* Cap. CXI.

1 *Meretrici datum cur repeti non poßit.*
2 *Meretrix turpiter facit, ſed non turpiter capit. 5.*
3 *Repetitionem quando auferat turpis cauſa.*
4 *Vſus meretricij corporis ſui natura venalis.*
5 *Turpiter cur faciat meretrix.*
6 *Mercedem paciſci ex corpore fas eſt.*
7 *Meretricium cur permiſſum.*
8 *Turpiter an faciat, qui meretrici dat.*
9 *An occulta meretrix, alia ve mulier licite capiat ex corpore.*

AIt Vlp. *Sed, & quod Meretrici datur, repeti non poteſt, ut Labeo, & Marcellus ſcribunt; ſed noua ratione; non eo,*
1 *quod vtriuſque turpitudo verſatur, ſed ſolius dantis, illam enim turpiter facere, quod ſit Meretrix, non turpiter accipere, cum ſit Meretrix.* Sic reddere Meretrix non tenetur, immo ſi pactam mercedem petat, audiendam putant cõtra gloſſographum. a

2 Vtrumq; recipio, ſed pulſat elegans Vlpiani reſponſum, vt cum eo requiramus, quæ noua iſta ratio ſit, & cur videatur illa turpiter facere, quia ſit meretrix, nec tamen turpiter accipere, cum ſit Meretrix.

Æſtimo, in gloſſemate Accurſij nihil videri valde nouũ, niſi adiecero, vnde nouitas iſta clarius innoteſcat. Erat

ratio vetus, repeti nihil poſſe, ſi, & dantis, & recipientis verſari turpitudo aliqua videretur. *l.2. & 3. d. l.4. in princip. ff. eod. de cōdict. ob turp. cau.* Noua ratio ſpecialem cauſam Meretricij capit, vt expreſſe docet I.C. Eo autem pertinet noua iſthæc ratio, vt facere vterque turpiter videatur quidem, ſed in dato, ac recepto diſcrimen ſit, deniq; vt ſolius dantis turpitudo verſetur, non recipiētis. Sed cur ita? Couarr. [g] rem exponit ex D.Tho. Sot. & alijs. Et (inquit) actus ipſe Venereus ab vtroq; turpitudinem habet, ſeu mare, ſeu fœmina, quapropter & pactio mercedis eadem turpitudine inficitur, nec tantum ex parte viri, ſed & mulieris. Sed quatenus datio, receptioque mercedis, eiuſque promiſſio, & ſtipulatio ſeorſum cenſeri poſſunt, nec
4 datio, nec promiſſio habere turpitudinem dicitur, nam vſus meretricij corporis ſuapte natura venalis eſt, & quod datur, promittitur ve, aut recipitur locum ſubit compenſationis, & mercedis pro eo, quem dicimus, venali vſu, ideoque ad commutatiuam iuſtitiam pertinet.

At, ſi ita dicamus, par vbique erit cauſa dantis, & recipiētis, quod tamen noluit Vlp. *in d.§. ſed & quod Meretrici.* quocirca hæc addit Couarr. *Et tamen nihilominus dantis, vel promittentis turpitudo verſatur ob eam ipſam cauſam, quia datio Meretricem prouocat ad fornicationem, & procedit ab appetitu, & libidine coitus; non ſic receptio Meretricis, vel mercedis pactio, quippe quæ non procedat ab appetitu actus Venerei, ſed vt habeat ipſa mercedem, & precium vſus corporei ad actum fornicationis, quo fit, vt nec ipſa datio turpis ſit, quatenus ea tendit ad ſtipendium, & mercedem actus Venerei, & vſus corporis, quem ipſa præſtat Meretrix,*

&

& ob quem precium habere potest. Hæc Couar.
Laudo virum, sed ex noua Iurisconsulti ratione velim paulo nouiorem spiritum excitari. Et præterea si hæc attendimus, si (inquam) dationem rei, vel pecuniæ eo semper modo considerare volumus, vt stipendium, & merces actus Venerei sit, nulla vspiam turpitudo erit a parte dantis, cum tamen alia sit Vlpiani mens, aut contraria potius.
Quid ergo tá noui in hac Iuris definitione est? Sat equidem nouum credas, vtrumque facere turpiter, hoc est, & dantem, & accipientem, in dato autem, & recepto discrimen esse. Denique hominem & turpiter facere, & turpiter dare, mulierem vero turpiter quidem facere, sed non turpiter recipere, & (quod nouitatem maxime auget) facere mulierem turpiter, quia meretrix est, sed non turpiter recipere, quia meretrix est. Quid est hoc?
5 Quantum conijcio, sensus Vlpiani his est. Turpiter facit Meretrix, dum quæstum facit ex corpore. Turpiter, quia contra legem honestatis; permittitur tamen sic agere absque metu legis, aut Iudicis. *l. quæ adulterium. in fi. C. ad l. Iul. de adult* licet enim sui corporis dominus nemo sit. *l. liber homo.* (si tamen hac lege id probatur) *ff. ad l. Aquil.* vnusquisque tamen pro vsu sui corporis mercedem paci-
6 scitur, vnde operarum obligationes, &c. Ergo potuit mulier ex vsu sui corporis quæstum velle facere, nec compri-
7 menda a lege fuit, cum præsertim inde permitti meretricium debuerit, vt grauioribus malis obuiam iretur, adulterijs scilicet, stupris, &c. Ergo, si non lege conscientiæ, quæ immaculata est, saltem positiua, atque exteriori lege

permissum mulieri fuit, vt infamem quasi erigeret sui corporis officinam. Iustum itaque simul fuit, vt mercedem inde haberet, sic enim turpiter facit quasi Meretrix, sed non turpiter accipit, quia Meretrix, licet enim vsus corporis turpiter vendatur, quia tamen venalis est, & sub commutatiuæ Iustitiæ lege, turpius negaretur ab homine precium, quam reciperetur a muliere.

8 Non eadem est conditio dantis, is enim, nisi turpiter, accedere ad mulierem non potest pro infamissima merce pacturus mercedem. Accipit meretrix non quasi ad libidinem prona, sed, vt quæstum faciat ex corpore, sic omnino præsumente lege. Dat vero Masculus in causam explendæ libidinis, se seque infami communicat, vt sic turpiter dare intelligatur. Nec, quia iustum sit, mercedem ab eo solui, propterea turpitudo abluitur, nã omnimodo causa dationis turpis est, tenetur autẽ dare, quia licet turpiter ipse det, non tamẽ turpiter recipit Meretrix ex Vlp.

9 Quid, si non meretrix est, sed occulta, aut religiosa fœmina? Has etiam recipere posse Couarr. credit, quia venalis vbique corporis vsus est. Sed non bene, aut ego fallor, nam solam Meretricem Vlpianus excipit a receptione turpi, reliquæ igitur sub veteris Iuris regula continebuntur. *d. l. 2. 3. & 4. in princ.*

α *ver. sed noua ratione. De comm. Ias. in l. generaliter. in fi. ff. de verb. oblig. vbi & Zas. n. 29. Couar. ad regul. peccatum. relect. par. 2. §. 1. n. 2.*
β *Sup.*

Quę causa sit, vt purpura, licet pretiosior, vestimento cedat, & pictura, quę itidem pretiosior, tabulę non cedat. *Ad l. qua ratione. §. literæ. & seq. ff. de acq. rer. dom.* Cap. CXII.

1 *Qui nouam ſpeciem facit, is dominus ſpeciei eſt.*
2 *Pictura tabulam cur trahere poßit.*
3 *Scripturæ prærogatiua.*

PVrpura, quæ intexta veſtimento fuerit, & ſi precioſior illo eſt, cedit tamen veſtimento. §. *ſi tamen. Inſtit. de rer. diu:* pictura autem non cedit tabulæ, ſed illam trahit. *l. qua ratione. §. ſed non. ff. de acq. rer. dom. §. ſi quis. Inſtit. eod.* Cur ita? Sunt vetuſtiorum interpretum rationes, quas alij ſatis controuerterint. Suam affert Emund. Merill.[a] Quia (inquit) cum quis pinxit in aliena tabula, nouam ſpeciem
1 fecit, puta, imaginem, quæ ante non fuerat, & ideo debet eſſe dominus imaginis pictę, qui eam fecerit. *l. adeo. §. cum quis ex aliena. ff. de acq. rer. dom.* Saltem ſecundum Proculeianos, qui plus rationem habent formæ, quam materię. At vero cum quis purpuram alieno veſtimento attexuit, nouam ſpeciem non fecit, ſed adiecit veſtimento, quod habet ſuam propriam qualitatem, & ſpeciem, idque etiam Labeo, & Proculus admittebant. *l. ſed ſi. §. 1. ff. eod.*

Laudo equidem, ſed nodum ſoluere Merillius debuit *ex d. l. qua ratione. §. literæ. & §. literæ. Inſtit. eod.* Nã, qui in chartis alienis, aut membranis carmen, hiſtoriam, vel Orationem ſcripſit, is nouam ſpeciem feciſſe non dubitatur; cur itaque non eius ſcripturæ Dominus ſit? Pone etiam, ſcriptum fuiſſe aliquid, vt pulcherrimæ ſcripturæ exemplum præbeatur, an non pictum potius dixeris, quam ſcriptum? an non ſpecies noua ſit? Cur itaque viliſſimę chartę cedere debeat?

At

a At etiam, si Merillio credis, male audis a Paulo *in l. in rem 23. §. 2. ff. de rei vend. Sed & id* (ait Paul.) *quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, totum meum fit, licet de pictura quidam contra senserit propter precium picturæ; sed necesse est ei rei cedi, quod sine illa esse non potest.* Habes Paulum, qui non plus Merillio consentiat authori sane erudito, quam Gaio, & Iustiniano *in d. l. qua ratione. §. sed non. & d. §. si quis.* Æstimat enim Paul. idem de scriptura, ac de pictura sentiri posse, simulque, quę sit ratio eorum docet, qui de pictura alter sentiunt, videlicet *propter preciũ picturæ*, quæ etiam ratio Iustiniano placet, dum *ridiculũ* esse ait, *picturam Apellis, vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.* Hęc itaq; omnibus pręcipua esse debet. Sed (bone Deus) an non carminis, historiæ, orationis tale esse precium possit, vt non vilissimæ chartæ cedere debeat? Patior, si aliquid eiusmodi scriptum est, quod sit omnibus commune, & passim vulgatum; *cæterũ* (loquor cum Baldui. *β si quos peculiares, & priuatos ingenij forte tui fœtus, & nullis opibus conferenda doctrinæ monumenta imprudens chartis illinas alienis, nulla pateretur ratio, eam haberi vilis chartæ rationem, vt vel tuarum lucubrationum inæstimabilem iacturam facere, vel eas alijs communicare cogaris. Ergo* (subdit ille post multa) *si meum carmen, historiam, vel Orationem (Sacrosanctas, & inæstimabiles hominis studiosi diuitias) in charta forte tua scripserim, satis erit, me tibi tuæ chartæ precium persoluere.*

Adeste Geniales igni potius tradendæ, quam prælo, si in accessionem vilissimæ chartæ concessuræ estis, qualescumque estis.

a Ob-

α *Obseru. lib. 2. cap. 28.*
β *d. §. litera. n. 4.*

Quid illud sit, quod saluberrima consilij præceptione traditum legimus. *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Ad c. 3. de reg. Iu.* Cap. CXIII.

1 *Scandalum facere quis dicatur.*
2 *Scandalum quid.*
3 *Scandalum duplex.*
4 *Et quale genus peccati.*

SIc Będa ille magnus. *Vtilius* (inquit) *scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. d. c. 3.* incip. *Qui scandalizauerit.*

Sed quî fieri id possit, vt veritatem non deserat is, qui scá-
1 dalum faciat? Nam facere is dicitur, qui ex instituto aberrat a via, vt alium trahat in ruinã sceleris, & peccati. *Scã-*
2 *dalum* enim græce *offendiculum* latine est, & quasi quid obstet eunti, & impactio pedis; actum denique designat mali, quo quasi cadendi occasio præbeatur. Igitur vitium est fraternæ correctionis virtuti suapte natura contrariũ, vt Theologi docent cum D. Tho. α Vitium denique eiusmodi, vt, quasi de abominabili re, dixerit de illo Christus, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum Maris.* Et rursus. *Væ homini illi, per quem scandalum venit. Væ Mundo a scandalis.* Videat Bæda, an qui scandalum nasci permittit, retinere veritatis viam possit.

Sed caue, nam is permitti scandalum iubet, non committi,

3 ti, sciebat enim, veritatem non esse in eo, qui scandalum operatur. Igitur non de scandalo Będa loquitur, quod vulgo *actiuum*, sed quod *passiuum* nuncupari solet, hoc est, non datum, sed receptum, quia videlicet prouenit ex bono opere, vel dicto alterus, aut saltem ex eo, quod nec malum per se est, neque imaginem habet mali.

Sinendum itaque potius est, vt scandalum nascatur, quã vt veritas relinquatur, nam, si veritatem facis, parum tibi esse debet, vt ex ea pusillus tuus scandalum capiat, præstat enim, vt scandalum nasci permittas, quam vt veritatis deseras viam, maxime, cum tibi ipsi carior, quam pusillo tuo, sis.

4 An autem hoc quoque scandalum de ratione peccati sit, & quid ob scandalum omittere debeas, aut possis ad interpretationem Bædæ; vide Scriben. cum Innoc. *in cap. 2. de No. oper. nunt.* β

α 2. 2. q. 43.
β *D. Tho. sup. gl. in d. c. 3. ver. veritas. Couar. in relect. ad reg. peccatum. par. 1. n. 4. Vasq. in Opuscul. q. 43. de scandalo. art. 2. 3. 4. 7. 8. & per tot.*

Communium, publicarumque rerum differentia ad oculum monstratur, & conciliatur secummetipso Tribun. *in* §. *& quidem. &* § *litorum. Instit. de rer. diu.* Cap. CXIV.

1 *Communia quatuor post distinctionem dominiorum.*
2 *Communia a publicis differunt.*
3 *Vsus rerum communium publicus est.*
4 *Commune idem, atque occupabile.*
5 *Vsus incorporeum quid est.*
6 *Piscandi ius commune dicitur, & quo sensu.*
7 *Communia, & nullius quæ.*

Non

NOn in tantum distingui rerum dominia potuere, vt non aliqua remanerent cómunia, aer scilicet, aqua
1 profluens, mare, & litora maris. *d.* §. *& quidem*. Sed quæ nunc communia dicuntur esse, eadem non multo post inter publica reputantur. *d.* § *litorum*. & quod publicú est, id commune rursus dicitur *in* § *flumina. Instit. eod.* cum ta-
2 men communium, & publicarum rerum species quasi inter se longissime distantes apte seiunxisset Tribun. *in princ.*

Rem non inepte explicat Accurs.[a], cum non proprietatē
2 publicam esse innuit, sed solum vsum. Quin & ipse Tribun. rem componit, litora enim communia dixerat esse *in d.* §. *et quidē*. deinceps litorum vsum publicum quidem esse *in d.* § *litorum*. sed proprietatem eorundem *nullius* esse subiungit, hoc est, *communem*, nam eiusdem iuris esse, cuius est Mare, & quæ mari subiacet, terra, vel arena. Adde, quæ Cuiac.[β]

4 Sed nondum satis. Æstimo, rerum vsum communem dici non posse, in quantum distare a publico debet. Vsus publicus semper est, nunquam communis. Ostendo; ná commune id est, quod nostrum fieri occupatione potest, vt aer, aqua profluens, mare, litora maris, lapilli, gem-
5 mę, &c. Commune (inquam) idem est, atque occupabile. Vsus incorporeum quid est, non itaque occupabilis vsus est, non (inquam) eo sensu communis. Denique & mare, & litus communia sunt, si proprietatem spectaueris, non si vsum, nam si vsum respicis, publicum vtrumque est, nihil enim occupat is, qui mare adnauigat, aut qui casam in litore ponit, in quam se recipiat (casam in-

tellige non fixum ædificium, vt male Cuiac. γ sed tectum quasi pastorale) quiue in eum vsum litore vtitur, vt siccare retia velit, & ex mari deducere. *d. §. litorum.*
Denique, quę communia sunt proprietate, eadem non communem habere vsum dicuntur, sed publicum, nam qui vtitur, nihil occupat; quin neque occupare interdum potest, licet forte vellet, vt euenit in fluminum, riparumque vsu. *d. §. flumina. cum not. §. Riparum. Inst. eod.*
6 Sed obstat ipsemet Tribun. denuo *in eod. §. flumina.* dum piscandi ius commune omnibus esse dicit in portu, fluminibusque, nam licet communes sint pisces, quasi qui pars sunt aquæ, quæ itidem communis est, ius tamen piscationis ad vsum solum pertinet, quem publicum semper esse, nuper diximus.
Resp. commune esse ius piscandi non quidem eo sensu, quo a publicis communia differunt, sed latiori, vt scilicet nulli prohiberi piscandi facultas posit, & prohibitus recte agat iniuriarum iudicio. *l. iniuriarum actio.* 13. *§. si quis me.*
7 *ff. de Iniur.* δ Sic, quæ communia sunt, nullius quoque esse dicuntur. *d. §. litorum.* generali tamen acceptione, quia in hominis manum hucusque non venere, non etiam speciali illa, qua, quę *nullius* sunt, a communibus differunt, quia diuini Iuris sunt. § *. nullius. Instit. de rer. diu.*

α *in d. §. litorum. ver. publicus.*
β *In Noti.*
γ *Ibid.*
δ *Bald. d. §. flumina. n.* 8.

De publicarum rerum pręscriptione *ad l. vlt. ff. de Vsucap. & l. si quisquam. ff. de diuer. & temp. præscr.* quæ conciliantur. Cap. CXV.

1 *Loca iuris gentium publica non præſcribuntur.*
2 *Sed contra.*

DOcet Papin. *in d.l.vlt.* loca Iuriſgentium publica non præſcribi duobus exemplis. Alterum de eo eſt, qui ædificium poſuit in litore; nam ſi derelictum, aut funditus dirutum ædificium fuit, non poteſt longi tẽporis præſciptione aduerſus eum vti, qui nouum ædificium extruere inibi velit. Alterum de eo, qui in publici fluminis diuerticulo ſolus pluribus annis piſcatus fuerit, nam alterum eodem iure vti non prohibet. Intellige omnino, ſi piſcationem deſeruerit, vt in priori exemplo, nam ſi non deſeruit, prohibere alterum bene poterit, ne eodem Iure vtatur, *vt d.l.ſi quiſquam*. Sic bene componuntur duę iſtę leges, quæ primo videbantur ex diametro pugnare; has enim cum diligenter animaduerteret Franc.Conna. [a] & duos Iuriſconſultos iiſdem verbis locutos ſibi inuicem cõtrariari videret, vel negatiuam Martiano addendam cẽſuit, vt & Balduin. [b] vel idem reſponſum duobus locis appoſitum, ſeiunctumque a ſuo principio cum aliqua mutatione literæ ſubtili quadam coniectatione aſſeruit, addens, non eſſe ingenui, probique hominis, & qui mentiri ſibi turpe eſſe dicat, de eiuſmodi legum conciliatione diſputare.

Sed eo ipſo, quem diximus, modo compoſuit Accurs. [c] ex Ioanne, & ſecuti ſunt alij [d] Iamque nihil vetat, vt dicamus, iura etiam publica præſcriptibilia eſſe, namque ex Papin. *in d.l.vlt.* qui in poſſeſsione ſua piſcandi manet poſt annos plures, ſimilis ei eſt, qui ædificium nec deſerit,

ne-

neque euertit; ſicut enim arcere hic poteſt ab ædificio ſuo quemlibet, ita & ille a piſcatione ſua; [ε] et ſicut hic dicere ædificium ſuũ poteſt, ita & ille quaſi ſuum dicere poteſt piſcandi in diuerticulo ius; itaque multo plus habet, quã temporalem quandam prohibitionem, vt dicebat Balduin. [ζ] Denique, qui iure aliquo publico per annos plures vſus eſt, is exceptionem acquiſiuit, qua prohibere alios poſsit, donec piſcationis locum deſerat, nam vbi deſeruerit, quaſi poſtliminij iure rurſum publicus locus fit. *l. in tantum. ff. de rer. diu. l. quod in litore. ff. de acq. rer. dom.* [η]

α *lib. 3. c. 10. n. 1.*
β *§. flumina. n. 8. Inſt. de rer. diu.*
γ *d. l. ſi quiſquam. in gl. vlt.*
δ *Bart. Caſtr. Cuiac. & c. in d. l. vlt.*
ε *plaudit Ias. in l. quaminus. n. 99. & 100. ff. de flu m.*
ζ *d. n. 8. ſup.*
η *Cuiac. d. l. vlt.*

Adultera an ſe ipſam prodere teneatur, ne iuſtę proli officiat. *Ad c. officij. de pœnit & remiſſ.* Cap. CXVI.

1 *Reſtituere qui non teneatur, aut damnum reficere.*
2 *Lex poßibilis eſſe debet.*
3 *Fama res eſt valde pretioſa.*
4 *Sed nummario precio æſtimabilis.*
5 *Reſtituendaque eſt cum diſpendio famæ.*

S*Ignificaſti* (ait Innoc. 3.) *quandam mulierem in pęnitentia tibi fuiſſe confeßam, quod timens, ne viri poſſeßio deuolueretur ad alios, quarundam herbarum ſuccum potauit, & ſic venter eius intumuit, & inde grauidam ſe oſtendens ſibi partum ſuppoſuit alienum, timenſque Maritum, non vult facinus ipſi detegere, qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſ-*

ſe

se suam. Quoniam igitur postulas edoceri, vtrum ei hac fraude durante sit pænitentia iniungenda; respondemus, quod sicut mulieri, quæ ignorante Marito de adulterio prolem suscepit, quamuis id viro suo timeat confiteri, non est pænitentia deneganda, ita &c.

An ergo iustæ prolis detrimentum non erit ab adultera ista reparandum? An dimittetur peccatum, nec prius tamẽ, quod ablatum inde fuerit, restituetur? Vtique (aiũt)

1 si quidẽ ratio dictat, vt domino reddatur suum, damnũ ve illatũ sarciatur, modo absque læsione id fiat corporis, aut famę, quandoquidẽ, cum lęsio incidit eiusmodi, nihil tunc inuito domino fit, adesse enim videtur voluntas domini, si nõ expressa, saltẽ pręsumpta, aut debita, cũ velle debeat dominus ex recta ratione, ne sibi sua res cum tam graui mortis periculo, aut famę dispendio restituatur. Reticere ergo mulier poterit citra damnum salutis; atque ita quidẽ cõmuniter creditũ. Sic alibi cõsultius, ac salubrius alienũ retinetur, quam dimittatur, nẽpe gladius, si suspicari possis, cũ eo dominũ graue aliquod facinus admissu-

2 rũ. *c. ne quis arbitretur. § duo sũt. 22. q. 2.* Deniq; vt prodere se mulier debeat cũ tantæ rei discrimine, prædurũ videtur, & moraliter impossibile, cui perinde nec positiua quidẽ lex obligare posset. *c. erit autẽ lex. 4. dist.* Dixi *sup. c 46.* Et hæc quidẽ nimis, vt opinor, praxi recepta, licet nõ defuerint Authores grauissimi, qui temperamẽta aliqua adhiberent. [a] Et reuera negari non potest, ex larga quadam consciẽtia nonnihil dictum, aut scriptũ fuisse, cum nihil esse videatur in canone Pontificio, quod ad famę dispendium trahi possit. Loquitur Innoc. de muliere, quæ non

reuelaſſet, quia timebat de viro, periclitabatur vita, parcendũ animæ fuerat. Nihil non admitto, vbi periculũ facit vita, nã huc pertinet exẽplum gladij *in d.c.ne quis arbitretur.* huc etiã ratio illa impoſſibilitatis, quã dicebam; ſed nolim tã libere ad famã protrahi, quod bene receptũ de
3 vita eſt. Fama (inquit Couarr.) res quidẽ eſt valde precioſa, maximumq; bonorũ omnium, quę extra nos ſũt. *c. de-*
4 *teriores.6.q.1.*[δ] quia tamen externũ quid eſt, & nummario precio æſtimabile,[ε] propterea, ſi pluris ſint Mariti bona, quã fama mulieris, quis, obſecro, inficiari recte poſſit, mulierẽ ſe ipſã prodere oportere? Nam & illud in cõfeſſo eſt, teneri eũ, qui inſontẽ aliquẽ infamauerit, retractare, reſtituere etiã cum diſcrimine proprię famę, ſaltẽ, ſi ęqualis iactura famæ in vtroq; eſt, debitore .s. & creditore. Tunc ego. Si famã reſtituere teneor cum diſpendio famę, ergo & bona teneor iuſto filio reparare cum eodẽ famę diſcrimine, ſi eiuſmodi illa ſunt, vt valorem famę valeant compenſare. Vide Sot.[ζ]

α *Innoc. Panor. & alij, quos refert Couarr. in relect. reg. peccatum. par. 1. n. 6. verſ. Quartum. &c. Leſſ. de Iuſtit. lib. 2. c. 10. dub. 7. n. 50. Vaſq. in Opuſc. tit. de teſtã. c. 5. §. 1. n. 4. Laym. in ſum. par 3. c. 14. n. 1. & ſeq.*
β *Omnes relat. Sot. latiſſ. de Iuſtit. & Iu. lib. 4. q. 7. art. 2. in reſp. ad 2.*
γ *Sup. verſ. ſed & ſecundo.*
δ *Ariſt. 4. Ethic. c. 3.*
ε *Erudite Couarr. (poſt Ariſt. & D. Tho.) lib. 1. Variar. c. 2. n. 8.*
ζ *Sup.*

An is, qui promiſſa, non expoſita pecunia ludit, teneatur extra forum contentioſum promiſſa exſoluere. *Ad l. 1. ff. de alea vſu, & aleat.* Cap. CXVII.

1 *Qui ex lucro acquirit, ſuum facit.*

2 Sed

2 *Sed restituit, & quomodo.*
3 *Alearum lusus quasi contractus quidam est.*
4 *Ei retentio competit, cui actio datur.*
5 *Frustra petit, qui statim restituturus est.*
6 *Qui vsuras iurato promisit, soluit.*
7 *Non item si promisit simpliciter, & cur.*
8 *Infidelis parum abest a periuro.*
9 *Circuitus non semper inutilis.*

COnsentiunt Scriben. (quod & receptum praxi) eum, qui ex ludo quæsierit, suum facere, nec teneri restitue-
1 re, nisi compellatur a Iudice; licet enim lex humana præcipiat, sic quæsitum reddi, pęnasque Lusoribus adijciat, vti bene constitutæ Reip. summe perniciosis, non tamē acquisitionem prohibet dominij. Vide *d.l.1. auth. alearum* (quicquid sit de græca litera) *C de Relig. & sumpt. fun. c. inter dilectos. de excess. Præl. cum not. c. Clerici. 2. de vita, & honest. Cleric.* Denique restitutio non debetur,
2 nisi petatur coram Magistratu; est enim alearum lusus cō-
3 tractus quidam cōditionalis in eam causam factus, vt, cui sors obtigerit, id, quod appositum lusoriæ mensæ est, quęri debeat, vnde, & citra restitutionis aleam illud est, quod ita acquiritur in alea. *l.1.§ si conuenit. ff. Depos. c.1. de pact.* Vide Couarr.[a]
Æstimat vero iste secutus Adriani sententiam, eum, qui pecuniā promisit, non teneri in foro animæ; nec desunt sectatores penes Sal.[b] Quia (inquiūt) posset deinceps, si solueret, repetere corā iudicante, ei vero competit retentio
4 magis, cui actio datur. *l. inuitus. §. cui damus. ff de Reg. Iur.*

Et licet nihil actũ corã iudicante fuerit, nec propterea videatur excusari interim posse, ne, quod promisit, soluat, attamẽ qui promissã pecuniã lucratus est, videtur incapax factus ante omnem Iudicis sententiam ad petendum, cũ ius quod acquirit, eo ipso transferatur ad perdentem.

Contrarium puto verius, eũ scilicet, qui promisit, soluere interim debere, & deinceps repetere, si velit, corã Iudice solutũ posse. Nam Lusor iuste acquirit obligationẽ promissionis, priusquã aditus Iudex sit, cum & iuste dominium acquirat quæstus e ludo facti; ergo interim petẽdi ius habet ab eo, qui promisit, quo fit, vt excusare se promissor nõ posit, aut nõ iure faciat, si se excuset. Nec videri potest incapax factus, qui lucrum sortitus e Ludo est; cur enim incapax sine lege irritante? Incapax ergo nequaquam redditur, nisi facto Iudicis.

Minus valent regulę illę Iuris, competere ei retẽtionẽ, cui
5 actio datur, immo frustra petere eum, qui statim restituturus est. *l. dolo ff. de doli excep. &c.* si quidem in foro cõtentioso seruari debent, non in foro Cæli, lex enim Domini immaculata, &c.

6 Adde *c. debitores. de Vsur.* in quod frustra obnituntur. Ibi qui vsuras promisit, & iurauit, tenetur soluere, & solutas postea repetit. Ergo, & qui pecuniam promisit in alea, interim soluere obligatur, sed repetere exinde potest. Nec dicant, illud ita esse, ne periurus sit, qui promisit, nam & hic promissum dare debet, ne sit infidelis. At (inquiunt rursus) qui promisit simpliciter vsuras, sed non iurauit, non tenetur in foro animæ, ergo singulare illud in iure
7 iurando est. Volo hic sinceros Iudices; credo .n. eum, qui

vsu-

vsuras promisit, soluere non teneri, quia creditor petendi ius non habet, si iuratum non est. At hic ludi creditor, & petit, & iuste petit; itaque soluere promissor de-
8 bet, ne infidelis sit, qui parum distaret a periuro. *c. iuramenti. 22. q. 5.*
9 Quod obijciunt, circuitum istum quasi Reip. inutilem obtruncari oportere, valeret, nisi periculum hic faceret anima promissoris. Et præterea non est inutilis circuitus, quo lusores sic vexentur, vt a crimine quantum fieri possit, arceantur. arg. *d. c. debitores.* Vide Sal. γ

α *Reg. peccatum par. 2. §. 4. n. 8.*
β *De Ludo. dub. 26. n. 2.*
γ *Ibid. n. 3. Et de quæst. latius.*

An qui certo sciens, potiores partes se in ludo habere, sponsionem auget, teneatur restituere. Cap. CXVIII.

1 *An qui sciens, deminutum esse precium frumenti, uendit ignoranti, restituere teneatur. 4.*
2 *Aut qui vendit, sciens viliori precio distrahendas merces.*
3 *Venditio bonæ fidei contractus est.*
5 *Naturalis ludi lex.*

ME sæpius fœmellæ interpellarunt, rogitantes, an cui sorte obuenerint tria Regum signa in ludo illo vulgari, quo se illæ quotidie implicant, augere sponsionem tuto possit. Non ausus proferre sententiam, ne me etiam cum ipsis perderem, risi, ac silui. Nunc rem examino, ne se illæ exanimment.

Recepta sententia est, restitui, quicquid lucro obuenerit, oportere, sic enim testatur Couarr. α Et, quantum vi-
1 deo, hoc vno munitur, quod si quis sciens, decreto Prin-

cipis deminutum frumenti precium esse, vendat ignoranti, & precium recipiat, quod secluso decreto iustum
2 erat, restitutionis onere grauatur, sicut & is, qui cum frumentum haberet tempore famis, sciretque naues paulo post frumenti copiam aduecturas, atque adeo viliori precio distrahendum fore, ignoranti vendiderit, se seq; cum alterius damno locupletarit.
Sed hæc minime obstitere, quin ille contrarium sentiret.
3 [ß] nam, & an similia sint, & an vera, pariter ambiguum. An similia, quia venditio contractus bonæ fidei est, qui nullam fraudem admittere, licet in re existat, potest. An
4 vera, quia nullum esse restitutionis onus, licet male
5 agat venditor, credidit D. Tho. [γ] Cæterum, vt contrarium verius putet, & lusori faueat, eo ducitur Couarr. quia naturalis ludi lex eam conditionem habet a consensu vtriusque ludentis, vt qui meliorem, ac potiorem ludi partem habuerit, possit, licet certus de lucro, alterum ad augendam sponsionem inuitare, appositamque pecuniam augere, modo aliunde absit dolus, vel fraus; quod sensisse omnes docet Sal. [δ]
Sed vereor, ne lex quædam noua, quæ pro lusoribus valde faciat, statuatur. Æstimo, rationem esse aleæ, vt appositam pecuniam trahere secum debeat, cui potior pars obtigerit, vtque spondere is possit, qui pecuniam habet in discrimine, non qui certus victoriæ est, sic enim & ille, qui peiorem ludi euentum timet, caute, & simulate augere sponsionem potest, vt recedat is, qui meliori potitur; nam periculum aliquod subit, qui sic sponsionem auget, vnde quasi Venator per iocum dicitur, qui lace-
ros

ros artus, lacerasque vestes referre soleat. Cæterum, vt deponat, vt inuitet, vt spondeat is, qui nullum fortunæ discrimen sentire possit, ex lege ludi esse, mihi certe non probabitur, est enim inuitatio quasi ad æquabile fortunæ certamen prouocatio, &, qui supra aleam fortunæ est, non ad pugnam vocat, sed ad exitium.
Dicam potius, neque aleam esse, neque ludum certa victoria potiri posse, cumque sustineri vix queat, ne lusor, quasi ex non iusta causa acquirens, generaliter restitutione grauetur, hanc ludentium legem vsque eo protrahere, vt super certo augere sponsionem liceat, suspectum credo, atque interim communi sententiæ hærendum censeo.

α reg. peccatum. par. 2. §. 4. n. 5.
β sup.
γ 2. 2. q. 77. art. 3. in fi.
δ De ludo dub. 25. n. 2.

An possit bene cautus, peritusque lusor ab imperitiore lucrari. Cap. CXIX.

1 *Par esse conditio debet vtriusque aleatoris, & quomodo.*
2 *Certare de ingenio licet, & lucrari.*
3 *Alea in fortunæ variatione tota est.*

1 NEgat communis schola, [a] si talis peritia est, vt certum quem victoriæ faciat; idque argumento illo, quia par esse conditio debet vtriusque ludentis.
Sed vereor, ne ratio ista vera non sit, paritas. n. requiritur circa leges quæ, ludi illius sunt, non circa modum peritiæ, vel industriæ; Cumque nulla melior ratio communẽ

ſententiam iuuet, contrarium verius non nulli æſtimant,
2 eo firmati, quod reiecimus paulo ante, certum de victoria augere ſponſionem poſſe. Addunt, ſi duo certent de ingenio, lucrari eum poſſe, qui certus vincendi eſt; Ergo, &c. Veriſſime quidem, ſi duo ludentes id omnino velint, & quaſi paciſcantur inuicem, vt plus induſtria vincat, quam fortuna; quid enim prohibet, duos, aut corporis, aut animi viribus certare velle, eumque qui ſuperiorem ſe eſſe agnouerit, ad pugnam egredi, vincere, & lucrari? Sibi enim imputare alter debet, qui ſuperioris vires maluerit experiri, quam credere. At etiam, ſi imperitior prudens, ac ſciens ſe ſe periculo exponat, nil vetat, perdere eum poſſe, quod & donare, ſi ita velit, poteſt.

Noſtra diſputatio alia, atque alia eſt, nam peritum ſupponimus, qui imperiti, & nihil tale cogitantis eludere ineptiam velit, & ab inconſulta quadam facilitate lucrũ captare. Hunc itaque aleę vix patimur velle accedere,
3 qui talis ingenio eſt, vt ſupra aleam ſit. Cumque ludum dixerimus in fortunę variatione totum eſſe, abſque vlla etiam variatione communem ſententiam ſequimur, & firmamus.

a *De Ludo dub. 25. n. 1.*

An vocatus mandante Iudice pręſumatur in ambigua quęſtione vocatus inſtante parte. *Ad c. 1. de Iudic.* Cap. CXX.

1 *An ſolemnia præſumantur.*
2 *Petitio partis non ſolemnitas eſt, ſed factum præcurrens.*
3 *Et an pars integralis ſit.*

4 *Citatio quibus constare intelligatur.*
5 *Iudex non mouetur, nisi instante parte, & cur.*
6 *Citatio sumptum requirit.* *(cipue respicit.*
7 *Actus eius voluntate gestus præsumitur, cuius vtilitatẽ præ-*

PEtitionem partis in dubio præsumendam, frequentius creditum, Vide Aret.[a] Sed nihil tam implicitum. Et illud quidem ridiculum, petitionem istam inter solemnia
1 recenseri, & tunc requiri diligẽter, an præsumi solemnia possint, & numquid intrinseca esse oporteat, vt præsumã-
2 tur. Vide Dec.[b] Petitio partis non solemnitas est, sed factum simplex, quod vocationem præcurrit iudicantis ex
3 Alc.[c] Eo autem processum est, vt non solemnitatem, nõ factum dixerint esse Recẽtiores quidam,[d] sed partem integralẽ citationis. Et fortasse obtinuerint, si de hac re pinguius disceptetur, videtur enim citatio vnũ esse quasi corpus ex quatuor partibus integrantibus, videlicet, petitione partis, commissione Iudicis, executione Nuncij, & relatione eiusdem. Atque ita quidem resoluerint Commentarienses communiter.
4 Sed nostra disputatio ab his procul est. Citationẽ dicimus cõstare sola Iudicis vocatione, petitionẽ partis causam esse extrinsecã motiuã Iudicis, executionẽ Nuncij extrinsecã pariter, sed instrumentalẽ, relationẽ vero eius ad fidẽ citationis iã constitutę, ac factę volumus pertinere. Ex his nouum colliges pro Iudice argumentũ. Nam, si petitio causa motiua est Iudicis, ergo & supponitur ad motum Iudicis,
5 cum non sit motus sine mouente; idque eo magis, quia Iudex non mouetur, nisi instante parte, est enim omnibus

in confesso, nec præsumi, nec debere Iudicem officium suum interponere pro eo, quod priuatim interest, pręterquam requirente eo, cuius interest; cuius rei prima illa ratio est, quia Iudicis est seruire causæ, nec seruire intelligitur, aut potest, nisi supposito iussu dominantis.
Ergo pręsumitur petitio partis, quia pręsumitur pro Iudice, nec deesse possunt aliæ verisimilitudines; est enim citatio
6 actus, qui sumptum aliquem requirat, istum vero neque a Iudice factum censere possemus, neque ab alio temere,
7 qui perdere suum velit. arg. *l. cum de indebito. ff. de probat.* Et præterea eius voluntate, & petitione in dubio factum crederemus, cuius vtilitatem præcipue respicit. *arg. c. constitutis. 45. de testib. & not. ad l. 1. C. de Eden.*

α *Vide Aret. d. c. 1. n. 11. Rip. n. 20. Alc. n. 8. Menoch. lib. 2. præs. 23. n. 1.*
β *Dec. n. 7. in d. c. 1.*
γ *Alc. ibid. n. 8.*
δ *Bero. ibid. n. 48.*

An prohibiti testari cōi iure posint tamen ad pias causas testamento disponere. *Ad l. 1. C. de sacros. Eccl.* Cap. CXXI.

1 *Priuilegium metiendum ex mente concedentis.*
2 *Christianorum Collegia olim interdicta.*
3 *Priuilegia coarctantur de idoneitate.*

DIxi alibi, α eam semper fuisse Canonistarum omnium receptam sententiam, vt testari prohibiti per Ciuiles leges, posint tamen ad pias causas testamento disponere. Mihi nunc retractandum non nihil est, & nouum de praxi testimonium proferendum.
Quæstio hæc disputari non potuit ante Constantinum in *d. l. 1.* vbi verba illa insignia, & pasim decantata per scho-

ſcholas, & Curias. *Habeat vnuſquiſque licentiam ſanctiſſimo, catholico, venerabilique Concilio decedens bonorũ, quod optauerit, relinquere, & nõ ſint caſſa iudicia eius, &c.* Vnuſquiſque (ait Bar.[β]) etiam alioqui inhabilis ad teſtandum. Sed perperam, credere enim non debuit, voluiſſe Conſtantinum vno verbo totam obſeruationem teſtamentorum multis vigilijs excogitatam, inuentamque euertere, vt loquitur Iuſtin. *in l. ſi. quando. C. de inoff. teſt.* maxime, cũ ipſe Bartolus a ſe diuerterit, nonnulloſque exceperit, qui nec teſtari quidem ad pias cauſas poſsint.

Equidem communem ſententiam ſequor contra Bartolum.[γ] nec contraria terrent, nam ſingulis obuiam fit, ſi
1 priuilegium metiamur ex mente concedentis, vt par eſt.
2 Enimuero, cum olim Chriſtianorum Cõcilia, ſeu Collegia interdicta eſsent, nec perinde dari aliquid, aut relinqui eis poſset, primus Conſtantinus (vt totidem verbis ſcribit Melchiad. Pont. *in c. futuram. 12. q. 1.*) *fidem veritatis patenter adeptus licentiam dedit, per vniuerſum Orbem ſub ſuo degentes Imperio non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricare Eccleſias, & prædia tribuere poſſe conſtituit.* Mens itaque fuit optimi Principis, vt voluerit non quidem teſtandi inhabiles, ſed alioqui teſtamenti factionem iure habentes priuilegio iuuare, vt pro Eccleſijs valide diſponant; Et hæc ipſa mens concedentis ſatis in ſubiecta ratione nitet, non enim perſonam teſtantis ratio tangit, ſed
3 libertatem, vt ibi. *Liber ſit ſtylus, & licitum, &c.* Nec nouum Bartolo eſſe potuit, aut debuit, priuilegium quodlibet, quamtumuis generale ſit, reſtrictionem tamen recipere de idoneitate. *vulg. l. vt gradatim. verſ. & ſi lege. ff. de Muner. & honor.*

α *Sac. Iu. contr. dissert. 7. c. 5.*
β *in d. l. 1. repetit. n. 15.*
γ *De comm. Adden. ad Bar. cum Gothofr. Et vide ibid. Ias. n. 9. Tiraq. de priuil. piæ cau. priuil. 79. Clar. §. testamentum. q. 5. n. 2. Cras. eod. §. testamentum. n. 2.*

An testari Monachus possit. *Ad §. si qua mulier. Auth. de Sanctis. Episc.* Cap. CXXII.

1 *Monachus nec dominium habet, nec voluntatem.*
2 *Monachus acquirit Monasterio.*
3 *Sed filios habens ius diuidendi habet inter eos.*
4 *Et numquid diuisio ista sit testamentum.*
5 *Testamentum quid.*
6 *Monachus an diuidendo agere quid valeat ultra præscriptũ legis.*
7 *Indultum contra rationem legis non extenditur.*

MOnachum testari non posse, & communibus omniũ placitis resolutum,[α] & in Auditorio Romano definitum,[β] & in vtroque iure firmatum reperitur. *c. 2. de testã. c. quia ingredientibus. c. si qua Mulier. c. perlatum. 19. q. 3. au-*
1 *th. ingreßi. C. de sacros. Eccl.* Nam nec dominium habet, *d. auth. ingreßi.* quasi qui professione Religionis sua, seque ipsum transtulit Monasterio; nec plus velle potest, quam seruus. *c. non dicatis. 12. q. 1. c. multos. dist. 54.*
Mirum itaque videri potest primo aspectu, quod statuitur *in d. §. si qua mulier.* & repetitur *C. de sacros. Eccl. Auth. si qua mulier. & d. c. si qua mulier. 19. q. 3. Si qua Mulier, aut*
2 *vir, liberis non extantibus, monasticam vitam elegerit, & Monasterium intrauerit, Monasterio, quod intrauit, res eius*
3 *competere iubemus. Sed si persona liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, Monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima nulla diminuta, & quod eis*

non

non dederit, Monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter eos filios diuidere voluerit, sua persona filijs connumerata, partem sibi retineat, quæ Monasterio competere debet.
Prætereo quæstionem, an authentica ista lex, cum Ciuilis sit, & de Monachis nominatim decernat, arctare Ecclesiam possit; vide *c. Ecclesia S.M. de constit.* & quæ alibi ego.[c] Sat est, decretorum libris insertam esse, et Ecclesiasticorum moribus comprobatam.[d] Venio autem ad id,
4 quod præcipuum in re nostra est, & quæro, an diuisio illa vere testamentum sit.
Sunt, qui affirment, testamentum esse, inde sumpto argumento, quod vnaquæque bonorum dispositio per modum quotæ, & vniuersitatis testamentum credi potest; alleg. *l. quoties. C. fam. Ercisc. l. hæreditatem. C. de Codicil.*
Negant alij, & non testamentum, sed puram diuisionem quotę contendunt esse, quam professus facere permittitur, non quasi dominus, sed quasi minister constitutus a lege.
Equidem in simplici ista distributione bonorum non inuenio testamenti rationem. Testamentum est sententia
5 libera nostrę voluntatis. *l. 1. ff. de Testam.* Videndum, an
6 Religiosus in sua illa bonorum diuisione facienda inter liberos aliquid possit proprio affectu, & voluntate decernere vltra id, quod ei præscribitur ab imperiali lege; nam, si quid vltra potest, patior, diuisionem illam testamentum dici, si minus, tunc simplex administratio erit dependens ab indulgentia legis absque vllo dominio, vel iure.
Et magis est, vt nihil valeat, nam verba legis rem valde,
li-

limitant ex Suar. [e] & concessio illa valde singularis est; quę propterea non facile dilatari potest extra proprios fines, quasi cõtra rationẽ legis generalis. *l. quod vero. ff. de ll.* Nec repugnat ius istud diuidendi inter filios votiuæ paupertati, quia pura administratio est pendens a lege, quæ Ministrum facere Monachum potest, & quasi diuisorium arbitrum, licet non Dominum *c. cum ad Monasteriũ de sta. Monach.*

α *Sanch. Decal. to. 2. lib. 7. c. 8. n. 2.*
β *Rot. in Recent. decis. 76. n. 1. par. 2.*
γ *Sac. Iur. contr. dissert. 32.*
δ *Rodriq. quæst. Regul. to. 3. q. 68. art. 2. Sanc. & alij.*
ε *De relig. to. 3 lib. 8. de pauper. c. 16.*

Emptum ex pecunia Ecclesiæ, non tamen Ecclesię nomine, sed proprio ementis, an ipso Iure in Ecclesiæ dominiũ cedat. *Ad cap. 2. de testam.* Cap. CXXIII.

1 *Emptum ex pecunia mea non est meum, sed ementis.*
2 *Ecclesia, pupillus, & miles æquiparati. 8.*
3 *Pupillus emptum ex sua pecunia vtiliter vendicat.*
4 *Item miles 7.*
5 *Transfertur absque traditione dominium fauore Ecclesiæ.*
6 *Quid iuris pupillus habeat in re, quam ex pupillari precio emerit extraneus. 10.*
9 *Modus priuilegij in æstimatione est Principis.*

Vix colligi veritas potest ex Ciuilium, Ecclesiasticarum ve legum pronunciatis. Sunt enim, quæ ita loquuntur, vt non ipso Iure Ecclesiæ esse videatur, quod emptum ex pecunia eius est, sed ei tradendum, conferendum ve, aut reliquendum. *c. placuit. 12. q. 3. c. fixum. 12. q. 5. c. 3.*

de

de success. ab intest. Et sunt, qui Ecclesiæ esse debere, in Ecclesię domino conseruandum, aut reseruandum, eidéue restituendum esse dicant. *d.c.1.de testam. c.1.& 2.de pecul.Cleric auth licentiam.C.de Episc.& Cler.*

1 Si quæramus de ratione, hæc quidem prioribus legibus congruentior est; nam generali Iuris regula emptum ex pecunia mea non est meum, sed ementis. *l. si ex pecunia. C.de rei vend.cum simil.* Sed ab hac regula declinare legē potuisse, vt piam causam pie iuuaret, indubitatum quoq; est. Posterioribus magis hærent pupillorum, ac militum

2 causæ. Trita est æquiparatio pupilli, militis, atque Ecclesiæ; aut si minus trita, quæ militis cum Ecclesia est, saltem pupillum Ecclesię parem omnimodo faciunt Alex. & In-

3 noc.P.P. *in c.1.& c. auditis. de in integ. restit.* Atqui in pupillo hoc iuris videtur esse, vt emptum sua pecunia posit ipse quasi dominus vtiliter vendicare. *l.2.ff.quan ex facto*

4 *tut.l.3.C.arbitr.tut.* In milite quoque idem est iuris. *l. si vt proponis.C.de rei vend.* ergo, &c.

Quid dicendum? Inualuit opinio, posse Ecclesiam ex priuilegio vendicare, quod sua pecunia, non suo nomine emptū sit.[a] Eoque maxime, quod fauore Ecclesiæ alibi quo-

5 que creditur absque traditione transferri dominium posse. *l.vlt.vbi Gl. C.de sacros.Eccl.* Puto tamen, cum recepta quadam moderatione rē accipi oportere.[y] Animaduersum namque ab ijs est, qui ad hanc materiam oculate scripsere, canones omnes, seu leges, quotquot afferantur, vt probent, emptum ex pecunia Ecclesiæ non ementi acquiri, sed Ecclesiæ, loqui in Episcopo, seu Cleric admi-nistrationem habentibus. Et ecce proportio. Nam leges

iti-

itidem, quæ decernunt, emptum ex pupilli, vel minoris pecunia ipſorum eſſe, non ementis, de tutore ſemper,
6 aut curatore loquuntur. Quid itaque, ſi extraneus, is (inquam) qui adminiſtrandi ius non habet, ex pecunia Eccleſiæ, vel pupilli ſibi aliquid comparauerit? Non aliud forte de pupillo ſentire poſſumus ex recepta ſcribentium diſtinctione, quam, vt bona illa habeat nexu pignoris obligata, quæ eius pecunia, non etiam eius nomine empta ab extraneo fuerint. *l. 3. ff. de reb. eor. &c.* cum not. Ergo & idem de Eccleſia ſentimus, vt ſcilicet in bonis, quæ eius pecunia fuerint comparata, obligationem pignoris nanciſcatur.
7 Obijcies forte militem, qui indiſtincte vendicandi ius
8 habet, ſi quid eius pecunia, non ſuo nomine ematur. Cõparationem Clerici, & militis habemus in praxi indubitatam, illudq; ſimul in foro conſtitutiſsimum, ſi quid Clerico indulgeatur iure militiæ Clericalis, id magis Eccleſię dari. At, ſi cum Theoricis habenda res eſt, militis, atque Eccleſiæ comparatio ſuſpecta valde eſt, quaſi quę Scribẽtium votis plus nititur, quam legis voluntate.[d] Nec placet, vt ſolis Commentatorum placitis priuilegia dilatentur,
9 quorum modus in ęſtimatione eſſe debet Principis concedentis. *l. Neratius. ff. de Reg. Iu.* maxime, cũ ipſimet practici in multis caſibus quam ſæpiſsime variarint.
10 Tene ergo pupilli, vel minoris, non etiam militis æquiparationem, & conclude, emptum ab adminiſtratore ita eſſe Eccleſiæ, vel pupilli, vt vendicari poſsit, emptum vero ab extraneo non item, ſed id, quod ita emptum fuerit, ſtare loco pignoris, vel hypothecę. Sique caſus vſpiam ſit,

vt in ſubſidium pupillo detur vtilis vendicatio (vt probatum volunt. *l. filiæ. ff. de ſolut.* vtinam bene) hanc quoque in ſubſidium Eccleſiæ dari.

α *Vide ſcripta ad c. inquirendum. de pecul. Cleric. De comm. Couarr. d. c. 1. de teſtam. n. 5. Azor. Inſtit. Moral. par. 2. lib. 7. c. 10. q. 1.*

β *ver. in rem.*

γ *Vide ſcripta ad l. ſi vt proponis. C. de rei vend. vbi Cin. Bart. n. 3. Bald. n. 4. Caſtr. n. 2. Et ad d. c. inquirendum. vbi Anch. n. 5. Couar. ſup. d. n. 5. Donel. Comm. lib. 5. c. 2. Tiraq. priuil. piæ cauſæ. 120. in fi.*

δ *Couar d. n. 5.*

An ędificium ſolo cedere intelligatur, ſi Tutor ex pupillari pecunia ædificet, & quid, ſi conſtruat aliquid Clericus ex pecunia Eccleſię ſuæ. *Ad l. 1. ff. de tig. iniun. §. cum in ſuo ſolo. Inſtit. de rer. diuis.* Cap. CXXIV.

1 *Materia ædificij vendicari non poteſt, & cur.*
2 *Pro conſumpta pecunia quæ actio pupillo detur.*
3 *Eccleſia iure vtitur pupilli.*

CVm ædificatũ ex pupillari precio non ædificantis eſſe debeat, ſed pupilli, in quem illico dominium tranſit, vt eſt *ſuperiori capite* definitum, negari poterat primo aſpectu, ędificiũ ſolo cedere, nam & illud quoq; pręmittitur, ex pupillari pecunia emptã fuiſſe materiã illam, quę adhibita ad conſtruendũ fuit. At, ſi pupilli materia eſſe debet, nõ ementis, *arg. l. 2. ff. quan ex fact. tut. l. 3. C. Arbitr. tit.* ergo & ſolũ, in quo fundatum ædificium eſt, ædificio cedere oportet, & pupilli, non tutoris vtrumque eſſe.

Verius puto, nullam in hac re eſſe prærogatiuam pupillaris ętatis. Præmittes, ædificium ex pupillari pecunia conſtrui cum mala fide Tutoris, qui ſuppreſſo pupilli nomine pro ſe ipſo ædificet; Quod vbi præmiſeris, ſtatim animad-

uertes, in ędificio extructo duo esse, precium .s. materię, & mercedes fabrorum. §. *certe. Instit. de rer. diu.*

Materia in dominium pupilli transit, vt dixi, sed non ideo vendicare eam pupillus potest, vti neque alius quilibet. Ostendo, nam generaliter, cum in suo solo ex aliena materia mala fide ædificat quis, dominus tunc materiæ
1 non desinit Dominus eius esse, sit pupillus, vel alius, sed tantisper, neque vendicare eam potest, neque ad exhibēdum de ea re agere, sed duplum consequitur per actionē, quæ vocatur *de tigno iniuncto. d. l. 1. d. §. cum in suo solo.* Aut, si agere ad exhibendum potest, non debet tamen ędificatorem quasi possidentem conuenire, sed ita, quasi dolo malo fecerit, quominus possideat. *d. l. 1. in fi.* Idq; *lege 12. Tab.* sic constitutum est, ne ędificia rescindi necesse sit, vt ibi, adeoque publica suadente vtilitate, cui & priuatam pupilli, & alterius cuiuslibet cedere par est.
2 Quod etiā ad mercedes pertinet, quę pupillari precio solutę sunt, illud sane liquet, pupillū amittere dominium illius pecunię, quę consumpta est. Quia vero mala fide consumpta est, vt pręmitto, actionem pupillus habet ad exhibendum, qua ędificatorē, eundemq; tutorem suū consectetur, quasi eū, qui dolo desijt possidere. §. *Nunc admonēdi. Instit. quib. alien. lic. vel non.* Actionis autē ea vis erit, vt, cum exhiberi nūmi nequaquā possint, damnetur reus ad id, quod interest, quod ęstimare actor debeat iureiurādo in litem. *l. nūmis. l. in actionibus. ff. de in lit. iuran.*
3 Habes, quid sentire de Ecclesia possis, quæ iure vtitur pupilli. *c. 1. c. auditis. de in integ. rest.* Nec valet tex. *in c. Apostolicos. in fi. 12. q. 2.* est enim impertinens locus iste, &

Mo-

Monasterium Ecclesiæ reddere, cuius pecunia constructum est, aliud præterea videri non potest, quam ius reddere patronatus, vt *ibi per Gl.*

Teneri Ecclesiam lege inuentarij. *Adl. vlt. C. de iure delib.* Cap. CXXV.

1 *Pupillus omittere inuentarium non debet. 6.*
2 *Nec miles, aut alius quilibet.*
3 *Inuentarij lex an ex æquitate naturæ sit.*
4 *Ius Ciuile obligare Ecclesiam an poßit, & quando.*
5 *Inuentarij lex cur inuenta. 7.*

SI inuentarium Ecclesia non fecerit, an teneatur vltra vires hæreditatis, disquisitio est Interpretum nõ vul-
1 garis. Et mirum est, inualuisse interdum, vt non teneatur. a At nihil forte in Iure tam reuolutum, quam teneri Ecclesiam inuentarij lege. b Nam, si pupillo comparatur, iã pupillus omittere inuentarium non debet, aut, si omiserit, restitutionis indiget auxilio. §. *illud. Auth. de hæred. et falc.*
2 Si militi, in eadẽ quoq; causa miles est, vt teneatur *d. §. illud.* Immo satis, superque explicat Iustin. valere ius istud in omni persona, seu priuata, seu militari, seu Sacerdotali, seu
3 Imperiali, seu alia qualibet. Nec dicant, inuentarij legem duram quodammodo, & naturali ęquitati iniuriosam videri; Immo enim secundum naturã est, cum rationẽ sequatur quasi contractus, vt *infra*, & a Iure Pontificio fuerit approbata. *c. Raynaldus. in fi. de testam.*
At (obijcient) si Inuetarij lex iure Canonis recepta est, nõ ita tamen recepta probatur, vt Ecclesiam liget. Ergo, quæ

vinculũ Ecclesiæ inijcit, ciuilis constitutio est. *d.l.vlt.C. de Iu.delib* Ius autem Ciuile obligare Ecclesiá non potuit, eoque minus, si de Ecclesia, aut personis sacerdotalibus nũcupatim disposuerit; *c.Ecclesia S.M.de constit.*
Respondebis, Clericũ, atq; Ecclesiá obligari ciuilium Cõstitutionũ nexu, si nõ coactiue, saltem directiue. [γ] *c. 1. de oper.no.nũc.c.innotuit.de Arbitr.c.super specula.de priuil.* Vt autẽ supra vires hæreditarias Ecclesia teneatur, neglecta inuentarii lege, non esse quid coactiuũ, quod irrogare pęná videatur, sed directiuũ, rationemq; habens quasi contractus ab Ecclesia sine Inuentario adeunte initi. Neque obstare, si de Ecclesia, aut Sacerdotibus nominatim cautũ sit; Nam Cæsareas leges Pontificijs decretis minime obluctátes fuisse a Romanis Pontificibus quasi Canonicas receptas, & approbatas, [δ] excusariq; Iustinianum, aliosque Principes, qui de Ecclesiasticis rebus, aut personis leges sanxerint, cũ.n.de Clericorũ priuilegijs ignorarent cõplura, facto magis, quá iure potestatem in eos suá exercuisse.
5 Restat scrupulus; Nam obligatio hæc legis (inquiunt) sola illa pręsũptione nititur, vt hęres bona aliqua de hæreditate subtraxerit, ob quá causá ęquũ visũ est, teneri eum vltra id, quod in hęreditate esse demonstrasset. At non pie de Ecclesia pręsumeremus, vt hęreditaria bona subtrahere voluisset. Scrupulũ dixi, quia soliditatẽ nullá habet. An nõ
6 immunis ab ea suspicione pupillus quoq; est? Et tamẽ inuentarij lege tenetur. *d §.illud.* Nam, si non pupillus, saltem Tutor potuit subtrahere. Atque ita, quod Ecclesię imputare non possumus, Prælato, vel administratori Clerico adscribendum putamus. Sed nec credimus, pręsũptionẽ illá huic obligationi causá prębuisse, aut non finalem

prę-

prębuisse sed impulsiuã; idq; conijcimus ex ver. *forte*, quo Iustinianus vtitur *in* §. *hinc nobis. Auth. de hæred. & Falcid.*[ε]
7 Verius est, hęredẽ, omisso legis beneficio, obligari vltra vires, quia sic voluit, aut (quod idem est) quia soluendi onus suscepit quasi ex contractu, quem cum Creditoribus, ac legatarijs inijsse videtur.[ζ]

Neque his, quę diximus, obstare idem Iustinianus potest *in Auth. sicut. C. de sacros. Eccl.* dũ prohibet, aliquid capere Ecclesiam posse, quo vltra id, quod capit, oneretur. Non enim de hęreditate loquitur bonus Princeps, sed de causis particularibus, in quibus omnis ratio deficit repræsentationis, quasi contractus, & consensus, vt §. *sicut. Auth de non alien. reb. Eccl.* vnde sumitur.

α *De comm. Fely ad c. de quarta. n. 7. de præscrip.*
β *De comm. Ias. ad d. l. vlt. §. vlt. n. 6. C. de Iu. delib. De magis comm. Crass. art. inuentarius. q. 22. n. 2. post alios.*
γ *Vide scripta ad l. cunctos populos. C. de sacros. Eccl ad. c. Ecclesia. s. M. de Cõstit. De comm. Suar. lib. 3. de ll. c. 34. n. 6. & lib. 4. de immun. c. 16. n. 13. Et vide, quæ ego Sac. Iur. contr. differt. 32.*
δ *Dixi ead. differt. 32. n. 12.*
ε *Vide Tiraq. in tract. cessante causa. limit. 10. n. 1. Barb. in remiss dict. 109. n. 7.*
ζ *Vide Couarr. c. 1. de testam. n. 14. Fachin. contr. Iur. lib. 6. c. 20.*

An & fiscus inuentarij lege teneatur. *Ad l. 1. §. an bona. ff. de Iure fisci.* Cap. CXXVI.

1 *Fiscus in dubio priuatorum iure vtitur.*
2 *Princeps inuentarij lege tenetur.*
3 *Fiscus an contineatur appellatione personæ, vel hominis.*
4 *An bona, quæ soluendo non sunt, ipso iure quæri possint fisco.*
5 *Creditoribus fiscus supra vires non obligatur.*
6 *Fiscus quando non verus successor, sed anomalus.*
7 *Intelligitur in bonis esse, quod superest, deducto ære alieno.*
8 *Fiscus quando teneatur inuentarij lege.*

VEra resolutio est, quę & votis recepta plurimorum, fiscum inuentarij lege teneri, cum priuatorum iure
1 vtatur in dubia causa. *l. item veniunt. §. in priuatorum. ff. de hæred. petit l. 1. C. eod. tit. l. idem. ff. de Compens* At nec dubia quidem causa huiusmodi est, cum fuerit aperto iure explosus ab hac prærogatiua fiscus. *§. illud quoque. vers. quia vero duplex. Auth. de hæred. & Falcid.* ibi. *In omni persona, siue priuata, siue militari, siue Sacerdotali, siue Imperiali, siue alterius cuiuslibet*. Quod ait Imp. *imperiali*, pla-
2 ne indicat, ipsum quoque Principem, si institutus hæres
3 fuerit, ea constitutione velle obligari. Et qui negant, cōtineri posse fiscum appellatione personæ, ridiculi sunt, nam nec satis video, cur placere debuerit, appellatione *hominis* fiscum venire, *ex c* 1. ibi, *contra omnem hominem. de no. for. fidel.* nec tamen placere potuerit, contineri fiscum appellatione *personæ*; immo enim quia *homo* vocabulum est naturæ, *persona* vero iuris ciuilis, crediderim, plus appellatione *personæ*, quam *hominis* nuncupari fiscum posse.

Quæstionem facit solus Calistr. *in d l. 1. §. an bona. ff. de Iu. fi-*
4 *sc.* cum dubitat, an bona, quæ soluendo non sunt, ipso Iure quærantur fisco, an non ipso iure, sed necessaria cognitio Præfectorum sit, aut Procuratorum fisci. Nam primo sententiam recitat Labeonis æstimantis, bona delata fisco acquiri ipso iure eidem, adeoque cum onere soluendi æris alieni, licet bona soluendo non essent. Deinceps, reiecto Labeone, docet, ex edicto Prætoris succurri fisco, vt, si soluendo bona non sint, sique nihil ex eis fisco acquiri possit, veneant sub hasta, hoc est, concedantur cre-

di-

ditoribus, vt ea vendant defuncti nomine, & non fisci, qui ea nondum agnouit. Sed & Iauolen. *in l. 11. ff. eod. Non possunt* (inquit) *vlla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ Creditoribus superfutura sunt, id enim bonorum cuiusque*
5 *esse intelligitur, quod æri alieno superest.* Si itaque fiscus Creditoribus supra vires nunquam obligatur, superuacaneũ repertorium omne est.

Et hæc quidem ex Calistrato, & Iauoleno disputantur, cum eorum temporibus non esset de inuentario lex aliqua. Responderi tamen solet, & bene, [s] valere duo illa Iurisconsultorum vota, quando bona non perueniunt in fiscum, quasi in hęredem, vt est suppositum nostræ quæstionis, sed quasi ad possessorem, & successorem anomalum, vti vocant. Accidit hoc tunc, cum vacantium rerum
6 possesionem capit, aut ex alicuius delicto succedit, & consim. [v] Quinimmo (ait Fach. [a]) cum id intelligatur in
7 bonis esse, quod subducto ære alieno superest. *l. subsignatum. §. bona. ff. de verb. sig.* dicere nequaquam possumus, ad fiscum bona aliqua peruenisse vacantia, nisi quæ deducto ære alieno supersint, quapropter, si nihil supersit, nihil etiam bonorum peruenisse ad fiscum videri potest, & ideo frustra contenditur, an vltra vires obligari tunc fiscus, conuenirique valeat.

8 Ergo fiscus inuentario tenetur tunc, cum institutus hæres est, nam institui posse non dubitatur. *l non dubium. cum not. C. de Testam.* Et licet pugnet Peregr. [t] velitque, ad húc quoque casum Calistrati legem referri posse, contrarium tamen bene tuetur Fachin. [x] quem vide.

a Vide relatos a Pereg. de priuil. fis. lib. 4. tit. 1. n. 3. cum Rolan. de Inuent. part. 1. q. 10.

q.10.queis accessit late disputans Fachin.contr.lib.6.c.21.

β *cum gl.ver.in publica.*

γ *Vide eund.Pereg.n.4.*

δ *Ad tradita per Calu.in Lex.ver.persona, authore Alberic.*

ε *Vide gl.ad l.eos.§.super. vers. vsurarum nomine. & ibi Bal.n.1. cum. Addit. C.de Vsur.*

ζ *De comm.Rolan.sup.q.11.n.6.*

η *Vide l.2.cum not.C.de bon.vac.lib.10.Clar.pract.q.78.n.30.vbi de comm.Rolan. sup.n.7.Fachin. &c.*

θ *Sup.*

ι *Sup.*

κ *Sup.*

An lex Inuentarij obliget in foro Cæli. *Ad §. hinc nobis. Auth. de hær. & Fal.* Cap. CXXVII.

1 *Lex inuentarij præsumptione nititur, & qua.*
2 *In foro conscientiæ spectatur sola veritas.*
3 *Hæres omisso inuentario cur teneatur vltra vires.*
4 *Pena legis incurritur ipso Iure.*

NEgarunt pene omnes, teneri hæredem in foro animæ supra vires hæreditatis. [a] eo solo (si reliqua pro superuacuis habeantur, vt par est) argumento ducti, quod Iu-
1 stiniani lex præsumptione nititur, aliquid hæredem de bonis subtraxisse. *d.§.hinc nobis.* ibi. *& non per ea, quæ forte subripiunt, & malignantur, &c.* & hac sola præsumptione hæredem obligat supra vires. At in foro consciē-
2 tiæ sola spectatur veritas omni præsumptione explosa. *c. a nobis 28. c. inquisitioni de sent. exc. c. is qui fidem. c. tua nos. de sponsal.* nec teneri eum conuenit, qui ex vero nihil subtraxerit.

3 Dicebam paulo ante, [β] rationem suspicatæ fraudis vix habere momentum posse, & nunc idem sentio. Non itaque obligationem inde trahimus, quod subtraxisse he-

res videatur, ſed quia ſponte oneribus hęreditarijs ſe ſubmiſit, quia (inquam) facto, & re ipſa conſenſit, cum inuentarij legem poſthabuit, ſic enim expreſſis verbis Iuſtinianus docet *in §. penul. Inſtit. de hæred. qual. & diff. Niſi* (inquit) *omiſſa obſeruatione noſtræ conſtitutionis, & deliberandum exiſtimauerint, & ſe ſe veteri grauamini aditionis ſupponere maluerint*. Qui enim, cum facere inuentarium poſſit, deliberare tamen eligit, ſciens (prout ſcire tenetur) ſe ſoluendi ſupra vires obligationem ſubire, is non fictione legis (vt aliqui perperam) non præſumptione, aut ſuſpicione aliqua, ſed ſuo facto, ſua electione, ſuo conſenſu, ſuo denique quaſi contractu ſe ipſum deuincit. At cõſenſus iſte, iſte (inquam) quaſi contractus cum legatarijs, & creditoribus aditione initus conſcientiam procul dubio obligat, neque enim media illa ſentẽtia animo ſedit, quæ inter Creditores, & legatarios differentias quaſdam comminiſci plus valuit, quam probare.[γ]

4 Aut, ſi ſoluere ſupra vires pęna eſt contemptus, vt putant *ex l. vlt. § ſin vero poſtquam. C. de Iu. delib* ibi. *Nec noſtræ legis beneficio perfruantur, quam contemnendam eſſe cenſuerunt*, ſatis manifeſtum eſt, incurri hanc pęnam ipſo iure poſſe. *c. 2. de præſcr. in. 6.*[δ]

α *De comm. Bar. in l. 1. n. 45. C. de ſacroſ. Eccl. Ias. in Rub. ff. de acq. hær. Couarr. in c. 1. n. 16. de teſtam. Carthus. de differ. inter. vtr. for. ver. hæreditatis diff. 2. nu. 1. De magis comm. Rolan. de Inuent. verſ. an in foro conſcientiæ.*

β *cap. 225.*

γ *Vide Couarr. & Cartus. ſup.*

δ *dixi ad c. 1. de conſtit. par. 3. verſ. in 3. quæſt.*

An Regularis factus Epiſcopus ſibi acquirat quaſi ſolutus votiuæ paupertatis lege. *Ad c. ſtatutũ. 18. q. 1.* Cap. CXXVIII.

1 *Fa-*

1 *Facta professione succedendi ius Monasterio quæritur.*
2 *Et numquid absolute.*
3 *Bona patrimonialia quo iure mancãt penes regularẽ Episcopũ.*
4 *Et quando ea sibi vendicet.*
5 *Et quid, si ad nouam Ecclesiam demigret.*
6 *Et an pie dispensari poßint in præiudiciũ* Ecclesiæ *Episcopalis.*

SOlutum negant pene omnes paupertatis lege, [a] quia (inquit Innoc. [b]) *sicut in Monasterio fuit, & quod diu seruauit, id in meliore gradu positus amittere non debet.* Hinc frequens illud, regularem Episcopum posse, & recipere, & retinere, quod ei legato, donatione, alioue quopiam modo delatum sit, recipere (inquam) & retinere, quasi regularis non esset, sed receptum acquirere sibi ipsi nequaquam posse, aut in dominium transferre suum; aliam denique recipiendi, retinendique causam esse, aliam acquirendi. Putantque expressum id esse satis *in c. vlt.* 18. *q.* 1. vbi statutũ sic legitur in Concilio habito penes Altheũ. *Statutum est rationabiliter secundũ sanctos Patres a Synodo confirmatum, vt Monachus, quem canonica electio a iugo Regulæ Monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternã sibi hæreditatem vendicandi potestatem habeat, sed quicquid acquisierat, uel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, et Abbatis sui, qui fuerat secundum regulam S. Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur, secundum sacros Canones quod acquirere poterit restituat.* Quod itaque ante consecrationẽ habuit, Monasterio, quod autem post consecrationem

ac-

acquisiuit, propriæ Ecclesiæ relinquere Episcopus debet. Sed hic confusio multiplex. Nam, si paternam hæreditatem vendicat sibi instar hæredis legitimis, vendicat (inquam) sibi, quomodo sibi, & non sibi? Nā, si Ecclesiæ, vel Altari, ergo non sibi. Et præterea, cur Ecclesiæ, vel Altari, & non Monasterio? Namque, aut succedere Monasterium per Religiosum potest, quale illud Benedictinæ Familiæ; aut non potest, quale illud Minorum. Si potest,
1 illico professione facta a Monacho, succedendi ius Monasterio acquiritur; ergo semel quæsitum auferri nec potest, nec debet, quantumuis ad Episcopatus culmen Religiosus adscenderit. Si nō potest, statim professione emissa ius succedendi in proximiores transijt ab intestato venientes, quasi mortuus ille esset, qui professus est; inciuile igitur esset, quęsitū semel ius legitimis hęredibus inuideri. Hæc non facile conciliantur. Nam quod *sibi* Episcopus vendicare dicitur, multas habet interpretationes, sed nullum Interpretem. Quæ vero deinceps opponuntur, be-
2 ne æstimat Suar. componi eo modo posse, vt dicamus, ex professione Monachi non absolute ius quæri, vel Monasterio, vel proximioribus hæredibus, sed stare in suspēso, & per varios casus, siue euentus quasi deambulatoriū esse. Nam, si Monachus in eadem causa manet, Monasterio, vbi profitetur, acquirit. Si in nouum Monasteriū migrat, ibiq; denuo profitetur, nouo Monasterio acquisitionem nouam facit. Si in Episcopum promouetur, Ecclesiæ suæ deinceps quærit, vel altari, quasi non iam mēbrum Monasterij, sed sponsus Ecclesię Episcopalis, a qua etiam capit alimenta. Si ex indulgentia Pontificis re-
mi-

migrat ad sæculum, sibi ipsi repetit, quod Monasterio attulerat. Ergo totum hoc ius in suspenso est, aut (quod dicere nostri solent) acquiri ius quidem potest, sed reuocabiliter.

Sententiam, quam Sot. primo habuit, sed argumentis non valde bonis, innouat Vasqu. alijs quibusdam rationibus, quæ plus se ipsas fallere, quam alios possint. Credit enim, regularem Episcopum sibi ipsi acquirere, quasi legibus solutum votiuæ paupertatis, & quod Concilium præcipit Regulari Episcopo, *vt ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur, secundum sacros Canones quod acquirere poterat, restituat*, ita commode posse intelligi, vt factus hæres sibi ipsi acquirat, sed moriens Ecclesiam suam facere hæredem teneatur.

Sed a communi placito recedendum eatenus fuit, quatenus id verba permitterent. *Restituat* (inquit Concilium) at quod Ecclesiæ restituitur, id palam est in dominio illius esse; Forte receptiorem sententiam plus probat Innoc. 3. *in c. cum olim*. 14. § *præterea. de priuil. vbi gl.*

Denique (quod magis puto) bona sua patrimonialia detinet Regularis Episcopus eodem titulo, quo & beneficiaria. Et quia prouentus administrat pleno Iure, proinde non mirum, si sibi paternam hæreditatem dicitur
4 vendicare, vt & Clericus beneficij sui bona. Vendicat ergo sibi, quia dispensator bonorum est, & prouentuum dominus; vendicat tamen Ecclesiæ nomine, quia Ecclesię acquirit, non sibi; acquirit tamen Ecclesię, si acqui-
5 rere vult & sibi, nam repudiare etiam potest, & nolle acquirere. Sique iam quæsierit Ecclesiæ, & ad nouum

Epis-

Episcopatum demigret, ad nouã quoque Ecclesiam bona transfert, quia ius primæ Ecclesiæ in suspenso fuit.

6 Sic Vasquio vndique occurritur, a quo etiam dissentio, dum credit, posse Episcopum patrimonium suum hospitali dare, si velit, aut in opus aliud pium erogare; nam contradicit Innoc. Pont. *in d. § præterea.*

α *Vide Theologos post D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. Sanch. Decal. to. 2. lib. 6. c. 6. n. 8. De comm. Suar. de Relig. to. 4. lib. 3. c. 16. n. 4.*

γ *Epist. 2. c. 10.*

δ *Sup.*

ε *lib. 10. de Iust. & Iu. q. vlt. art. vlt.*

In opuscul. de redit. c. 3. dub. 7.

ζ *Suar. sup. n. 28. & c.*

η *D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3.*

An in minimo deceptus remedium habeat rescindendæ, &c. *Ad l. 2. C. de rescind. Vendit.* Cap. CXXIX.

1 *Ratio nulla minimi habetur.*

2 *Modicum, ac nullum æquiparantur.*

3 *Pro leui iniuria donatio non reuocatur.*

4 *Excessus in dimidia iusti precij signum est, vel conditio, sine (qua non.*

1 VVlgatum est, nullam minimi rationem haberi. *l. scio ff. de integ. restit. l. res bona ff. de cõtrah. Empt. l. nec vllam* (alias incip. *Neratius*, vel *etiam si*) *§. quod si quis hæreditatem ff. de hæred. petit. l. sed addes. §. si quis mu-*
2 *lierem ff. loca.* Modicumque, ac nullum æquiparari. *c. licet causam. de probat. c. cum te. de re iudic. c. reuera. de consecr. dist. 2. c. tenere. cum gl.* α *dist. 31.* Vulgatum dico, ac nulli non decantatũ sæpius. *De minimis non curat Prætor.*
3 Et propius ad rem nostram, si pro leui iniuria donatio non reuocatur. *l. vlt. C. de reuoc. donat.* nec quidem pro le-

ui exceſſu venditio retractabitur, arg. ſumpto a delictis ad contractus ex *l. omnem. ff. de Iudic. c. vlt. de fo. compet.* α Inualuit tamen, vel minimam deceptionem vltra dimidiam iuſti precij, quantumuis in nummo excedatur, ſatis omnino eſſe, vt contractus emendetur. γ Forte (inquiunt) quia de ſumma agitur, ſeu quantitate. *l. ſi quid Venditor. in fi. ff. de ædil. Edi. vbi gl.* Vel, quia lex in ea dimidia pedem figit, nec vel minimum patitur excedi. δ
4 Æſtimo ego, in exceſſu dimidiæ nullam de minimo quęſtionem haberi poſſe. Nam, ſi exceſſus in nummo quid minimum per ſe eſt, ſi tamen cum læſione integræ dimidiæ iungitur, perperam inter minima reijcietur. Aut verius dico, exceſſum huiuſmodi non in genere quantitatis reponi oportere, ſed ſigni, aut conditionis, ſine qua non. Quando enim dimidia exceditur precij iuſti, licet exceſſus in modico ſit, ſignum tamen eſt, competere actionem poſse ex noua lege. Et quia lex actionem ſub conditione illa præbet, ſi dimidium excedatur, propterea exceſsus, licet minimus, licet (inquam) in nummo ſit, conditio tamen eſt, ſine qua neque actio competere, nec remedium poteſt. Porro in genere hoc ſigni, & conditionis inanis de minimo quæſtio eſt.
Sic diſsolutū manet, quod de leuis iniurię crimine objiciebatur; nam, vt pro modica iniuria donatio non retractatur, ita, nec venditio pro modico exceſsu. Veriſſimum quidē iſtud, at modicus eſse non poteſt ille exceſsus, qui læſioni immodicæ iunctus manet, vel vt pars quantitatis, vel (quod magis probo) vt ſignum, aut conditio, ſine qua non.

ver.

α Ver. prateriȷt.
β Euerar. eo loco. n. 1.
γ Vide scripta ad d. l. 2. vbi Bal. n. 38. Castr. n. 10. Crem. n. 52. aliȷque penes Salas de Empt. & Vendit. dub. 27. n. 2.
δ Bal. Castr. Crem. sup.

An cum decreto Iudicis contracta venditio remedium habeat nouæ legis. *Ad d. l. 2. C. de rescind. Vendit. & l. 1. C. de præd. decur. lib. 10.* Cap. CXXX.

1 *Quæ seruare debeant Curiales in venditionibus prædiorum.*
2 *Vbi actorũ fides interponitur, nulla est circumuentionis querela, &c.*
3 *Pro decreto Iudicis præsumptio magna est.*
4 *Minor, & Ecclesia non distrahunt absque decreto.*
5 *Soluens cum præcepto Iudicis tutus est.*
6 *Res iudicata ius facit inter partes.*
7 *Remedio nouæ legis vbi, & quando locus.*
8 *Et numquid in venditione, quæ sub hasta fit.*
9 *Curiales cur vendere olim prohiberentur.*

TAntus de hac re Scribentium conflictus est, vt dubios æque nos faciat esse, & quid in scholis statuendum videatur, & quid in foro.[a] Et quidem pro decreto Iudicis videtur satis aperta definitio Impp. Valent. Theod. & Arc. *in d l. 1. C. de præd. Decur. lib. 10.* Verba hæc sunt.
1 *Si quis decurionum, vel rustica prædia, vel vrbana venditor necessitate coactus addicit, interpellet Iudicem competentem, omnesque causas sigillatim, quibus strangulatur, exponat, & ita demum distrahendæ possessionis facultatem accipiat, si alienationis necessitatem probauerit. Infirma enim conditio erit, si hæc fuerit forma neglecta; ita enim fiet, vt*

nec

nec immoderatus venditor, nec emptor, cuiuscumq; sit cōditionis, inueniatur iniustus. Deniq; nihil erit post modū, quo venditor, vel circūuentum se insidijs, vel oppressū potentia comparatoris queri debeat, quandoquidē sub fide actorū, & de necessitate distrahentis, & de voluntate patuerit comparantis.

2 Vbi itaque actorum fides interponitur, ibi nulla circumuentionis querela, nullus Venditor immoderatus, nullusque Emptor iniustus; siquidem omnia supplet decretum iudicantis.

3 Scimus, quæ scripta ad hunc locum fuerint, a magnam, videlicet, pro decreto Iudicis præsumptionem esse. *d. l. 1.* sed nō ex hoc contrarias probationes, quibus auferri præsumptio illa possit, reiectas videri. Et, quicquid alij aliter opinati fuerint, b aut repugnare possint verba legis, sic resoluendum crederes prima fronte. Nam, & Minor,

4 & Ecclesia rem, quæ mobilis non sit, exquisitissimis solemnitatibus distrahere iubentur, adeoque nec Minor, neque Ecclesia sine decreto. *l. si quidem. C. de præd. Minor. c cum Apostolica. de his, quæ fiunt a Prælat. c. Abbatibus.* 12. *q.* 2. & nihilo secius, tum Minor auditur, si læsus est *d. l. si quidem.* tum Ecclesia. *cap. cum causa. c. cum dilecti. de Empt. & Vendit.* Nec contrarium de Minore isto legitur in *l. ait Prætor. § permittitur ff. de Minor.* valet enim in læsione, quę non tam ex decreto contrahitur, quam ex præcepto iudicantis, iniquum enim visum erat, vt debitor, qui iudiciali authoritate soluere iuberetur, compelli denuo ad soluendum posset. Atque ita Glossator, c neglecta alia responsione, quam forte omittere non debuit, ex ea enim ego, & ex his, quæ bene suadent Lusitani Inter-

pretes

terpretes, nostræ disputationis causam dirimo.
Aut enim decretum, seu iudicialis authoritas pure interuenit, inspecta sola causa vēdendi, aut distrahendi, & tūc verius credo (quod & forte receptum crebrius) vt lęsus vltra dimidiam Venditor audiri debeat. Aut decretum fuit super æstimatione, & precio rei venditæ interpositum causa cognita (intellige, si inter maiores ętate res geritur) & tunc contraria sententia pręualet, videl. ne audiatur vēditor vltra dimidiam læsus ob authoritatem rei iudicatæ,
6 quæ inter partes ius facit. *l. 1. ff. quæ sent. sine appell. c. cum inter de re iudic.* Et habet distinctio rationem, nam Iudicis authoritas nihil efficit vltra id, cui interponitur, nihilq; afficit vltra vim, atque effectum iudicatæ rei.
Mihi vero eandem ipsam distinctionem confirmat ratio ineuitabilis ex certo iuris principio. Remedium nouę le-
7 gis ob eos contractus introductum dixi esse, in quibus fas est contrahentibus, vt se inuicē circumscribant. Itaque, vt locū habeat, necesse est, præcessisse tractatū illū captiosū, de quo in *l. si voluntate. C. de resc. Vendit.* Quando itaque Iudex nihil de precio, valore, aut æstimatione decernit, sed, aut simpliciter decretū interserit, aut de sola causa alienationis pure intelligit, admitto, locum remedio fore, quia res tota inter contrahentes acta est, qui possunt se inuicem circumscribere. Sin etiam de precio, & æstimatione Iudex cognouit, vel æstimatorij Arbitri electi sunt, tunc non admitto remedium, quia non ab altero contrahentium captio venit, sed a Iudice, vel Arbitro, aut, si remediū aliquod est, illud tamen nō est, quod noua ista indulget lex. Propterea censui olim, non esse locū

remedio nouæ legis in venditione, quę ſub haſta fit, quicquid communius creditum fuerit, ι in hac enim venditione, neq; Emptoris ſolertia Venditorem, neque Venditoris Emptorem decipit, nec captioſus ille tractatus intercedit, quem dicebam.

9 Et nunc conijcio magis, quæ fuerit Imperatorũ ſententia *in d. l. 1. C. de præd. Decur. lib.* 10. Veriſimile enim eſt, ſi rẽ ſoli venditurus Decurio eſſet, non tantum cognoſcere Iudicẽ debuiſſe de cauſa faciendæ alienationis, verũ etiam de valore, & precio rei. Idq; & ex verbis, vt ibi *Immoderatus venditor, Emptorq; iniuſtus.* Et ex ratione. Non enim aliũde prohibebãtur Curiales vendere, quam, quod Reip. intereſſet eos habere diuites, & timeri poterat, ne patrimoniorum diſſipatione in tantum deficerent, vt Curialia munera ſubire nequaquam poſſent. At parum erat Iudici cauſam noſſe, quin ſimul de valore ei conſtaret, & nũquid diſſipari res magis, quam diſtrahi videretur.

α *Vide ſcripta ad d. l. 2. C. de reſcind. vend. d. l. 1. C. de præd. &c. Dec. conſ. 210. n. 8. Gabr. comm. lib. 3. de Empt. & vend. concl. 1. n. 58. Pinel. d. l. 2. par. 2. n. 18. Iaſ. in l. pacta n. 9. C. de Pact.*

β *Abb. c. cum cauſa n. 6. de Empt. & Vendit. Pinel. ſup. n. 20.*

γ *Vide Pinel. d. n. 20. Fach. contr. lib. 2. c. 20.* (11. n. 69.

δ *d. §. permittitur. ver. auditurũ nõ eſſe. late Odd. de reſtit. in integ. par. 1. q. 22. art.*

ε *Pinel. ſup. n. 21.*

ζ *Dixi Sac. Iu contr. diſſert. 6. c. 2.*

η *Ibid. & capp. ſeqq.*

θ *Ibid. c. 8. in fi.*

ι *Teſte Pinel. ſup. n. 25. Et vide Cauall. comm. q. 536. n. 1. & ſeq.*

Nouæ legis remedium an tranſigentibus læſis indulgeatur.

Ad l. 2. C. de reſc. vend. & l. ſi ſuperſtite. C. de dolo.

Cap. CXXXI.

1 *Vbi machinatio eſt doli, ibi tranſactio ſcinditur.*

2 *Dolus duplex.*

3 An

3 *An, & quæ læsio dolum in se habeat.*
4 *Dolus Emptoris unde æstimetur.*
5 *Quibus casibus res ipsa dolum in se habere dicatur.*
6 *Actio doli in patrem non datur, sed in factum actio.*
7 *Restitutio pro modica re non datur.*
8 *Transactio non rescinditur ex instrumento nouiter reperto.*
9 *Neque ob errorem calculi.*
10 *Neque obtentu soluti indebiti.*

NIhil tam incertum in praxi, adeo bene luctantur inter se se communes, & magis communes Scribentiũ sententiæ. [a] forte pars illa, quæ affirmat, plus inualuit; [b] sed altera melioribus placuit. [c] Ego priorem, quæ transigenti consulit, vix patior, cum nec probabilis quidem sit;
1 & ecce argumentũ, quo ducitur. Vbi machinatio est doli, illic transactio certo iure scinditur. *l. qui cum Tutoribus.* §. *qui per fallaciam. ff. de Transact.* At dolus ibi est, vbi im-
2 moderata est læsio, qualis vltra dimidiam; dolus (aiunt) si non ex proposito, saltem in re ipsa. *l. si quis cũ aliter. ff. de Verb. oblig.* ibi. *Idemque est, & si nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat*, ergo, &c. Hinc læsa immodice filia transactionem cum Patre, eodemque tutore suo factam retractare potest actione in factum. *l. si superstite. C. de dolo.*

Quis non hæc impatienter audiat? Tibi alter causam dicet. Vide, obsecro, quæ de dolo in re ipsa, & de dolo ex proposito luculentissime Fab. [d] Hic primum de eo consensisse Scribentes docet, vt enormis læsio, læsio (inquã) quæ vltra dimidiam precij iusti est, nil commune habeat

cum dolo, ſed ſola enormiſſima, quę beſſem excedit (& quæ ad inſtitutum noſtrum non pertinet) in re ipſa dolũ habere dicatur.

4 Deinceps (reiecta communi ſententia) magis probat, lęſionẽ, qualiſcumq; ea ſit, ſeu enormis, ſeu enormiſsima, nihil cõmune habere cũ cauſa doli, alijſq; proinde remedijs dolũ, alijs lęſionẽ vindicari. Eſt autem ex præcipuis probationibus inſignis illa poſitio Diocletiani *in l. dolus. C. de reſc. vend. dolum emptoris qualitate facti, non quantitate precij æſtimari*, quam retineri par eſt, quouſque inueniatur lex, quæ enormis, atque enormiſsimæ læſionis causã

5 diſtinguat, quod enim Vlpianus ſcribit *in d. l. ſi quis cum aliter.* nõ ad caſum hunc pertinere exiſtimat, ſed ad alios, quibus accidere verius poſsit, vt res ipſa habere in ſe dolũ videatur, videlicet, ſi ſtipulatio facta fuerit ſine cauſa, & deinceps ex ea ſtipulatione agatur; *l. 2. §. circa. ff. de doli exc.* aut, ſi de ea re facta ſtipulatio fuerit, cuius ſtatus iam tunc, cum interpoſita ſtipulatio eſt, mutatus ſit, ignorante tam ſtipulatore, quam promiſſore, & alijs in caſibus, quibus euenit, vt quamuis ſtipulator nihil ab initio dolo fecerit, tamen doli exceptionẽ patiatur, cũ hoc ipſo faciat dolo, quod nunc petit. *d. l. ſi quis cum aliter*. cum Duar. *Ad l. ſi ſuperſtite.* perbelle reſpondet, non fuiſſe Diocletiano propoſitum dolũ in re ipſa, qui ſcilicet ex immodica lęſione reſiliat, ſed dolũ ex propoſito, quẽ cõmiſerat pater inducta filia, vt eum liberaret. Atq; ita opinor, tum quia

6 agitur illic de actione doli, cui in factum actio ſubſtituitur ob paternam verecundiam (nam ſi dolus in re ipſa eſſet, non actio daretur, ſed exceptio dumtaxat,) tum

quia

quia non de immodica læsione tractatur ibidem, quæ in contractu venditionis interfuit, seu in contractu alio, in quo contrahentibus permitteretur, vt se inuicem circumscriberent, sed in ea specie, quę nullum deceptioni locum relinquit, præter quam ex causa doli, hoc est, in specie reddendarum rationum accepti, atque expensi, quæ cũ fuerint a patre, eodemque tutore confectæ, solus ille nouit, aut nosse potuit, quid impuberi filiæ reddendum ex reliquis foret, adeoque in dolo fuit satis manifesto, cum liberationem extorqueret.

Nouiores dolum quoque arguunt parentis ex illis verbis. *Transegisti cum eo bona fide*. Et quantumuis Diocletianus rationem habere potissimum videatur immodicæ læsionis, vt ibi rursus. *Sane si læsa es immodice*; respondent tamen, non pertinere eius verba ad remedium nouę legis, sed propterea fuisse de immodica lęsione adiectum, quia, si modica esset, haud facile Prętor actionem daret in factum vice actionis de dolo malo, sicut neque actionem de dolo daret pro modica summa. *l. si quis affirma-*
7 *uerit. §. vlt cum ll. seqq. ff. de dolo.* cum generale id sit in omnibus restitutionibus, vt non facile, & ex minima causa, vel pro minima summa concedantur. *l. scio. ff. de in integ. restitutio.*

Denique tantum abest, stare argumentum illud posse, quod trahebatur a ratione doli, vt, posito dolo, nusquã locus sit remedio nouę legis, est enim deceptionis remedium. *l. si voluntate. C. de resc. vend.* non doli, aut fraudis. Sed redeamus quęso ad argumentum illud, quod ab immodica lęsione transigentis causam fouet. Nam, si Prin-

cipum conſtitutionibus decernenda res eſt, hi quidem nihil, vel accuratius, vel ſtrictius prohibuiſſe videntur, quam, ne prętextu lęſionis, qualiſcumque illa eſset, reſcindi tranſactum poſset, & (quod magis eſt) neque ob-
8 tentu quidem inſtrumenti, quod deinceps reperiretur. *l. ſub prætextu. C. de Tranſact.* Equidem non video, quę miſerabilior læſio ſit, quam quę inſtrumentorum ignoratione enormiter, vel enormiſſime incurritur, nec tamen auxilium habet legis, ſcilicet, quia ſic publicę vtilitatis ratio poſtulat, cui priuatam cedere Iuris eſt. An igitur ſarcienda tibi lęſio eſt, quam tua, vel ſimplicitate, vel imprudentia ſentis, nec tamen refici tibi eam oportet, quam iuſtiſſima, & legibus probatiſſima facti ignorãtia, hoc eſt, documentorum, inſtrumentorumque interuerſione, cum aliter non poſses, offendis?
9 Error quoque calculi enormem, immo enormiſſimam continere lęſionem poteſt; quis neget? Nec tamen retractatur, ſi tranſactum in cauſa fuerit. *l. vnica. C. de err.*
10 *calculi.* Quid multa? Nec quidem, ſi indebitum ſoluitur, repeti poteſt interueniente tranſactione. *l. nec intentio. C. de Tranſact. l. ſi nõ tranſactionis. C de Iur. et fa. ignor.* At ſi tranſactio non retractatur ſub velamento ſoluti indebiti, quod damnum continet totius, cur, obſecro, retractari debeat pro iactura partis, quantumuis enormis, aut enormiſſima læſio detrimentum fecerit?

Hæc pro veritate. Et reuera quam liberales noſtri fuerint in remedio nouæ legis ad multos caſus facile protrahendo, habes a me alibi latius."

a *Vide ſcripta ad d.l.2.C.de reſcind.vendit.vbi Cagn.& Pinel.par.1.n.13. Gabr. comm.de Empt.et Vend.concl.1.n.68.Gutier.pract.lib.2.q.141.n.2.Ceuall.cõm. q.72.*

q.72. *in princ. Barb. in collect. c. cum dilecti. de Empt. & vendit.* (n.6.
β *Rot. diuers. par. 1. decis. 102. n. 2. Et in Recent. par. 1. decis. 461. n. 7. & decis. 625.*
γ *Donel. d. l. 2. n. 22. Fab. de Error. par. 1. dec. 8. err. 10. n. 6.*
δ *Sup. dec. 1. tot. err. 7. par. 1.*
ε *Adde Pinel. sup. par. 3. c. 1. n. 8.*
ζ *Vide Abb. cons. 12. n. 1. par. 2.*
η *Sac. Iur. contr. dissert 6. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.*

Qua actione agatur ad nouæ legis remedium. *Ad d. l. 2. C. de rescind. Vend.* Cap. CXXXII.

1 *Remedium nouæ legis totum in rescißione est.*
2 *Precia minuuntur Iudicis officio.* 8.
3 *Qua actione vtatur qui coactus vendidit.*
4 *Restitutio Maioribus quando detur.*
5 *In actionem ex vendito quæ venire possint.* 9. 11.
6 *Laudum inter socios latum qua actione rescindatur.*
7 *Restitutio sub genere est rescissionis.*
10 *Redhibitio quid, & qua actione petatur.*
12 *Venditio vi facta a Prætore rata non habetur.*

MAlo condictioné ex lege, aut verius ex vendito actionem dare, quam Iudicis officium; nam duæ illæ solo 30. annorum spatio concluduntur, hoc autem (officiũ, dico, Iudicis) quadriennio finiri creditur. Atque ita inualuit. Enimuero, quibus officium plus placuit Iudicis, hi simul in integrum restitutionem inculcant; & postquam
1 verba legis pro hac re non valde probabiliter induxere, veniunt ad naturam remedij huius, quod totum est in recissione positũ. *d. l. 2.* rescissio autem re ipsa nihil aliud esse videtur, quam in integrum restitutio. *l. in causæ. 2. ff. de Minor.* Confirmantque, nam solo officio Iudicis precia

 mi-

minuuntur, vbi oportet. *l. 17. ff. de contrah. empt.* eodem igitur Iudicis officio ſuppleri debent.

Et quomodolibet, negant, actioni ex vendito locum fieri. Primo, quia dum Emptio contrahitur, non illic inter cõtrahendum de reſciſſione tractatur; igitur de eo agere non poteſt Venditor, quod neglexit. *arg. l. item apud Labeonem. §. ait Prætor. ff. de Iniur.* Exinde, quia perabſurdũ videtur, ex vendito actionem, quæ confirmandæ conuentionis gratia comparata eſt, ad reſcindendum valere.

3 Ita, ſi coactus vendidi, non ex vendito actio competit ad reſcindendam venditionem, ſed quod metus cauſa. *l. 4. de his, quæ vi met. cau. l. metum. §. ſed quod Prætor. ff. quod met. cau.*

4 Atque ita volunt quidem, ſed perperam. Nam reſtitutio maioribus non datur, niſi ex parte Edicti, de quo Tit. *Ex quib. caus. maio. &c.* ſique ad remedium nouæ legis dilatatur, abſque lege fit, atque ex indiſcreta quadam licentia. Reſtitutio etiam præciſe auocat rem venditam abſque vlla alternatione. Amota itaque reſtitutione in integrũ, quam probare non poſſumus, actio ſupereſt ordinaria, quę de vendito eſt, & quam recte dari, ea iuris definitio manifeſte comprobat, quod quæ ſunt moris, & conſue-
5 tudinis, hoc eſt, quæ more, & conſuetudine recepta venditor Emptori, aut Emptor Venditori præſtare debet, ea in actionem veniunt ex empto, & vendito, vt & in alijs bonę fidei iudicis. *l. quod ſi nolit. § quia aſsidua. ff. de ædil. Edi.* ergo, & quæ certi iuris ſunt, qualis reſciſſio ex noua lege; nam, quod iure præſtandum eſt, id more etiam prę-
6 ſtari dicitur. Sic laudum, ſic (inquam) arbitrium inter

diſ-

dissidentes socios prouulgatum per bonæ fidei competentem actionem, quæ *pro socio* est, rescinditur. *l. vnde si Neruæ. ff. pro Soc.* cum (inquit Cuiac. ibi) finis actionis bonę fidei sit iniqua corrigere, & praua. *l. 3. C. comm. vtr. Iudic.*
7 Non obstat, quod de natura Remedij primo obijcitur. Nam in integrum quidem restitutio sub genere est rescissionis, sed non plus sequela hæc valet. *Est rescißio, ergo restitutio*, quam illa valeret. *Est animal, ergo est homo.* γ
8 Ad *l. 17.* incip. *officio.* resp. officium Iudicis, quo pretium deminuitur, non aliud ibi esse, quam quod actioni deseruit. ꝭ
Quæ vero rationes negant, ex vendito actionem dari posse, melius ipsæ negari possunt. Tú, quia ex vendito actio
9 in proposita iuris specie non tam rescindit venditionem, quam corrigit, cũ alternatim, vel restitutionem petat rei, vel supplementum precij. *d. l. 2.* Tum quia, si rescindit, id tamen inauditum videri non debet. Nam primo quidem competit actio venditi, si nominatim fundus ea lege venditus est, vt sub conditione aliqua inemptus fieret. *l. sed Celsus. § 1. ff. de contr. empt.* Deinde competit etiam, licet nihil tale conuenerit, dummodo iuris sit, venditionem rescindi. Argumento certissimo redhibitio est; constat enim (inquit Donel. [ε]) edicto Ædiliũ Curulium, si venditum animal morbosum sit, aut vitiosum, ius esse Emptori animal redhibere. *l. 1. §. Ædiles aiunt. ff. de ędil.*
10 *edi.* neque aliud redhibitio ista est, quá rescisio Emptionis: qua fit, vt venditor rem suam recipiat, & precium reddat. *l. facta. ff. eod. tit.* Et tamen redhibitio actione petitur ex empto. *l. ex empto. §. redhibitionem. ff. de act. emp.* vbi

vbi generaliter Vlp. authoritate Iuliani ſcribit *in §. is qui vina.* vtilem eſſe actionem ex empto *etiam ad diſtrahendam Emptionem, &c.*

11 Quod demum attinet ad iudicium vi contractæ Venditionis, reſponſum primo fuit, ζ non eſſe perpetuum, vt omnis reſtitutio, quam emptor facere venditori debet, actione fiat ex Vendito. Exinde habita diſtinctio quędam eſt, videl. reſtituendum eſſe Venditori per actionem ex vendito id, quod ex cauſa Emptionis, aut Venditionis Emptor accepit, vti in caſu nouæ legis, & redhibitionis; non id, quod ex cauſa metus, & violentiæ; non enim videri id acceptum ex cauſa Emptionis, & Venditionis, cũ
12 venditio vi facta rata a Prætore non habeatur. *l. 1. ff. quod met. caut.* nam non poſſe ex vendito actionem eſſe, vbi venditio minime conſtitit, ſi modo Venditor eam Venditionem ſtare nolit.

α *De comm. Balb. de præſcr. par. 4. q. 26. n. 1. Couarr. 1. Var. c. 3. n. 13. Bero. c. cum dilecti. n. 9. de Emp. & Vend. Pinel. ad d. l. 2. par. 2. c. 1. n. 26. Ceual. comm. q. 536. n. 13. Fab de Err. par. 1. dec. 1. Err. 7. n 9.*

β *Pinel. ſup. c. 4. n. 4.*

γ *Adde eund. Pinel. ſup. d. c. 1. n. 33. & d. c. 4. n. 4.*

δ *Vide Cuiac. ibi, et in d. l. Vnde ſi Neruæ, et quæ ego Sac. Iu. cõtr. diſſert. 9. c. 13. n. 6.*

ε *d. l. 2. C. de reſc. vend*

ζ *Vide Donel & Fab. ſup.*

An Venditor, qui iurauit, non contrauenturum ſe, vti remedio nouę legis poſſit. *Ad d. l. 2. C. de reſc. vend.* Cap. CXXXIII.

1 *Legatum, quod alternatim concipitur, vnum eſt, non plura.*
2 *Sub conditione iurandi relictum non valet, & cur.*
3 *Venditor, qui iurat non contrauenturum ſe, duo iurat.*
4 *Cauſatiue contrauenire, quid.*

Qui

QVi æstimant, [a] non obstante iureiurando posse, vel ad rem, vel ad precium agi, eo moueri solēt, quod multis placuit, periurum non videri eum, qui alterum petit simpliciter, hoc est, *preciũ suppleri*. Huic enim (inquiũt) qui alterum petit, par ille est, qui alternatim petit, is enim non duo petit, sed vnum, prout legatũ, quod alternatim
1 datur, vnum esse creditur, non plura. *l cum illud. ff. quan. dies leg. ced. l. si illud. ff. de leg. 2. §. huic autem. cum not. Instit. de Act.* Et reuera qui alternatiue agit, nihil aliud petere videtur, quam supplementum precij, cum enim electio sit conuenti, velit ne rem restituere, aut precium supplere. *d. l. 2. c. cũ causa. c. cum dilecti. de Empt. et Vẽdit.* vtique, qui alternatim petit, id solum petit, quod electurus reus est, adeoque suppletionem precij, si sic reus velit, quia contractum seruare malit, quam perdere. Nam, si rescindere plus statuat reus, quam precium supplere, id quidem non potestate actionis facit, sed sua voluntate, quapropter imputare debet sibi, quod ita elegerit.

At, qui verius credunt esse, [b] vt periurium incurrat is, qui alternatim petit, sed non is, qui suppleri sibi precium præcise intendit, cum ad id recurrere actio debeat, nituntur authoritate Vlpiani *in l. quæ sub conditione. in princ. & §. si*
2 *quis sub iurandi. ff. de Condit. instit. Quæ sub conditione iurisiurandi relinquuntur* (inquit I.C. in princ.) *a Prætore reprobantur, &c. Cum enim faciles sint nonnulli hominum ad iurandum contemptu Religionis, alij per quam timidi metu Religionis vsque ad superstitionem, ne, vel hi, vel illi, aut conquerentur, aut perderent, quod relictum est, Prætor consultissime interuenit.* Sic conditio iurandi legato adiecta, seu in-

inſtitutioni, pro nō adiecta habetur, vt ibid. Vlp. *in princ. Voluit ergo Prætor, eum, cui ſub iuriſiurandi conditione quid relictum eſt, ita capere, vt capiunt hi, quibus nulla talis Iuriſiurandi conditio inſeritur*. His præhabitis quæſtio ſubnectitur *in d. §. ſi quis.* . Teſtator eo modo locutus eſt. *Titius hæres eſto, ſi iurauerit; aut ſi decem millia dederit.* Quęſitum, numquid partem illam electionis, *ſi iurauerit*, reprobare Prætor videretur, cum poſſet hæres inſtitutus, omiſſa conditone iurandi, alteri conditioni parere, hoc eſt, decem millia ſoluere. Et reſponſum, cenſeri reprobatam, adeoque alternatiuam conditionem in ſimplicem reuerti, quaſi pure dictum eſſet. *Hæres eſto, ſi decem millia dederit.* Ergo & in ſpecie hac, de qua quærimus, cum nequeat is, qui iurauit, alternatim petere reſciſſionem contractus, reſoluetur alternatiua illa in ſimplicem, vt precium ſuppleatur.

Sed hæc non prohibent, quin pro certo reputemus, periurū eſſe eum, qui, aut pręciſe egerit, aut etiam electionem Reo dederit. γ Nam duo veniunt in contractum, res ſcilicet, & precium, & res quidem, vt penes Emptorem maneat,
3 precium vero, vt penes Venditorem certum ſtare debeat, atque immutatum. Hæc itaque duo iurat, qui contractū iurat, quaſi nec rem petiturum ſe, nec precij auctionem iurato promittat. Nec valet electio illa Emptoris, qui cōtractum integrum, illæſumque velle poſſit, & rem ſibi habere aucto ad modum iuſtitiæ precio. Nam bene occurritur, electionem hanc non liberam eſſe Emptori, ſed coactam, videlicet, niſi ſupplere precium velit, nam, ſi plus eligit contractum ſcindere, id quoque inuitus facit,

ne

ne precium augeat; & hoc eſt, quod ſuo modo loquentes Scholaſtici dicere conſueuerunt, eum, qui contrauenturum ſe Iureiurando negauerit, ſi agat tamen, preciumq; ſuppleri ſibi intendat, non preciſe contrauenire, quippe
4 qui non petat, reſcindi ſibi contractum, ſed cauſatiue, adeoque periurum eſſe.

Non obſtat Vlp. *in d. § ſi quis ſub iurandi.* Nam diſſimile eſſe, quod eo loci habetur, ſatis docuit Couarr. [δ] cum ad ſpecies alternatiuorum actuum non bene protrahatur; ibi enim (inquit) altera conditio ob Religionis cauſam, nempe Iuriſiurandi, remittitur, manetque tantum ex duabus alternatim conceptis vna. Sed & retorquetur Vlpianus, nam, cum reddere rationem vellet, cur remitti debeat conditio Iuriſiurandi, ſic habet. *Ne alia ratione conditio alia eum vrgeat ad iuſiurandum.* Senſus eſt. Si ſtare poſſet conditio iuratoria, valeretque alternatio, forte hæres inſtitutus ad capiendum Iuramẽtum recurreret, ne decem millia ſolueret, & ſic fraudaretur lex. Sic igitur in noſtra hac ſpecie compelli Emptor per actionem non debet ad ſupplendum precium, nam fortaſſis, ne preciũ ſuppleret (quod nollet, at non poſſet) ad reſcindendum contractum traheretur cum periurio Venditoris.

α *Dec. in c. inter cæteras. n. 6. de Reſcript.*
β *Vide Bal. in d. l. quæ ſub conditione. § 1. & ibi reliquos Pinel. ad d. l. 2. par. 3. c. 1. n. 5. cum relatis. Caſſad. de Empt. & Vend. decis 1.*
γ *Vide Pinel. ſup. Gutier. cum relatis de Iuram. par. 1. c. 26. n. 6. Theſaur. cum relat. deciſ. 165. n. 3.*
δ *De pact. par. 3. §. 5. in fi.*

De eadem re, & conciliati Paul. & Terent. *in l. adigere. §. ſtipulatus. ff. de Iu patr. & l. vlt § is, qui operas. ff. qui, & a quib. &c.* Cap. CXXXIV.

1 *Liberto operas indicere fas est, sed non mercedes operarum.*
2 *Nisi alternatim fieret.*
3 *Venditoris quæ obligatio, si iurauerit, non contrauenturum se.*

COnstitues, agere eum contra legem Æliam Sentiam, & iuris patronatus fieri expertem, qui libertum obli-
1 gauerit ad soluendas operarum mercedes. *d. §. stipulatus.*
2 *d. §. is qui operas*. Tunc requirunt ibidem Paul. & Terent. an in legem committat, adeoque patronatus sui iure, abijciatur, qui alternatim, vel operas liberto indixerit, vel operarum mercedes. Et respondent, non committere, *quia libertus præstare operas potest*. Quæ itaque ratio fuit, vt non id ipsum statueret Vlpianus *in d. l. quæ sub conditione. §. si quis.* aut non idem statuendum quoque fuerit in specie nostra?

Puto, sic conciliari rem posse. In causa Vlpiani non valuit conditio alternatim concepta, quia pars altera illius conditionis reprobata a iure erat intuitu Religionis, & Iuramenti, timerique poterat, ne ad eam partem inuitus traheretur hæres, quam lex improbasset. Sed in casu Pauli, ac Terentij lex Ælia Sentia non damnat in liberto solutionẽ mercedis operarum, sic sic libertus velit, *d. l. vlt.* § 1. sed patrono duntaxat prohibet, ne libertum præcise obliget, vt solam mercedem soluat. Cum itaque data electione non præcise libertus ad solutionem mercedis obligetur, sed sponte soluat sua, propterea in legem patronus non committit, nec ius perdit. Vide *d l. vlt. in fi. Obligare sibi libertum* (inquit) *vt mercedem operarum capiat, is intelligitur, qui hoc solum agit, vt vtique mercedem capiat, etiam*

si

si sub titulo operarum eam stipulatus fuerit.

Differt & species oppositarum legum a nostra hac quæstione; quod in illis alternatiua stipulatio vtramque partem licitam facit ex interpretatione legis Æliæ Sentię, quę nihil præterea vetat, quam ne præcise libertus ad operarũ
3 mercedes obligetur. At in nostro casu vtraque pars electionis iniusta est, cum enim iurarit Venditor, non contrauenturum se, propterea nihil, aut contra rem attentare potest, aut contra precium, vt dicebam, atque idem subest metus, qui *in d.l. quæ sub conditione. §. si quis.* vt, si quid contra precium Venditor faciat, Emptorem vrgeat ad contractum rescindendum cum periurij nota.

An generalis renunciatio auxilium abroget nouæ legis. *Ad d.l.2. C. de rescind. Vendit.* Cap. CXXXV.

1 *Generalis renunciatio an indebiti condictionem auferat.* 3.
2 *Pariatio quid, & quis Pariator, aut reliquator.*
4 *Renunciatio generalis non officit aberranti.*
5 *Pariationis proprium.*

ADeo creditum, non abrogari, [a] vt, & dubitatum de speciali renunciatione fuerit. [b] Sed vtrumq; plus cerebrina quadam commentatione, quam legis fulcro. Si quid tamen solidi esse videtur, id habent ex Scæuola *in*
1 *l. vlt. §. idem quæsijt ff. de cōdict indeb. Idē quæsijt* (ait Scęu.) *an pactum, quod in pariationibus adscribi solet in hunc modũ (Ex hoc contractu nullam inter se controuersiam amplius esse) impediat repetitionem. Respondit, nihil proponi, cur impediret.* Vt ergo (inquiunt) generalis renunciatio auxiliũ

non

non aufert condictionis indebiti, ita nec auxilium nouæ legis.

Huic legi, quæ inter Practicos principem locum tenet, duplex solutio est. Præmittes, renunciationem hanc in
2 pariationibus scriptam esse. Pariationem vero interpretatur Ant. Augustin. [γ] esse scripturam illam, qua, rationibus redditis, satisfactum esse Creditori, dominoue apparet, sicuti pariator ille est, qui sic rationem retulit, vt expensa acceptis paria fecerit, [δ] cui perinde opponitur reliquator. Hæc si præmittis, iam dubitare nequaquam potes, eum, qui cum Pariatore rem gessit, putasse, se pariatori debitum soluisse, atque hoc errore ductum, factaq;
3 de pecunia debita pariatione, generaliter renunciasse. Non mirum itaque, si repetitio indebiti salua manet, quia errauit, quia ignorauit, quia denique consensum de hac re nullum habuit, & (vt ait Bar. [ε]) sicut indebite per errorem promisit, ita & indebite per errorem renunciauit,
4 nam hoc quoque Pragmaticis placuit, ne generalis hæc clausula aberranti officiat. [ζ]

5 Deinceps resp. pariationis illud proprium, ac peculiare esse, vt clausula generalis ad ipsam solam referatur, cęteris obligationibus in sua causa manentibus, idque apertius probat Scęuola *in l. Emptor. §. vlt. ff. de Pact.* vbi facta pariatione expressum erat, vt omnes cautiones ex quocumque contractu vanæ, & pro cancellato haberentur, cumque dubitatum de præcedenti quodam Mandato esset, an & ipsum pro cãcellato haberi oporteret, respondit Scęuola, *si tantũ ratio accepti, atq; expensi esset cõputata, cæteras obligationes manere in sua causa.* Videre est, genera

lem

lem renunciationem in pariatione factam restringi ad ea, quæ acceptorum, expensorumque essent, non quæ ad reliquas obligationes pertinerent. Cum itaque repetitio indebiti soluti extra pariationem obliget accipiẽtem, nec minus, quam si ex causa mutui debitor accepisset, nõ mirum, si in sua causa stare iubeatur.

α *De comm. Couar. Variar. lib. 2. c. 1. n. 1. Gabr. comm. tit. de Empt. & Vendit. concl. 1. n. 91. Gutier. de Iuram. conf. par. 1. c. 26. n. 1.*

β *Vide Couarr. d. lib. 2. c. 4. n. 2. Fachin. cõtr. lib. 2. c. 20. contr. 6. Fab. de Error. par. 1. dec. 7. err. 8.*

γ *lib. Emend. 4. c. 12.*

δ *Adde Cuiac. ad l. Iulius Paulus. ff. de cond. & dem.*

ε *d. §. idem quæsiyt. n. 1. Ias. in §. fuerat. n. 77. Instit. de Act.*

ζ *Mart. de Claus. par. 1. cl. 136. n. 24.*

De Optione in beneficijs sublata, vel minus. *Ad cap. referente. de Præben.* Cap. CXXXVI.

1 *In Decretalibus nihil superfluum.*
2 *A iure veteri parce recedendum.*
3 *Legum correctio vitanda.*
4 *Optio vbi sublata, vel minus.*

SI duas Ecclesias habeat Clericus, non potest vtraque, vel altera præcise eijci, sed in optione est eius, vtram retinere velit, aut linquere. *c. referente. c. præterea, de præbẽd. c. eam te. de æta. & qual.*

Sed obstat vtrumque Concilium Lateranense; alterum sub Alex. 3. in *cap. quia nonnulli. de Cleric. resid.* alterũ, quod generale dicitur ad differentiam primi sub Innoc. 3. *in c. de multa. eod.* quibus adhæret Ioan. 22. *in extrauag. Execrabilis. §. qui vero. eod. tit.* His tribus iunctis constituitur, vt, si Clericus duas habeat dignitates, duos ve persona-

tus; aut duas Eccleſias Parochiales, poſteriorem perdere debeat, & quidem ſententia Iudicis intercedente. *d. cap. quia nonnulli*. vel ipſo Iure. *d.c. de multa*. Aut, ſi vtramq; Eccleſiá, dignitatẽ, perſonatũ ue retinere contendat peruicaciter, eijciatur vtraq; ſed Iudicis ſententia. *d.c. de multa*. vel ipſo Iure. *d. extrau.* fiatque tam ad beneficia, quam ad ſacros Ordines ſuſcipiendos perpetuo inhabilis.

Et hæc quidem ſacrorum Canonum de optione varietas componi ſolet cum temporum diſtinctione; [a] ſcilicet, vt optio per anteriores Canones permiſſa fuerit deinceps ab vtroque Concilio Lateranen. ſublata, quibus Ioannes quoque conſenſerit.

Mirarer, ſi vera hæc eſſent, aut, ſi fallere fidem poſſet Gregorius Pontif. qui nihil in ſuis Decretalibus ſuperfluum
1 fore voluerit. Iungunt & alij, quod crebrius dicitur, nõ
2 eſſe a veteri Iure recedendum, niſi quatenus reperiatur
3 in nouo prouiſum. *l. præcipimus. in fi. C. de appell.* neq; induci legum correctionem poſſe, ſi aliá quamlibet interpretationem recepturę videátur. *c. cum expediat. de Elect. in 6*. Quin & ipſe Alex. 3. qui priori Concilio Lateranẽſi præfuit, eandem beneficiorum optionem denuo inculcat *in d.c. eam te.* cum tamen non dubitemus, hũc Canonem poſt Concilium illud (quod ibi etiam refertur) emanaſſe. [b] Nec tam reſpondent aliqui, quam diuinát, cum docent, loqui Pontificem de Eccleſiis, quæ ante Concilium Lateranenſe collatæ eſſent, quo tempore non dum erat optandi ius ſublatum.

Quid ergo eſt? Crediderim, non vbiq; vel in omni beneficiorum genere ablatam fuiſſe optionem, ſed in dignita-

gnitatibus, personatibus, & paræcialibus Ecclesiis tantũ, cum de his oppositi Conciliorum Canones, atq; extrauagans Ioannis constitutio satis explicate loquantur. Cęterum in aliis beneficiorum generibus aliud puto esse[α], quid enim si duo beneficia data fuerint, alterum curatũ, alterum simplex, aut quorum neutrũ curam habeat animarum, sed onus vtrumque habeat residendi, an non competitura optio sit ex veteri Canone? Quid, si Clerico duo simul tempore beneficia fuerint collata? an non locum habere optio debeat ex priorum Canonum dispositione? nam posteriores liquet in ea causa loqui, cum diuersis temporibus diuersa beneficia, non cum vno, eodẽque tempore impetrãtur. Vide Abb.[γ] Atq; ita inualuit.[β] Admitto itaque distinctionem plus beneficiorum, quam temporum, & optandi ius relinquo, vbi illud prelaudati Canones reliquere, hoc est, in beneficis residẽdi ius habẽtibus, quę nec dignitatũ, nec personatuũ, nec paręciarũ numero habeãtur, nec minus in Curato beneficio, quod cũ alio capitur residẽdi onus inducẽte, vtp. Canonicatu.[ε] Nec mihi negocium ullum facit Concil. Trid. *sess. 7. de Refor. c. 4.* cum nihil addere voluerit, sed ius vetus simpliciter innouare, dum ait. *Contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innoc. 3. quæ incipit de Multa.* Atque ita Nauarr.[ζ] nec male.

Contradicunt tamen Eminentissimorum authoritas, Auditoria, & praxis, quibus interim stari volo."

α *Vide Abb. in d. c. referente. & d. c. quia nonnulli. n. 4. Gonzal. ad reg. Cancell gl. 15. n. 10. Garz. de benef. par. 11. c. 5. n. 2.*
β *gl. ver. Concilij.*
γ *d. c. referen. n. 3.*
δ *De comm. Nauarr. ad c. si quando. excep. 6. n. 3. de Rescrip. Vide Garz. cũ relatis.*
ζ *d. c. 5. n. 65.*

η *Vide Oldrad. conſ. 165. n. 1. cum relatis ante.*
ζ *conſ 17. de præb. Adde Gonzal. d. gl. 15. n. 16. Garz. ſup. n. 81. Proſp. ad Quaran. ver. beneficiorum reſignatio. cau. 9. concl. 4. Rota. diu. dec. 484. par. 1. in fi.*
η *Vide Gonzal. ſup. n 16. Garz. n. 84.*

De appellatione per ſaltum. *Ad l. Imperatores. ff. de Appell.* Et conciliatus *can. referente. de præben. cum can. dilecti. 66. de Appellat.* Cap. CXXXVII.

1 *Princeps per ſaltum appellari non debet.*
2 *Appellatio per ſaltum quando valeat. 4.*
3 *Si Iudex incompetens errore aditur, inualidum iudicium eſt.*
5 *Archidiaconus olim Epiſcopi Vicarius.*
6 *A Vicario Epiſcopi quis appelletur.*
7 *Epiſcopi, & Vicarij tribunal vnum.*
8 *A Iudice dato quis appelletur.*
9 *Et quæ eius poteſtas.*
10 *Archidiaconi duplex Iuriſdictio.*

VErba Papirij *in d l. Imperatores.* de appellatione per ſaltum hæc ſunt. *Impp. Antoninus, & Verus reſcripſerũt,*
1 *appellationes, quæ recto ad Principẽ factę ſunt, omiſsis his, ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine ad Prætorẽ remitti. Iidem reſcripſerunt, ab Iudice, quẽ a Præſide Prouinciæ quis acceperat, non recte Imperatorẽ appellatũ eſſe, ideoq́; reuerti eum ad Præſidem debere.* At ſi Principem appellare non decet, omiſso medio, quanto minus alios?

Turbant hæc Pontificij Canones, nam *in d. cap. referente.* qui ſpoliatus ab Archidiacono fuerat, non Epiſcopum, qui Archidiacono erat proxime ſuperior, ſed Metropolitanũ appellauit, valuitque per ſaltum appellatio.

2 Solutio duplex ex Butr. [α] & Abb. [β] aut appellationem

illam ex consuetudine stare eo modo potuisse. *c. Romana.* §. 1. *de Appell. in 6.* aut si non consuetudine, saltem, quia nihil exceptum ab Aduersario fuerat, nam licet declinari possit Iurisdictio superioris Iudicis omisso medio, non tamen posse pro incompetenti haberi, ne dicere compellamur, Principem quoque eo modo appellatum esse incompetentem, qui magistratuum caput est, & cau-
3 sa. Quin vbi Iudex incompetens errore aditur, vel appellatur, nullius tunc momenti Iudicium est *l. si per errorem. ff. de Iurisd. om. Iud.* & tamen, si per errorē fuerit maior
4 per saltum appellatus, Iudicium valet. *l. 1. §. si quis in appellatione. ff. de Appell.* ergo maior iste Iudex declinari quidem potest, sed incompetens non est.

Nunc valeant parumper hęc. In *d.c. referente.* ab Archidiacono Metropolitanus appellatus per saltum fuit, omisso (inquam) medio, hoc est, Diœcesano Episcopo, fateor vtique, sed Iuris fuisse existimo, vt ad Metropolita-
5 num prouocatio fieret; Erat enim Archidiaconus tunc temporis Vicarius Episcopi. *c. 1. c. ad hæc. de off. Archid.* a
6 Vicario autem non Episcopus appellandus, sed superior
7 Episcopo est, ne, cum Episcopi, & Vicarij sit tribunal idem. *d.c. Romana. in princ.* idem a se ipso appellari videatur. Consentit Cuiac.[a] allegans hoc idem iure Ciuili cōstitutum, vt *l. 1. §. vlt. ff quis, & a quo. iun. l. solet. ff. de Iurisd. om. Iud.*

Obstant vero maxime, quod legitur *in d.c. dilecti.* perperam omisso Episcopo fuisse appellatum Archiepiscopum; Et quod statuitur *in d.c. Romana §. ab Archidiaconis.* non posse ab Archidiacono appellari Archiepiscopum omisso Dięcesano.

Cuiac.[t] ad vtrumque respondet. Ad *c. dilecti.* non illic de Archidiacono mentionem esse, seu Officiali Archidiaconi, qui Vicarij Episcoporum sunt, sed (vt indicat anti-
8 qua decretalis) de Iudice, qui datus ab Episcopo esset, sicuti etiam ex Iuris Ciuilis dispositione a Iudice dato appellandus is est, qui dedit; nam Iudex datus non est Vicarius dantis, nec Iurisdictionem habet, aut executionem sententiæ suæ, sed notionem simpliciter. *l. a diuo Pio ff. de Re Iudic. d. l. 1. §. vlt. l. 3 ff quis, & a quo.* Eadem responsio fuerat glosatoris; videl. non fuisse ab Officiario Episcopi appellatum, sed a Magistro quodam. R. Canonico Claremontis, cui specialiter Episcopus causam commiserat, cum nec Curialis eius esset.

Ad *d. §. Ab Archidiaconis.* respondet, nouum istud esse; introductumque ab Innoc. 4. nescire autem se, qua ratione; forte imperitia Iuris, nam Innocentium tertium fuisse Iuris peritissimum, non Innocentium quartum.

10 Sed fallimur sæpe, cum de legibus iudicare plus volumus quam secundum leges; Nam Pont. in principio de generalibus Episcoporum Vicarijs loquitur, qui vnum faciunt cum Episcopo Tribunal, ideoque ab ipsis non Episcopi appellari, sed superiores debent, vt ante. Ergo *in d. § ab Archidiaconis.* nó de Archidiaconis loquitur quasi Episcoporum Vicarijs, sed quatenus ipsis; nam duplicem in Archidiacono potestatem olim fecimus,[u] alterá, quam vt Vicarius Episcopi habet, alteram, quam vt Archidiaconus. Ab Archidiacono igitur, quando vt Archidiaconus procedit, non vt Episcopi Vicarius, Episcopus ipse, hoc est, proxime superior appellari debet.

[x] d. c.

α d.c. referente. n. 10.
β Ibid. n. 4.
γ Dixi Sac. Iur. contr. dissert. 2. c. 4.
δ d. c. referente.
ε Ibid.
ζ d. c. dilecti. ver. post huiusmodi. in fi.
η d. dissert. 2. cap. 4. n. 10.

An Dei nomen instrumentis præponi oporteat. *Ad Auth. vt præpon. nom. Imp.* Cap. CXXXVIII.

1 *Ordo instrumenti conficiendi, & modus quis.*
2 *Imperatoris nomen cur instrumentis præponatur.*
3 *In dubio pro validitate decernendum.*
4 *Leuis solemnitas omitti potest.*

AN inuocatio diuini nominis necessario præponi debeat instrumento, vt valeat instrumentum, ita quærunt Commentatores,[a] vt se pene exaniment, neque, vt opinor, sine risu. Et qui negant, valiturum instrumētum, nisi præponatur, authorem memorant Iustinianū *in d. auth. vt præpon. nom. Imper. c. 1. vers. & inchoetur.* vbi
1 conficiendi instrumenti præscriptus ordo est, vt præponatur nomen Imperatoris, exinde sequatur nomen Consulis, qui in anno illo est, post hæc indictio, mensis, dies, & si quæ alia consuetudo exigat regionis. Quibus enarratis adiungitur. *Et inchoetur mox authore Deo a præcedēti prima indictione.* Hic præscribi modum, quo non seruato corruat instrumentum, in confesso est; at quod dicitur (*authore Deo*) explicat suo more Accurs. *In nomine Domini*, quare, &c.
Responderi solet, id, quod ait Iustin. *authore Deo*, non quasi a Tabellione esse, sed quasi a pietate Legislatoris,

tanquam si scriptum in lege esset. *Incipiat Tabellio Deo annuente a præcedente prima Indictione, &c.* Et ecce, non Dei inuocatio, sed præcedens prima indictio initium esse scripturæ debet, immo non Dei optimi maximi, sed Im-
2 peratoris nomen preponi Iustinianus iubet, quasi id, quod primum in instrumento locum occupet, & quod necessarium summe sit ob memoriam temporis, & Imperij. Et vero quis credat, tanti ponderis solemnitatem, quæ omissa vitiari instrumentum possit, duobus illis verbis a consultissimo Legislatore præcipi valuisse? Nam & loquendi hic modus Iustiniano familiaris valde est, qui nec irreprehensibilis videretur, si ea verborum sterilitate, ambiguitateque rem, quæ destruere instrumentum posset, docere voluisset. arg. *l. item apud Labeonem. §. ait Prætor. vers. ea enim. ff. de Iniur.* cum inter dubias legum dispositiones pro rato haberi soleat, quod actum est *l. quoties ff. de Verb obl. de reb. dub. & de Reg. Iur.*
4 Accedit, implorationem Diuini nominis leuem esse solemnitatem, quæ instrumentum forte vitiare non posset etiam si de ea nominatim lege caueretur; cum enim aperta lege sancitum fuerit, vt inuentario, quod hæres hodie beneficio nouæ constitutionis facit, venerabile signum Crucis eiusdem hęredis manu (si ignarus forte literarum, vel scribendi impotens) præponatur. *l. vlt. § sin autem. C. de Iu. delib.* hanc tamen solemnitatem, quod leuis videatur, præteriri impune posse, frequentissimis suffragijs receptum est. arg. *l. 1. §. vlt. ff. de Vent inspic.*

a *Ad Rub. ff. de oper. no. nunc.*

Id, quod commune est, per fictionem meum dici, non proprie. *Ad l. illud. ff. de Ritu Nupt.* Cap. CXXXIX.

1 *Liberta, quæ Patrono nupsit, alteri eo inuito nubere non potest, & cur.*
2 *Appellatione rei venit tota.*
3 *Rei communis ratio quæ.*

ATque ita inualuit a ex *c. sicut. §. proprium. 47. dist. c nulli. §. 1. 12 q. 1. l. extraneo. ff. de quæst.* Nam, si quid est, quo suaderi contrariũ videatur, *vt l. recte dicimus. ff. de Verb. sig l. pupillus. in fi. ff. eod. l. 2 in princ. ff. de Condit. Instit.* aut facile id soluitur, aut valere in speciali aliquo casu potest, & ex speciali aliqua ratione, vt bene Dec. *a*

1 Est autem pro hac re celebris decisio Gaij *in d. l. illud.* Lex est, ne inuito Patrono liberta, quæ ei nupserat, alij nubere deinceps possit. *l. in eo Iure. ff. de Ritu Nupt.* tum paucis interiectis Gaius. *Illud* (inquit) *dubitationis est, an & qui communem libertam vxorem duxerit, ad hoc ius admittatur? Iauolenus negat, quia non proprie videtur eius liberta, quæ etiam alterius sit. Alijs contra visum est, quia libertam eius esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta, quam sententiam plerique probauerunt.*

Punctus est, an prima Iauoleni ratio, *quia non proprie, &c.* corrigatur ex secunda. Decius b corrigi negat, quia nulla contradictio est (inquit) vt proprie liberta non sit, & tamen locũ habeat dispositio legis; nam & si minus proprie, liberta tamen est, quod sufficit, cum definitio Gaij in sola reuerentiæ causa solidetur, quam vtique liberta debet, vel proprie talis sit patroni illius, vel impro-

prie.

prie. *l. communis libertus ff. de in ius voc.*

2 Confirmatque hoc ipsum deinceps non ineleganti ratione. Nam appellatione rei venit tota res. *l. si in rem 6. in princ. ff. de rei vend.* Sic appellatione domus venit tota; δ Propterea si dicat quis. *Hæc res mea est*; valet, ac si dixisset. *Tota hæc res mea est*. Igitur, si de re, quam communem cum alio habet, dicat quis. *Hæc res mea est*. rē vtique totam dicit suam esse, quod proprie verum non est. Credo equidem, dubitasse Gaium, aut dubitare saltem potuisse legem in liberta locum non habituram, quę proprie liberta non esset patroni illius, forte, quia stricte, & proprie accipi debeat lex prohibitiua nuptiarum, quasi o-

3 diosa. *arg. d. l. in eo iure. §. hoc caput.* neque de hac loquendi proprietate emendatum aliquid in Iauoleno esse. Non tamen vsquequaque placuit subtilitas illa Decij; Nam cū in communi toto quælibet pars possit esse mea, & non mea, vtique, & proprie mea dici debuerit, quatenus mea esse potest, improprie vero, quatenus potest non esse mea; Cum etenim mihi nullus prefiniatur in re communi locus, vbi pars illa sit, possum quamlibet partem meā dicere, ac subinde totam rem; traditum namque est, vnūquemque ex socijs pro indiuiso partem in qualibet parte habere, quantumuis minima illa sit. ε

α *Vide Gl. ordin. ad l. id quod nostrum. ff. de Reg. Iur. Socc. l. Serui electione. §. Labeo n. 8 ff de leg. 1.*

β *d. l. id quod nostrum. n. 8.*

γ *Ibid. n. 4.*

δ *Vide, quæ ego Sacr. Iu. contr. dissert. 12 c. 5. n. 12.*

ε *Gl. ad l. si familiæ ver. pro parte. C. fam. Erisc. Scriptaad c. 3. de Præbend.*

An pœnę fęminis intra annum luctus statutæ a Iure Ciuili videantur omnes Iure Canonis abrogatæ. *Ad c. penul. & vlt. de Sec. Nupt.* Cap. CXL.

1 *Mulier mortuo viro soluta est a lege viri.* 7.
2 *Matrimonia libera esse debent.*
3 *Vbi pęna est, illic libera non est voluntas.*
4 *Qui concessa licentia vtitur, non potest videri delinquere.*
5 *Extra causam peccati ius Canonicum nihil potest supra legem.*
6 *Lex nubentem puniens intra annum luctus iusta est, & cur.*
7 *Pęna infamiæ quo metu retrahere nubentem videatur.*
8 *Inter sponsos promißio pœnæ non obligat.*
9 *Comminatio Censuræ iustum metum facit.*

DE Ciuilibus pęnis vide *l. 1. C. de sec. Nupt. l. si qua mulier. C. ad Tertill. §. primæ si quidem. Auth. de Nupt. &c.* Tota vis quæstionis est *in capp. pen. & vlt. de sec. nupt.* vbi in primis Vrban. 3. *Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier poßit sine infamia nubere infra tempus luctus secundũ leges diffinitum. Respondemus, quod cum Apostolus dicat.*
1 *Mulier viro suo mortuo soluta est a lege Viri sui, in domino nubat, cui voluerit; per licentiam, & authoritatem Apostoli eius infamia aboletur.*
Exinde Innoc. 3. *Cum* (secundum Apostolum) *mulier mortuo viro suo ab eius sit lege soluta, & nubendi, cui vult, tantum in Domino, habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere iacturam, quæ licet post viri obitum infra tẽpus luctus (scilicet vnius anni spatium) nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo vtitur potestate, cum in his præterea secu-*

la-

lares leges non dedignentur sacros Canones imitari.

Circa duos hos Canones Doctorum sententia triplex est. Primi docent, [a] Iure Canonis omnes penas legales e medio sublatas, vtcumque in vtroque capite sit mentio de sola pena infamiæ. Atque hi quidē plurimum recepti [b] Ratio autem præcipua horum est, quia scopus ille fuit vtriusque Pontificis, ne mulier rem licitam faciens cum permis-
2 su Apostoli, atque iure suo vtens penam sustineret, et
3 quia libera oportet esse Matrimonia. At hærcle, si pena aliqua deberetur, non esset voluntas libera. *l. Titia. in*
4 *princ. ff. de verb. oblig. c. gemma. de Sponsal.* & qui licentia vtitur concessa ab Apostolo, non potest videri delinquere. *l. Decuriones. C. ex quib. cau. inf. irrog. &c.*

Secundi dicunt, [c] nullam omnino penam abrogatam videri, licet duo illi Pontifices de ignominiæ pena nominatim loquantur. Atque hi primum supplent verba vtriusq; Canonis, quod non debent; Deinde considerant diligentius, non punijsse ius Ciuile secundas nuptias, sed volatū, seu nimiam festinationem, & quidem optima ratione, ne ex turbatione, seu commistione sanginis incerta proles efficiatur, dum ambigi potest, cuius nam filius ille sit, qui editus postea fuit. Cum itaque (inquiunt) iustissima hæc ratio sit, non potuit lex Pontificis rem tam iustam, tamq; honestam, & quæ litibus finem imponat, emendare, eoque potissimū, quod lex infamię relata in decretum fuit.
5 *c. infames. in fi. 3. q. 7.* & vbi causa non vertitur peccati, ius Canonicum nihil potest supra leges. Atque ita isti quidē, sed nimis audacter, nec tam emendatione digni, quam Censura.

Ter-

Tertij credunt, [d] solam infamiæ pęnā sublatā videri, cū de ea Canones expressim decernant, reliquas vero pęnas stare adhuc, & obstare mulieri, ne intra annum conuolet ad Nuptias, & hi quidem bene; nam & ex verbis Canonum, quibus infamia nominatim abraditur, & ex sententia Pontificum, ni fallor, volunt enim sarctam tectam Apostoli Pauli concessionem, quæ in hoc tota est, vt mulier mortuo viro sit ab eius lege soluta, & nubendi cui vult, habeat potestatem, *tantum in Domino*. Quod ait Apostolus, & cum eo Romani Pontifices, *tantum in Domino*, eum sensum habet ex Tertull. vt nullam aliam formam repetundarum Nuptiarum nisi a Domino præscriptā habeat. *Cui ergo voluerit*, Christiano scilicet, non Pagano, quia *tantum in Domino*.

At, si interpretari libeat cum vtroque Pontifice, vt plenā mulier habere debeat nubendi licentiam quasi soluta a lege viri, nec debeat intra annum luctus coerceri, vidēdum, cur de sola infamiæ pœna loquatur vterque, reliquis omnibus omnino post habitis, quæ multæ sunt.

7 Puto autem, quia sola illa pęna corrigenda fuit, quæ vim faceret quasi præcisam, & metum induceret, quo bene constans mulier posset a contrahendis nuptijs dimoueri. Hęc autem est infamię pœna, nam reliquæ familiaris rei iacturam aliquam faciunt, quā negligere mulier potest, aut cū secundarū nuptiarum vtilitate compensare. Sola infamia libertatem aufert contrahendi; licet enim infamiæ metus non sit talis, vt restitutionem promeruerit ex edicto Prætoris. *l. nec timorem. ff. quod met. cau. &c.* si tamen habeat effectum iuris, restitui potest. *l. isti quidem. §. quod si. ff. eod.* [e]

Non

Non obstat Gregor. *in d. c. gemma.* vbi inter sponsos irritat promissionem pœnæ, licet pecuniaria illa sit, *cum* (inquit) *libera Matrimonia eſse debeant; &c.*

Nam resp. pœnam inter sponsos stipulatione promissam ipso etiam Iure Ciuili non deberi. *d. l. Titia.* cum tamen in specie nostra lex ipsa Ciuilis mulierem comprimat, &
9 quidem iusta causa suadente, vt *sup.* Et, cum matrimonia libera esse debeant, videmus tamen Canones inducere eos interdum, qui sponsalia iurarint, ad contrahendum Matrimonium per comminationem censuræ, quæ inducere metum potest cadentem in constantem virum. Vide *c. ex literis. 2. de sponsal.* [η]

α *Vide gl ad. l. 1. ver. honorarias. C. de sec. Nup.*
β *Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 87. n. 2. &c.*
γ *Gl. ad. l. decreto. ver. contrahere C. ex quib. caus. inf. irr. alijq. vt per Sanch.*
δ *Cin. ad l. 1. in fi. C. de sec. Nup. & alij penes eund.*
ε *Refer. Cuiac. d. c. vlt.*
ζ *gl. d. l. nec timorem. ver. infamiæ.*
η *Dixi Sac. Iu. contr. differt. 10. c. 2.*

De eadem re. Et an relictum pro viduitate possit hodie intra annum peti, perutiliter disputatum. *Ad Auth. cui relictum. C. de ind. vid. toll. &c.* Cap. CXLI.

1 *Cur intra annum peti non possit relictum pro viduitate.* 4.
2 *Corrigitur lex, si corrigatur ratio legis.*
3 *Vir lugere vxorem non tenetur.*

SI cui legatum fuerit aliquid, ne secundas ineat nuptias, intra annum peti prohibet Iustin *in d. auth. cui relictum. & §. quæ vero. vers. Vnde sancimus. auth. de Nupt.* Nisi tamen (inquit) Nuptiarum spes intra annum deficiat, puta, si legatarius Sacerdotio consecretur, si legataria se Deo de-

deuoueat. Post annum vero peti permittit, pręstita tamen cautione Mutiana, quod legati nomine ceperit, si viduo lecto discesserit, hoc est, si iterum nupserit, id omne cum sua causa restitutum iri.

Hinc nimis anxie quæsitum per omnes, an hodie possit
1 legatum intra annum peti. Et affirmatum a quibusdam, posse. Nam quæ ratio fuerit, cur prohiberet Imperator, intra annum peti? Vtique (inquiunt) quia tunc intra annum nubere nonpoterat, ne infamis fieret. *l. liberorum. §. 1. ff de his, qui not. inf. l. consensu. § si vero. C. de Repud. c. penul. & vlt. de sec. Nupt.* [a] Ergo, quod intra annum abstinebat mulier, nõ honore viri id facere credebatur, sed metu pęnę. Hodie vero sublata infamiæ pœna est, & cũ ea pœnę omnes, quascũque Ciuilis lex excogitare potuerit. *d. c. penul. & vlt.* quapropter honore Mariti abstenere hodie creditur intra annum mulier, neque ideo est, cur
2 statim legatum petere oblata cautione non possit, scriptũ enim est, corrigi legem, si corrigatur ratio legis. [b]

Sed perperam hæc, nam Iustin. anni tempus, & mulieri præscribit, & viro, si forte ei mulier, vel alius sub ea conditione legatum dederit. Vir autem infamiæ pœnam timere non potest, quia nec lugere vxorem debet, si nolit.
3 *l. vxores. ff. de his, qui not. inf.* neque aliam præterea pœnam dare, sed ire iubetur omni obseruatione securus. §. *primæ siquidem. Auth. de Nupt.*

Et quoties valere ea ratio posset, dicerem tamen, subesse adhuc metum aliquem; Nam solam infamiæ notam aboleri diximus sup. [c] reliquas autem pœnas manere ei, quæ intra annum luctus ad vlteriores Nuptias cõuolarit;

adhuc

adhuc igitur habet intra annum mulier, quo plus detineatur, quam honore Mariti.

Crederem, Iuris Ciuilis dispositionem Seruandam & hodie esse, vt plurimis placuit. [δ] Determinatum vero fuisse anni tempus ex placito Principis, vt probent se interim Coniuges, & maturius deliberent, priusquam petant cum cautione legatũ, & vt pares sint tempore, qui fiunt pares & Iure. Vide *d. vers. Unde sancimus*.

α *Vide cap. prox. sup.*
β *Adde quæ ego in prælect. ad Rub. de Constit. & quæ sup. latius c. 225. & seq.*
γ *Sup. c. prox.*
δ *Ad l. cum tale. §. si arbitratu. ff. de condit. & dom Mantic. cum relatis de Coniect. lib. 11. tit. 19. n. 3. Sancb. de Matr. lib. 7. disp. 87. n. 19.*

Prætor an facere legem possit, vel hæredem. *Ad §. quos autem. Instit. de bon. poss.* Cap. CXLII.

1 *Lex perpetua est; Edictum Prætoris annuum.*
2 *Due leges contrariæ non possunt simul esse.*
3 *Prætoris in edicendo potestas.*
4 *Prætor vox Iuris Ciuilis.*
5 *Sex legum species, & gradus earum.*
6 *Prætor an operari aliquid posit ipso Iure suo.*
7 *Hæredis, & bonorum possessoris discrimen.*
8 *Dominium rerum, & personarum solius est legis.*
9 *Modi acquirendorum dominiorum ex Quiritium Iure qui.*
10 *Traditio fideicommissi an dominium conferat, & quale.*
11 *Prætor quatenus emendare legem possit.*
12 *Pacta ex iure Prætorio quomodo roborentur.*

NOn hercle potest legem condere, nam hæc perpetua esse debet, Edictum vero Prætoris vnius anni tempo-

pore concludebatur. § 1. *Inſtit. de perpet. & tempor. act.* Duæ etiam leges viciſsim contrariæ non poſſunt ſimul eſſe, ſed altera alteram abrogari oportet. § *penul. Inſtit. de Iu. nat. &c.* § *penul. C. de no. Cod. facien.* Non ita lex, & Prætoris Edictum, licet enim ſeruari iſtud debeat in exercitio Prætoriæ Iuriſdictionis, Ciuilis tamen diſpoſitio fir-
3 ma manet. Erat denique Prætoris officium non quaſi Legislatoris, aut Principis, ſed quaſi Iuſdicentis. *l. 1. ff. de Iuriſd. om. Iud.* eo tamen admiſſo, vt non tantũ ex lege ius diceret, verum, vt ſi in caſu aliquo iniqua lex fieret (vt accidit ſæpe mutatis rerum circumſtantijs) poſſet, non quidem abrogare legem, atque ei nouam ſubrogare, ſed supplere aliquid, vel corrigere, (quod eſt addere, aut detrahere) in quantum æquitas poſtularet, & communis vtilitas. *l. 7. ff. de Iuſt. & Iu.*

Ergo non aliud Prætor facit, quam, quod faceret lex, cũ æquitas ſit ipſa lex. [a] ſupplendo enim, corrigendoque, *d. l.* 7. ore ipſo loquitur legis. Hinc perbelle Martian. *in l. 8.*
4 *ff. de Iuſt. & Iu. Nam & ipſum Ius honorarium* (inquit) *viua vox eſt Iuris Ciuilis*. Viua vox, quia *lex loquens* ex Tull. & *ius animatum viuum* ex Ariſt. vt e contrario lex dicitur *Prætor mutus, & tacitus*, nec ſecus, ac dixerit de Epiſtola Epictetus, quæ Nuncius quidam tacitus eſt, Nuncius autem e conuerſo Epiſtola loquens. [b] Sed & ſubſequi Prætor dicitur Ius Ciuile. *l. ſcio. ff. de Teſtib.* vnde & Iuris Ciuilis cuſtos a lege 12. Tab. & quaſi pædagogus appellatus.

5 Sex legum ſpecies (ſic appellauerim) refert Iuſtin. *in* §. *conſtat. Inſtit. de Iu. nat.* quibus quaſi compactum Ius Ci-

uile eſt, & ipſæ quidem ſupplente Principe, quod deerat, *omnia enim noſtra facimus, &c. l. 1. §. omnia. C. de Vet. Iu. enucl.* Sed obſerua, ſi libet, ſingularum gradus. Prima fuit populi, penes quem ſupremum erat Imperium; vera igitur lex. §. *lex. Inſtit. de Iu. nat.* Secunda plebis, ſed non ante lex, quam voluiſſet Hortenſius Dictator, ſeu alius quiſpiam ex Liuio. §. *plebs autem. Inſtit. eod.* Tertia Senatus, qui tamen ageret vice populi, non ſua. §. *ſenatus conſultum. Inſtit. eod.* Quarta Imperatoris, ſeu Principis, ſed poſt legem Regiam. §. *Sed, & quod Principi. Inſtit. eod. l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* Quinta Prætoris, quæ tamen valde declinarit, quaſi quæ addere, vel minuere ſolum poſſet ex æquitate, communique vtilitate. *d. l.* 7. & hæc quidem interdum lex dicta. *l. 1. ff. vnde Cog.* ſed non vere. Vltima prudentum, & quidem infimi gradus, cum nihil ſupplere, aut corrigere poſſent hi, ſed ſimpliciter Ius interpretari. §. *reſponſa prudentum. Inſtit. eod.*

Habes, quid ſentiendum tibi de Prætore ſit, cui nec licuit hæredem facere. *d.* §. *quos autem. Quos autem* (inquit Iuſtin.) *ſolus vocat Prætor ad hæreditatem, hæredes quidem ipſo Iure non fiunt, nam Prætor hæredem facere non poteſt, per legem. n. tantum, vel ſimilem Iuris conſtitutionem hæredes fiunt, veluti per Senatus conſulta, & conſtitutiones principales. Sed cum eis Prætor dat bonorum poſſeſſionem, loco hæredum conſtituuntur, & vocantur bonorum poſſeſſores.*

Deſudant hic omnes, cum plura facere potuerit Prætor quæ valerent ipſo Iure, ipſo (inquam) Iure Prætorio.

l. 3.

l. 3. §. a Municipibus. vers. sed si nemo. ff. de bon. poss. l. 1. §. ad eos. ff. ad l. Falc. iun. l. lineam Margaritarum. ff. eod. l. facta. §. si sub conditione. ibi, sufficit Edictum. ff. ad Trebell. l. quæ sub conditione. vers. voluit. ff. de condit. Instit. l. de pupillo. §. si is, cui. ff. de No. op. nunc.

Verior ratio videri poterat, ✓ quia hæres dicitur quasi *herus*, hoc est, quasi Dominus. Et quidem tum hæres dominium nanciscitur, tum bonorum possessor. *l. 1. ff. de bon. poss.* eo temen discrimine, quod hæres ipso Iure, hic facto Prætoris; quod sic rursus declaro. Dominium acquiritur, vel per modos a Iure Ciuili inuentos, vt infra, vel traditione, & facto hominis, potest itaque, quod Iuris Ciuilis est, ipso Iure obuenire, sed extra causam Iuris Ciuilis opus est traditione. Quia ergo Prætor non potuit condere legem, proinde nec conferre dominium valuit ipso Iure, vnde conferre debuit media bonorum possessione, & quasi facto traditionis; & sic verum est, Prętorem non posse facere hæredem.

Exemplis suadebitur, quod dico. Hæres, vel suus est, vel extraneus. Suus, vel testamento hæres fiat, vel iure legitimo, semper ipso Iure hæres est, quod certum. Extraneus, vel testamento instituatur, vel ab intestato succedat, per se ipsum hæres effici potest, vel aditione, quæ fit sola declaratione animi, vel gestione pro hærede, & sic extra Iudicium vtique. Bonorum possessor non sic. Ecce enim Emancipatus, cui Prætor succurit per bonorum possessionem, non per se, aut ipso iure hæres fit, idest, non eo ipso, quo voluntatem suam declarat, dominium nanciscitur bonorum hæreditariorum, sed opus

ei est adire Prætorem intra tempus præfinitum, & coram eo bonorum possessionem petere, atque agnoscere. Immo, dum bonorum possessionem petit, non dominium bonorum statim consequitur, sed ius persequendi, vel retinendi bona. *l. 2. ff. de bon. poss.*[d]
Cum hac ipsa explicatione consentire videntur Galli Interpretes inter quos Cuiac.[e] Docent hi, Prætorem non
8 posse facere dominum, atque adeo neque hæredem, quia dominium tum rerum, tum personarum solius est legis. Scribit Vlp. *tit. 19. Instit.* sex modis acquiri posse dominia rerum ex Quiritium iure, videlicet *traditione*
9 (intellige, si causa præcedat, quæ eidem Iuri probetur) *mancipatione, cessione in Iure, vsucapione, adiudicatione, & lege.* Lege (inquit) hoc est, vera lege, non Edicto,
10 aut facto Prætoris; nam si tradatur alicui res ex causa fideicommissi, negat Iulian. in *l. 3. ff. si Vsufr. pet.* acquiri dominium lege, hoc est, Iure Quiritium, quia Fideicommissa non agnoscebantur eo Iure. *§. 1. Instit. de Codicill.* dominium itaque, quod *bonitarium* Iuniores appellarunt *l. facta. in princ. ff. ad Trebell.*
Et cum eadem hac explicatione conuenit Alciat. quoque in Parerg.[f] Prætor (inquit) ideo facere hæredem non potest, quia, vel eos vocat, qui alias vocantur a Iure Ciuili, & hi quidem fiunt hæredes beneficio Iuris Ciuilis, non Prætorij; Aut vocat eos, qui non sunt a Iure Ciuili vocati, veluti Emancipatos, & tunc istos facere hæredes non potest, quia lex Ciuilis iam alijs detulit hæreditatē, & sic de dominio bonorum hæreditariorum fuit iam a lege prouisum per delationem, nec potest Prætor iubere,

vt ad Emancipatos deferatur ſucceſſio ipſo Iure Edictali ſuo, quin ante prohibeat, ne deferatur alijs ſucceſſio ipſo Iure Quiritiario, vel Ciuili, hoc autem eſſet abrogare legem Ciuilem, quod Prætor facere non poteſt. Denique effici illud vix, ac ne vix quidem poteſt, vt dum lex Ciuilis ipſo Iure aliquid operatur, poſſit lex Prætoria ipſo Iure contrarium operari, nam duæ hæ operationes, quæ ipſo iure fiunt, ſe inuicem præpediunt.

Hæc illi, quibus ſi quid obſtare adhuc videatur ex ijs, quę
11 ipſo Iure facere Prætor valet, vnum addo pro coronide, videlicet non poſſe Prætorem emendare Ius Ciuile, niſi quid de hac re poſtulet communis vtilitas. *d.l.7. ff. de Iuſt. & Iu.* Agere itaque Prætorem quandoque ipſo Iure, ſi ſic expediat communi bono, quandoque de facto, *vt hic*,
12 *& l. ſi vnus. §. pactus, ne peteret. ff. de Pact.* vbi non ipſo Iure pacta valere iubet Prætor, quod poteſt, ſed edicit, ſeruaturum ſe. [η] Et quia Prætor debet minus Ciuili Iuri addere, vel detrahere, quam poſsit, nec plus, quam poſtulet publica vtilitas, vtique quod non fecit in bonorum poſseſsione, aut pacto, non hærcle potuit, vt ſic verum ſit, quod ait Iuſtin. *in d. §. quos autem.* Prętorem non poſſe facere hæredem.

α *Dixi ſup. c. 2. & 3.*
β *Vide Cuiac. Fab. & alios d. l. 7. ff. de Iuſt. & Iu.*
γ *Vide Oſual. ad Donel Comm. Iu. Ciu lib. 7. c. 14. cum alleg. Explicat Vult. in princ. Inſtit. de bon. poſſ.*
ε *d. §. quos autem. Ant. Fab. in ſua Papin. Iuriſpr. ad tit. de Iure nat. & alij quos refert And. Fach. contr. lib. 13. c. 29. quibus adde Vult. ſup.*
ζ *lib. 3. c. 3.*
η *Vide ſup. c. 298.*

Doctorum, ac militum de prælatione contentio in apertum ducitur, & ad praxim componitur. *Ad l. 1. C. de Profess. qui in Vrbe Constant. lib. 12.* Cap. CXLIII.

1 *Cassanæi ad fauorem militum obseruatio.*
2 *Imperator militem se nominat.*
3 *Doctoratus dignitas est, militia munus.*
4 *Insigna Doctorum, & tituli.*
5 *Doctor Comes efficitur, & Dux.*
6 *Et quæ eius Iurisdictio.*
7 *Doctoris simplicis cum pari milite collatio.*
8 *Armorum, ac literarum præeminentia controuertitur.*
9 *Princeps cur se militem scribat, non Doctorem.*

DOctorum, Militumque peruetus de prælatione contentio est, [a] sed quæ inutilibus sæpe vertitur argumētis, nam vltro, citroque Doctorum, militumque honores, prærogatiuæ, tituli, ac priuilegia referuntur, quæ eos veneratione quidem dignos probent, sed non prælatione. Cumque Doctoratus, ac militię diuersi sint ordines, & gradus, eos tamen sic confundunt nostri Interpretes, vt Doctorum, ac militum paritatem non ante constituāt, quam disputationis campum ingrediantur.

1 Obseruat Cassanæus, [b] in cunctis pene locis Iuris Ciuilis, vbi de armis, & legibus mentio est, semper arma præferri, nec tantum in Diuorum Principum legibus *vt in proem. Instit. l. 1. in princ. C. de Iustin. Cod. confir. l. 1. l. tanta. C. de Vet. iu. enucl.* sed & Iurisconsultorum. *l. his oneribus.* ibi, *& militi, & liberalium artium professo-*

ri-

ribus. ff. de Vacat.mun. propterea credit, in doctoreis actibus præferendos vtique Doctores esse. *l. nemo Clericus, vel militaris. C. de sum. Trinit.* in militaribus milites. *l. in Ciuilibus. C. de Off. Vicar.* in promiscuis vero, & neutralibus primum locum fore militum, vbique tamen cæteris paribus. Alij contra; in promiscuis namque, & neutralibus Doctores præponunt, vt sic primus locus Doctorũ sit, qui ad latus sunt Principis; alter Militum, qui itidem ad latus militãt Imperatoris, vel in equestri sunt dignitate; tertius Doctorum, qui ad latus quidem nõ sunt Principis, sed valde excellunt; quartus militum, qui nullo præfulgent honore; vltimus Doctorũ, quos in imo gradu positos Doctorellos vocant. Et hæc probant quidem, sed non valde idoneis legum argumentis.

Pro Cassanæo est Tull. pro Murena (ęstimo quasi orator) ibi vero potissimum. *Multo plus affert dignitatis rei militaris, quam Iuris Ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas, ille, vt eo, quo intendit, mature cũ exercitu perueniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem insticuis, ille aciem instruit. Tu caues, ne tui consultores, ille ne Vrbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, vt hostium copiæ, tu, vt aquæ pluuiæ arceãtur. Ille exercitatus est in finibus propagandis, tu in regendis.* Et deinceps, quod ad rem magis. *Duæ sunt artes, quæ hominẽ locare possunt in amplissimo gradu dignitatis, vna Imperatoris, altera Oratoris boni, ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur.* Sic res militaris propria est Imperatoris, qui in immensum distat ab
2 Oratore, propptereaque se Imperator militem scribit *in l.*

1. *ff. de test. milit.* nullibi vero Doctorem. Quin, cum Iuris Ciuilis gloriam postposuisset Orator, iungit generaliter, *cæteris quoque virtutibus rei militaris virtutem præstare*, quod & argumentis probat.

Sed quorsum deinceps illud.

Cedant arma Togæ, concedat laurea linguæ?

3 Doctoratum a se ipso dignitatem esse, militiam vero munus, receptissima est nostrorum ferme omnium, & (quod opinor) satis aperta sententia. Vide scripta *ad c. quanto.*
4 *de Magistr.* Insignia sunt Doctoralis dignitatis consueta liber, anulus, diadema, ob quæ Doctores Illustrium sępe, & Clarissimorum titulis condecorati, ijdemque celsi, nobiles, honorati, Principum Patres, &c. appellati. Quin
5 & Duces fiunt, & comites, adeoque dignitate spectabiles, si docuerint per annos 20. *d.l.1.C.de profess.&c.* cum tamen spectabiles effici non possint, quin antea fuerint in inferiori Clarissimatus dignitate. *l. vt gradatim. ff. de Mu-*
6 *ner. & honor. l. quæ vtiliter. in princ. ff. de neg. gest.* Nec doctoreo muneri sua abest Iurisdictio. *Auth. habita. C. ne Fil. pro pat. §. vlt. 1. constit. Cod.* sine qua, vel dignitas non esset, vel vmbra esset dignitatis. Miles autem a se ipso dignitatem habere non dicitur. *l. vlt. C. qui milit. non poss. lib.* 12. sed munus.

Obijcies, dignitatem Comitis non cuilibet Doctori collatam, sed professori per annos viginti. *d.l.1.*

Veniant, precor, hi, quorum interest, & propriam ipsi causam tueantur, si licet, mihi enim legentium partes sustinuisse sat est.

7 Sed neque illos quidem deseruisse oportet. Sit simplex

Do-

Doctor, simplexque, ac purus miles, qui de prælatione contendant, quæ, obsecro, ostenderit miles suæ honestatis insignia? aut quid Doctoreis infulis apte conferet? Pudet sane referre eos, qui potuerint olim semper, & nunc quoque posſint militare. Illud satis, prohiberi Doctorē, ne vile aliquid administret in vilipendium gradus, & honoris. *l. ne quis ex corpore. cum not. C. de Adu. diuers. Iudic.* nihilque omnino esse, quod purum dedeceat militē, cum, & libertini militare posſint, & serui. [d] Sed & illud simplex Doctor bene allegauerit, priuilegia omnia, quę Militibus concessa sint, Doctoribus quoque, si conuenientia sint, dari, non contra. [e]

8 Valet hic peruetus de armorum, aut literarum præeminentia Philosophorum conflictus, quem eo modo dirimit Franc. Picol. [f] vt contemplatio absolute præsit actioni, Reip. administratio Ducibus Militiæ, adeoque, vt arma togę, toga vero contemplationi cedat. Rationem vero ordinis perspicuam esse, cum munus sit contemplationis cognitio veri, hæc autem dirigere actiones debeat, & componere, a quibus ars ipsa militaris regitur, quibusque inseruit, quippe quæ Reip. pacem, incolumitatemque pro fine habet. Addit Picol. distinctiones, quibus aduersa omnia repellantur, & potisſimum quæ a Tull. [a] Nam si maiorem concesserimus armorum, quam literarum necesſitatem, siue vtilitatem, non inde tamen maior aliqua nobilitas satis arguetur, si attentius consideraverimus, quid sit ex se, & absolute præstantius; quare & Plato (inquit) & Arist. artem militarem Ciuili subiecere.

9 Enimuero Princeps se militem inscribit quidem, sed in his,

his, quæ ad militiam pertinent, se ipsum dirigit, sibique ipsi imperat. Ante ergo Philosophus, quam Miles. Se vero militem appellat, non vt eminentiori, sed vt manifestiori, magisque populari, &, qui suos plus excitet Cõmilitones, titulo se ostendat.

α *Vide scripta ad l. Centurio. ff. de Vulg & quæ fusius per duas integras tractationes Christophr. Lanfranchin. Veronen. et Signorel. Homedæus cum addit. Ludou. Bolognini.*
β *Catal. gloriæ Mun. par. 9 consid. 1.*
γ *Gl. ad l. 1. C. de Equ. dign.*
δ *Lanfranch. sup. n. 38.*
ε *Lud. sup. n. 58.*
ζ *De Morib. gradu. 8. 6. 22.*
η *Sup. pro Murena.*

De pœna Calumniatoris, & similitudine supplicij, hoc est, retaliatione, & an iusta retaliationis pœna fuerit. *Ad l. vlt. §. 1. C. de Accus.* Cap. CXLIV.

1 *Calumniari quid.*
2 *De pœna calumniantis distinctio.*
3 *Pœna talionis quando, aut quibus infligenda.*
4 *Et cur in vsu esse desierit.*
5 *Et an iusta sit.*

1 CAlumniator est, qui falsum obijcit crimen. *l. 3. in princ. ff. ad Turpill.* Hunc Glosator [α] docet in Ciuili
2 negocio, nunc sacramento calumniæ, nunc pecuniaria pœna, nunc infamiæ nota coerceri. *Instit. de pæn. tem. litig. per tot. §. si quis agens. eod. de Act. l. vna. C. de plus petit. l properandum. §. & si quidem. C. de Iudic.* Esse tamen quod emendari posit, Siluester [β] docet. In criminibus vero, seu ordinaria ea sint, seu extraordinaria, calumniatorem puniendum credit similitudine supplicij, *vt d. l. vlt.*

vlt. §. 1. h.v. *Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in Iudicium veniat, nomen Rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem (habita tamen dignitatis æstimatione) patiatur, nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij.* Adde *l. vlt. C. de Calumn.*

Similitudo supplicij talionis pœna est. Sentit vero Silue-
3 ster ex Bart. emendandum hic quoque esse, quod Glossator docet, vt in criminibus, quorum certa, statutaque aliqua pœna est, calumniator *similitudine supplicij*, hoc est *retaliatione* (quæ vulgo *Rhadamantæum iudicium* dicitur, a Theologis *contrapassum*, puniatur. *d l. vlt. §. 1. C. de accus. d. l. vlt. C de Calum.* in ijs vero, quæ extraordinariã pœnam habent, arbitrio Iudicis pœna infligatur. *l. & in priuatis. ff. ad Turpill.*

Hodie Calumniator sub arbitrio est Iudicis, quia nulla
4 hodie talionis pœna. *h pæna. Instit. de Iniur.* forte ob incõmodum rependendæ pœnæ, & difficultatem retaliationis, vti Sextus Cęcilius apud Gell. [y] latius edisserit. Iungere possis, ne talionis metus Accusatores absterreat, quos publice interest pręmijs allici, quo minus delinquẽtes impune abeant, quis enim accusare nõ desistat, dũ calũnię notam pertimescit, si forte succumbat? Calumniatorem denique extra ordinem hodie, & arbitratu Iudicis puniẽdum, magis creditum. [a]

An autem iusta sit, iniusta ve pœna talionis, quæsitum.
5 At equidem iniusta videri nequaquam potest, cum, & Mosayca lege comprobetur. *Exo.* 21. & duodecim tabulis. *d. §. pæna.* & Principum constitutionibus. *dd. ll.* &

Py-

Pythagoreorum ſchola,[ε] & illuſtrium virorum exemplis.[ζ]De ea vero ſic cecinit Heſiod.

Lex recta eſt, cum quis patitur, quæ fecerit ipſe.

Quin neque eam Chriſtus reiecit quidem, licet, vt benigne remitteretur, ſuaſerit.[η] Et quamuis iniuſtam non crediderit, omnino tamen, & vſquequaque iuſtam credere eam non potuit Ariſt.[θ] vti nec D. Thom.[ι] interdū enim fieret, vt delicto pœna non conueniret. Ecce enim, ſi Magiſtratus vilem percuſſerit, repercuti magiſtratum indecorum eſt, ſique percuſſerit homuncio virum Principem, impune propemodum ferre percuſſor videretur, ſi tantum repercuteretur, neque aliam præterea pœnam ſuſtineret.[κ]

α *In proem. Inſtit. ver. per legitimos.*
β *Ibid.*
γ *Lib. 20. c. 1.*
δ *Menoch. poſt Cuiac. & alios de Arbitr. Iud. c. 322.*
ε *Vide Alciat. lib. 9. parerg. c. 20.*
ζ *Menoch. ſup. n. 2.*
η *Couarr. Variar. lib. 2. c. 9. n. 1.*
θ *Lib. 5. Ethic. c. 5.*
ι *2. 2. q. 61. art. 4.*
κ *Alciat. Couarr. & alij ſup.*

Iuſtinianæi Codicis hiſtoria veritatis ſuæ luce repurgatur, & qui *verſus* penes antiquos, &c. *Ad proem. Inſtit. & l. 1. C. de vet. Iu. enucl. &c.* Cap. CXLV.

1 *Ius Ciuile olim confuſum.*
2 *Conſtitutionum tres olim Codices,*
3 *Quo tempore editus primus Codex Iuſtinianæus.*
4 *Immenſa veteris prudentiæ volumina.*
5 *Verſus apud Veteres qui.*

6 *De secundo Cod. Iustin. plura.*
7 *Et cur a Iustiniano factus priore abolito.*
8 *Pandectarum leges constitutionibus Codicis non abrogari.*

1 INnumera ante Iustinianum fuere ciuilium legum Cõmentaria, quibus in tantum excreuerat Romanum ius, vt confusum ferme esset, aut desperatum potius. Erãt & constitutiones plurimæ, quæ aut similes, aut contrariæ, aut superuacaneæ, aut inutiles, aut desuetudine abrogatæ. Vide *l. 1. & 2. C. de vet. iu. enucl. l. 1. 2. & 3. C. de no. C. fac.* Talis denique Romana erat Iurisprudentia, vt, cum eam dirigere Iustinianus vellet, ac repurgare, verissime dixerit, se per medium quasi profundum iuisse.[a]

2 A sacratissimis autem Constitutionibus exordium fuit. Erant illæ ad Iustinianum vsque in tres Codices dispersæ Gregorianum, Hermogenianum, & Theodosianum, post quos aliæ quoque erant a Theodosio Principe, alijsque Imperatoribus, & ab ipso Iustiniano editæ. Vide *l. 1. in princ. C. de no. Cod. Fac.* Hos itaq; Codices primo aggressus Imperator, nec non recentiores editas constitutiones, omnes in vnum Codicem redegit, agentibus viris doctissimis Ioanne, Leontio, Phoca, Basilide, Thoma, Tribuniano, Constantino, Theophilo, Dioscoro, & Præsentino, de quibus *d. l. 1. § 1. l. 1. C. de Iustin. Cod. conf.* & hunc voluit, prioribus abolitis, omnem Iuris potestatem habere.

3 Quo vero tempore Iustinanæus iste Codex fuerit editus, variarunt Scribentes teste Forstero;[b] qui pluriũ testimonijs factum id reputat anno Christi 529. Indict. 7. April.

17. ex ead. *l. 1. C. de Iustin. Cod. confir. & l. 1. C. de no. Cod. fac.* Refert tamen, dissensisse Myns. [y] quoad annum, Hotom. [d] quoad Indictionem, Baro. [e] quoad mensem, Contium [ζ] quoad diem. Nouissime Giphan. [η] in sua breui notatione temporum docet accuratius, Iustinianum secundo Consulem mandasse, vt Codex componeretur idib. Febr. 528. compositum vero sequenti anno promulgasse Decio Cos.

Exacto primo isto Codice, ad Pandectas itum, seu digesta, quæ anno 530. componi iussa, & anno 533. vna cum Instit. absoluta, ac promulgata, & hæ quidem Calend. Decemb. illa 17. Cal. Ianuar. Vide *l. 1. & 2. C. de Vet. iu. enucl.* & quæ Giphan. plene. [3]

4 Immensa fuisse Iurisconsultorum, veterisque prudentiæ volumina, refert Imp. in *proem. Instit.* qui itidem in *præfat. Digest.* prudentiam illam veterem repetijsse se dicit ab Vrbe condita per annos 1400. Sed Balduin. [ι] suspicatur, locum esse corruptum, cum ab Vrbe condita ad Imperium Iustiniani non interfuerint nisi anni 1240. si verius tempora supputentur. Quicquid sit, duo millia librorum circiter, & tricies centena millia versuum, hoc est, librorum duo millia, qui tricies centena millia versuũ continerẽt, & legenda fuisse, & perquirenda nõ semel docet Iustin. *in l. 2. §. omnia igitur. uers. postea uero. C. de Vet. Iur. enucl. & in præfat. ad Digest. Cod. & Instit. vers. Pijs igitur, & alibi,* per Duaren. [κ] Hunc itaque fuisse Veterũ

5 morem, vt bonorum librorum versus numerarent, ac describerent, & hos quidem versus non lineas fuisse, sed membra Orationis integra, aut periodos, quæ Hierony.

ver-

versuum cola appellat, recte docet Duaren.[λ] Diogenis Laertij, Plinij, & Galeni authoritatibus. Vide Forster.[μ] cum relatis. Et fortaſse verſus, & periodi hi ſunt, quos *paragraphos* hodie dicimus.

6 Poſt editas Inſtitutiones, & Pandectas, anterior ille, quē dixi, Codex emendatus, atque abolitus, alio, quo hodie vtimur, ſubſtituto. *t.t.C. de Emend. Cod. Iuſtin.* Cū enim poſt editum primum Codicem complures Iuſtinianus conſtitutiones emiſiſset, quæ extra illius corpus diuagabantur, cumque ex eodem primo edito elimanda, mutanda, detrahendaque multa eſsent, hoc primum Tribuniano opus, deinceps Dorothæo, Mennæ, Conſtantino, Ioannique demandatum, *permiſſumque ijsdem* (ait Imp.) *conſtitutiones ſuperfluas, vel ex poſterioribus Iuſtiniani ſanctionibus iam vacuatas, vel, ſi quæ ſimiles, aut cōtrariæ viderentur, circumducere, & a proprij Codicis congregatione ſeparare, & tam imperfectas replere, quam nocte obſcuritatis obductas noua elimationis luce detegere, vt vndique non ſolum Inſtitutionum, & Digeſtorum via dilucida, & aperta pateat, ſed etiam Conſtitutionum noui Codicis plenum iubar omnibus clareat, nulla penitus, nec ſimili, nec diuerſa, nec inuſitata relicta conſtitutione.* Hæc ille *d.tit.*

7 Giphan.[ν] ſecūdā hanc editionē, emēdationeq́; Codicis factā eſse maxime ob Pandectarū ante editarū cauſam cēſet; cum etenim in Pandectis componendis veterū prudentum reſponſa, diſputationesque ſibi mutuo contrariantes dirimendæ eſsent, ac definiendæ, obſoletaque plurima ex eorum libris expungenda, cœpiſse Iuſtinianū nouas quaſdam conſtitutiones poſt ſuum illum Codicē

iam

iam ante editum diuulgare, quibus partim vetera quædam Iura abrogarentur, vt S.C. Pegasianum, Lex Papia, Lex Fusia Caninia, Edictum Adriani, Actio rei vxorię, Edictum de Alterutro, & alia.[δ] partim controuersa Iurisconsultorum iura deciderentur. Quin aliquot Constitutiones in ipso Codice prius edito fuisse hac Digestorum occasione sublatas, emendatasque, *vt d.tit.ver. po-*
8 *stea. & seq.* Hinc bene ęstimat, Pandectarum leges Cõstitutionibus Codicis non abrogari, cum in pręlaudatis verbis non obscure doceat Imp. institutiones, Codicem, & Pandectas inter se consentire, quod not. Quęstionẽ fusius extensam eidem Giphanio linquo, & ad nouum Codicem redeo, quem ille edocet in breui sua illa temporum notatione, fuisse Iustiniano IIII Cos. emendatũ denuoque 16. Cal. Decemb. abolito priore editum, vt *d.tit.de Emend.Cod.*

Hęc cum audieris, mirum non videbitur, si in nouo hoc Codice, quo vtimur, Iustinianus aliquoties Institutionũ ante editarum mentionem fecerit, vt *l.meminimus.* §. *quã Constitutionem.C.de legit hæred.* contra vero in eisdem Institutionum libris non semel constitutionum meminerit quas in suo Codice referat extare, cum nihilo magis extent, vt §.*legatarijs.Instit. de testam.ordin.*§.*sed nec huiusmodi.Instit de leg.* cum enim alter ante editas institutiones, alter post easdem prouulgatas compositus Codex fuerit, potuerunt & in posteriori Codice Institutiones, & in Institutionibus prior Codex allegari.[π]

α *Adde quæ Duar. de inscript.Pand.*
β *in Proem.Institut.*
γ *Ibid.*

δ *Ibid.*

δ *Ibid.*
ε *50. decis.*
ζ *In Chronol.*
η *In proem. Instit.*
θ *Ibid.*
ι *Ibid.*
κ *Disput. lib. 2. c. 6.*
λ *Ibid.*
μ *proem. Instit. n. 11.*
ν *præfat. speciali ad ll. Cod.*
ξ *Vide Baron præfat. ad Digest.*
ο *Adde Alciat. Parerg. lib. 6. c. 14.*
π *Vide Minsing. in proem. Instit.*

Quęstoris nomen a sui principio quam longe, lateque diuerterit, diligenter explicatum ad *l. vlt. C. de diuer. rescrip.* Cap. CXLVI.

1 *Quæstoris prærogatiua olim.*
2 *Cui penes Gallos Cancellarius comparatus.*
3 *Quæstor Candidatus quis.*
4 *Tribuniani penes Iustinianum munia.*
5 *Latercula quæ olim.*
6 *Quæstor Vrbanus.*
7 *Quæstor ærarius.*
8 *Quæstor Prouincialis.*
9 *Quæstor Parricus.*

1 ERat Quęstor post Principem magnus, qui Principis responsa, & rescripta dictabat. *d. l. vlt.* omniaque Ciuilia negocia administrabat, vt & hodie penes Gallos
2 Cancellarius, vide Balduin. α & de Cancellario hęc penes Budę.β *Cancellariatus summum est hodie honorum fastigium, vltra quod nihil sperare licet omni togato, quasique quoddam summa quæque ambientis animi solstitium; cuius ore facundi Reges moribus nostris esse solent; cuius oculis omnia circumspiciuntur, cuius auribus plenam, ac iustam operam postulatoribus dare dicuntur.* Hæc iste, referente Bulen. γ qui rursus de Cancellario hæc. *Cancellarij par-*

tes ſunt videre, ne qua Principis conſtitutio, ne qua Sanctio ne quod diploma, vel reſcriptum, ne qui Codicilli Regij non e Repub. atque etiam e dignitate Reip. aut Principis exeat, cuius cenſuræ, ac ſtylo Principum Maieſtas acta ſua eximi nunquã voluit. Denique, qui præſentis Principis Vicarius, & Principe peregre agente Interrex quodammodo eſſe cenſetur, iure, ac proprie nomophylax, legum præſidium, iuris aſylum, morum, inſtitutorumque veterum ara, æqui, bonique columen appellari poteſt. Tranſcribo libenter, cum non aptius vetuſti quæſtoris imago delineari poſſit, quam ſi Cancellarium hunc Galli Regis diligenter intueamur, vt & Aldobr. tradidit ad Accurſ. ♪

3 Hic olim Summi Principis *quæſtor candidatus* (vel ab ingreſſu, & quaſi primordio honoris, quod non creditur, vel a candore veſtis integritatis indicio) nuncupatus. *l. 1. in fi. ff. de off. quæſt. Quidam* (inquit Vlp.) *ſunt, qui Candidati Principis dicebantur, quique Epiſtolas eius in Senatu legunt*. Memorant, Candidatos Principum Quæſtores fuiſſe ab Auguſto primum introductos, vt Senatus decreta cuſtodirent authore Dione, ‹ mox Epiſtolas Principis, & acta in Senatu recitaſſe; vnde Tacit. ¿*Oratio* (inquit) *Principis per Quæſtorem eius audita eſt*. hinc ore Principis Quæſtorem, & ore Quæſtoris Principem loqui dictum. Demum cum Præfectis ſacri Comitatus, ſiue Curiæ iudicaſſe Quæſtores de Appellationibus, quæ ab omnibus ſpectabilibus Iudicibus in ſacrum Principis Auditorium inferrentur, ob idque ſacrorum Iudiciorum Pręſides nũcupatos. *l. præcipimus. C. de Appell.*

4 Tribunianum ſcribit Procopius " fuiſſe Imperatoris Iuſtiniani paredrum, hoc

eſt,

est, assessorem (quem Magistratum Romani *Quæstorem*, Latini *Iurisconsultum* vocant) quod leges, edictaq; componeret, mandata Pręsidibus danda formaret, quę maiori laterculo inferri iuberet, rescripta, quibus causæ delegarentur, dictaret, subscriberetque. Quin nec valuisse Principum rescripta, nisi subscripta a Quæstore essent, satis ex Iustiniano docent Balduin. & Bulen., qui de Quæstore plenius. Et vide *Auth. vt diuinæ Iuss.* &c.

5 Cuiacius docet, quæstori leges, ac preces, & laterculū minus contigisse. Laterculum alij Codicem fuisse volunt, ex eo dictum opinantes, quod in eo laterent secretiora. Alij non Codicem, sed Quadrum; quod sacri Laterculi essent scrinia quatuor, memoriæ, Epistolarum, Libellorum, dispositionumque. Erat vero Laterculum duplex, alterum maius, quod apud Principem seruabatur sub cura Primicerij Notariorum, in quo Ciuiles, & maiores Magistratus descripti essent. *l. 1. C. de off. Præf. Prat. Afr.* Alterum minus, quod sub cura erat, & sollicitudine Quęstoris, in quo Pręfecturę, Tribunatus omnes & præposituræ Castrorum. *l. 1. & 2. C. de off. quæst.* Vide Bulen.

6 Miraberis, Quęstoris nomen a sui principio tam longe, lateque diuertisse. Fuere enim primo Quęstores Vrbani, siue ęrarij authore Tullo Hostilio in eam causam instituti, vt ęrarium curarent, pecunias publicas quęrerent, quęsitas, acceptasque, & expensas in publicas tabulas referrent. *Quæstores* dixere veteres, quasi *Quæsitores*; hos nunc ratiociniorum Pęfectos vulgo *Camarlingos* appellamus. Ab his non longe absunt Quęstores ij, quorum est

pro emendatione delictorum mulctas exigere, emendarumque proinde, hoc est, mulctarum receptores nuncupantur; vulgo *Camarlingi Fiscales*. Tacit.[μ] *Ne mulctam a Tribunis dictam Quæstores ærarij in publicas tabulas*
8 *ante quatuor menses referrent*; nam & ipsi quoque ęrarij quęstores dicti. Erant & quęstores Prouinciales, qui vna cum Proconsulibus, aut Proprætoribus in Prouincias exibant, cum pecuniam sibi ex ęrario a Senatu attributam, & a Tribunis ęrarij adnumeratam accepissent, vnde stipendia Legatis, Proquęstoribus, cohorti Prętorię suppeditarent. Sed & alij inuecti in Remp. Quęsto-
9 res, qui *Parrici* nuncupati, seu *Parricidij*. Hi causis pręficiebantur rerum capitalium quasi earundem Quęsitores, nam *Paricidij* nomen generale est iuxta regiam Numę sanctionem. *Si quis hominem liberum dolo sciens neci duit, Parricida esto*. Tales sunt hodie maleficiorum Iudices, & nomen retinere videntur, qui iure Pontificio *Inquisitores* per Prouincias, & Vrbes emittuntur. Habes Quęstorum genus quadruplex, quęstorisque nomen valde inflexum. Vide Alex. ab Alex.[ν] qui plenius cum alleg.

α In proem. Instit.
β Ad tit. ff. de off. Procons.
γ De off. Regni Gall.
δ d. proem.
ε lib. 54.
ζ lib. 16.
η De bello Pers. lib. 1.
θ d. proem.
ι De Imp. lib. 3. c. 15.
κ In Notis.
λ sup. lib. 2. c. 12.
μ lib. 13.
ν Genial. dier. lib. 2. c. 2.

An, vel quibus *Exquæstor a quæstore* differat; Et an fixa sint hęc nomina, *Exquæstore*, & *Exconsule*. *Ad proem. Instit. Digest. & l. 2. C. de vet. Iu. enucl.* Cap. CXLVII.

1 *Tribanianus Exquæstor appellatus.*
2 *Thesaurarij generales qui.*

CVr Exquęstorem Tribunianum dixerit Iustinianus *in proem Instit.* non Quæstorem simpliciter, sæpius du-
1 bitatum.[a] Et communius responsum, eo tempore, quo Institutiones editæ, non quæstorem fuisse, sed Quæstorium, hoc enim significare pręposιtionem illam, *ex*, nomini adiunctam, vt Exquæstorem Quæstorium faciat, Exconsulem Consularem, hoc est, illum Quæstura, hũc Consulatu functum. Vide Crinit.[β] Isidor.[γ] &c.

Vt tamen a Crinito, & Isidoro discedat, his potissimum suadetur Alciat.[δ] Primo, quia nihil, vel scriptorum authoritate probant, vel ratione. Exinde, quia Iustinianus alibi Tribunianum nuncupat *Quæstoris* nomine. *l. maximum vitium. C. de liber. præter. §. dedititios. Instit. de Libertin.* Addunt *l. 1. C. de Vet. Iu. enucl. iuxta Pisanã lectionem cum proem. digest. §. primo quidem anno*. Postremo, quia *in d. l. 2. C. de vet. Iu. enucl.* idem Tribun. nunc *quæstor* dicitur, nunc *exquæstor*, quod ex autographo etiam græco confirmatur, vnde illa constitutio effecta est.

Sed prima ratio id ipsum, de quo quæritur, impetere videtur, nam dictionem, *ex*, Iustinianęis temporibus variasse, non ineptis rationibus conijcit Aldobr.[ε] Posterior nõ vrget, quia non semper Tribunianus Quæstor fuit, & fortasse eo tempore, quo Institutiones edebantur, e quęstore magister creatus vtrumque munus sustinebat. Sed neque vltima, nam semper *Exquæstor* dicitur *in d. l. 2.* atq; ita legendum ex emendatioribus libris monet Aldobr.[ζ]

Græcę autem dictionis acceptionem Gręcis relinquo.
Suspicatum vero se refert aliquando Alciat. vt *Exconsul* diceretur, qui consularem quidem dignitatem haberet, sed administratione carentem, & commodis, idque & iure, & authoritatibus. *l. petitionem. C. de Aduoc. diu. Iud.* Deinceps, re melius expensa, in eam se rediisse sententiã, vt idem sit Consul, atque Exconsul, Quæstor, atque Exquæstor, sed temporum vitio, quæ in barbariem dilapsa iam erant, hanc latini sermonis inductam corruptelã. [a]
Sunt & qui somniarint, fuisse Exquęstores quasi Quæstorum Principes, qui scilicet a Quæstoribus particularibus
2 rationes, pecuniasque acciperent, hodie *Thesaurarios generales* dictos, quasi, *ex*, præpositio non tantum priuantis esse soleat, sed & augentis. Sed hos refutat Aldobr.
Mihi communis expositio plus placet, & Exquæstorem pro Quæstorio, Exconsulem pro Consulari capio. Nam Exconsulem quoque Tribunianum vocat Imp. nec tamẽ consul erat Tribun. cum hæc edebantur; & satis constat, quinam dicantur *exconsulares* esse ex Arcad. & Honor. Impp. *in l. 3. C. de prox. sacr. Scrin. lib. 12.* ibi. *Huncque honorem dignitatis teneant, qui exconsularibus deferri consueuit. &c.*
An vero fixa, an (inquam) indeclinabilia sint duo hæc; *Exconsule*, & *Exquæstore*, dubitat Forster. [b] sed vulgaris res est.
Vtique, cum indeclinabilia non semel inueniãtur, plus constat, quod dicebatur, significari eos his nominibus, qui, vel Consulatu excessissent, vel Quæstura. *In d. procem. Instit.* indeclinabiliter scribuntur; cum enim regantur a ver-

verbo, *mandauimus*, dicendum fuerat, *Exquæstori*, atque *Exconsuli*, si declinarentur. Idem loquendi modus est *in d.l.2.C.de vet. Iu.enucl.uers.nos itaque.circa princ.*ibi.*Omne studium Tribuniano,&c. Exquæstore sacri Palatij nostri, & Exconsule credidimus*. Et infra. *Quæ omnia per virum excelsum, nec non prudentißimum Magistrum Exquæstore, & Exconsule Tribunianum,&c. Et in confir.digest. Quæ omnia confecta sunt per virum excelsum, &c.Exquæstore, & Exconsule Tribunianum*.

Sed contradicunt viri eruditi penes eundem Forster. quibus nec opus quidem fuerat, cum ipse in hac re Iustinianus variarit. Ait enim *in præfat. Digest. circa princ. Tribuniani illustrißimi Magistri, & Exquæstoris Palatij nostri, & Exconsulis subsidio freti*. Et infra. *Post Patricium, &c. & Leontium celeberrimum Expræfectum, Exconsulem, &c.*

α *Vide Alciat.lib.4.dispunct.c.3.*
β *De honest.discipl.lib.10.c.11.Isid.15. Etym.13.Omnes in proem.Instit.vbi Ferrar. Balduin.Gifan. Aldobr. Hotom Heig. Forster.cum alleg.*
γ *Ibid.*
δ *Ibid.sup.*
ε *Proem. Inst.*
ζ *Ibib.*
η *Consentit Mynsf.d.proem.*
θ *d.proem.n.12.*

An *constitutionis* nomine sola supremi Principis lex significari proprie videatur. *Ad l. 1.ff. de Constit. Princ.* Cap. CXLVIII.

1 *Constitutio, vel Edictum, quid.*
2 *Consuetudo partim scripta, partim non scripta.*
3 *Lex est constitutio scripta.*
4 *Constitutionis nomen latius diffusum.*
5 *Constitutionis appellatio Imperatoriæ legis propria, & quomodo.*
6 *Constitutionis nomen magistrale est.*

7 *Vsus loquendi magister.*

8 *Lex populi an per eminentiam lex dicatur.*

PRessius acceptum *Constitutionis* nomen supremi Principis legem designat penes Isidorum *in c.4. dist.2. Cõstitu-*
1 *tio* (inquit) *vel Edictum est, quod Rex, vel Imperator constituit, vel edicit.* Quidam legunt cum taxatiua. *Quod Rex, vel Imperator tantum constituit, vel edicit.* Percipis, proprie, & stricte Imperatoris legem *constitutionis* nomine appellari, Regis autem proprie *Edicti*, de quo nunc nihil proponimus. Habuit vero Isidorus, vnde eo modo definiret, nam & Iustin. *in §. sed & quod Principi. Instit. de Iu. natur.* de Principum placitis. *Hæ sunt* (ait) *quæ constitutiones appellantur.* Et Vlp. de ijsdem *in d.l. 1. Hæc sunt, quas vulgo constitutiones appellamus.*

Largius vero ducta Constitutionis appellatio ad omne Ius scriptum facile recurrit, vel supremi Principis illud sit, vel
2 inferioris. *c. consuetudo. §. cum itaque. 1. dist.* vbi Gratianus post Isidorum. *Apparet* (inquit) *quod consuetudo est partim redacta in scriptis, partim moribus tantum vtentium est reseruata. Quæ in scriptis redacta est, constitutio, siue Ius vocatur, &c.* Sic omne scriptum Ius constitutionis nomine appellatur. Quin & Isidor. *in c. lex. dist. 1.* definiens le-
3 gem quamlibet. *Lex* (inquit) *est constitutio scripta;* quasi vero constitutionis nomen generalius sit, quam ipsiusmet
4 legis, nec dubium, eo vsque diffundi, ac dilatari, vt & inferiorum quorumcumq; ordinationes suo ambitu contineat, veluti Legatorum, Canonicorum, Doctorum, Ciuium, &c. *c. vlt. de off. Leg. c. cum. M. cap. cum omnes*

cap.

cap. quæ in Ecclesiarum. cap. ex literis. de Constit.
Et hæc quidem resolutio frequens, vt Constitutio proprie
legem significet supremi Principis, hoc est, Imperatoris,
improprie vero leges alias qualisbet, seu decreta; nec pro-
fecto negare possumus, sibi nomen istud Imperatoriam
legem quasi peculiare, ac proprium vindicasse, & hic
5 procul dubio consensus omnium est, sed in modo discri-
men est. Alij enim Principis legem docent proprio no-
mine destitutam sibi nomen adsumpsisse sui generis, vt in
adoptione, cognatione, & alijs exemplis; alij per emi-
nentiam fuisse eidem legi nomen inditum; sic enim ap-
pellatione Iuris Ciuilis Ius Romanum significari, vt &
Poetæ nomine Virgilium, Homerum ve. §. *sed ius quidem
Ciuile. Instit. de Iu. nat. &c.*
Sed perperam vtrumque, ni fallor, nam sic loquitur Vlp.
Hæc sunt, quas vulgo constitutiones appellamus. Vulgo (in-
quit) nec tamen vulgare nomen adoptionis est, cum se
arrogationi non communicat, nec vulgare rursus, quod
per Eminentiam tribuitur alicui, vt Grammatici docent
6 cum Quintil.[a] Puto autem, constitutionis nomen, si pro-
prium esse debeat Imperatoriæ legis, inter ea, quæ ma-
gistralia sunt nomina, reijci oportere, & hoc esse, quod
Vlpian. ait, *vulgo*, maxime, cum hæc scripserit *in primo
suo libro Institutionū*, quæ elementa sunt Tyronum Iuris.
Cumque magistralis iste vsus inualuerit, *d.* §. *sed & quod
Principi*. sat dicere possumus, constitutionis nomen Di-
uorum Principum decretis proprie conuenire, est enim
7 præcipua in vocibus loquendi consuetudo, vt ille bene.[b]

----- *Si volet vsus,*

Quem

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi,[γ]

8 Nec recipio, quod plerique docent, etiam populi legem ſic eminenter appellari potuiſſe, vt ſola diceretur propriè lex, cuius exemplo exiſtimare liceat, legem Principis, qui inſtar nunc populi eſt, conſtitutionis nomen meruiſſe; Credo enim, legem populi nomen retinuiſſe, quod ante habuerat; quo enim tempore Populus Rom. in vnum coactus legem ſtatuebat, non erat aliud nomen proditū, quam *legis*. Succeſſere deinceps noua legum nomina, vt plebiſcita, Senatus conſulta, &c. de quibus Tribun. *in §. ſcriptum. Inſtit. de Iu. nat. &c.*

α *Inſtit. lib 8. c. 2. de perſpic.*
β *Horatius in Poet.*
γ *Sup. [cap.] ......*

An olim fabulis Iuriſprudentia diſceretur, & quæ iſtæ eſſent. *Ad d. proem. Inſtit. & l. 1. C. de anna. exc.*

Cap. CXLIX.

1 *Studentes fabulæ.*
2 *Olim diſciplinæ fabulis tradi ſolitæ.*

EXcitat Iuſtin. in *proem.* fabulas antiquas; nam & Caſſiodor. *Princeps* (ait) *ſententias prudentum a tuis fabulis exigebat.* Et Capitolinus in Gordianis. *Omnes tuas fabulas vendebat.* Et apud Spartianum, Symmachum, & Cy-
1 prianum *ſtudentes fabulæ*. Vide Cuiac. [α]
Notat Accurſ. [β] in antiquis Inſtitutionibus fabulas fuiſſe, quibus nec vera, nec veriſimilia continerentur authore Tull. [γ] Huic prope eſt, quod poſt alios ſuſpicabatur Aldo-
2 br. [δ] antiquas fabulas fuiſſe prima illa Iuuenum in ſcien-

tia

tia legali exercitamenta, cum Præceptores ipsis species, casusque offerrent fabulosos, vt ea dulcedine illecti iuuenes, quæ seria, difficilioraque essent, paratioribus animis subirent, sicut in Oratoria arte, quæ maximam cum Ciuili cognationem habet, factitatum scribit Quintil.[f] Sed & vniuersę Philosophiæ præcepta, seu moralis, seu naturalis sub fabulis, quæ vel hominum essent, vel Deorum, a veteribus tradita, nemo est, qui nesciat, & vberrime, inter Recentiores docuit Natalis Comes.[g]
Sed contradicit Theophil. & fabulas ad obsoletas quasdã Iuris definitiones retrahit h. v. *Nam qui ea legunt, quæ olim obtinebant, & nunc ab vsu reiecta sunt, similes videntur ijs, qui in fabulas incidere*. Adherẹt Gifan. qui fabulas ius quoddam inutile, iniusitatumque fuisse scribit, quo refertæ Institutiones, ac libri Iurisconsultorum erãt, iux. *d.l.1.§.ad hæc. vers. Nemo itaque. C. de anna. exc.* ibi. *Et non iteratis fabulis sæpe recreata, &c.* Et id quidem verisimilius, nam *Imperialis splendor*, qui deinceps sequitur, ei, quod obumbratum desuetudine est, apte respondet.
Balduin. Myns. atque idem Aldobr. fabulas quoque pro incertis, falsisque traditionibus accepere, cuiusmodi multas suo tempore sparsas fuisse ab improbis quibusdã, & adulterinis Doctoribus Cæsaræę, & Alexandriæ dolet Iustin. *in §.hæc autem.in proem. Digest.* Et vide omnino *l.1.C. de nudo. Iure Quirit. tollen.* & quod Ammiã. Marcell. referente Cuiac.[h] *Iurisperiti* (inquit) *vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur, & Cascellium, & Alfenum, & Aruncorum, Sicanorumque iam diu leges ignotas cum Euandri matre ab hinc sæculis obrutas multis, &c.*

In

α. *In Apostil.*
β *In d. proem.*
γ *lib. 1. de Inuent.*
δ *d. proem.*
ε *Lib. 3.*
ζ *In Mytol.*
η *Lib. 30.*
θ *In Notis.*

De Quadriennio aut Quinquēnio legalibus studijs præfinito sententię, & monita. *Ad d. proem. Digest. & l. iubemus. l. petitiones. C. de Aduoc. diu. Iud.* Cap. CL.

1 *Studentium per annos nomina.*
2 *Ab Aduocatorum numero olim reiectus, qui legale studiorum tempus non impleuisset.*
3 *Scholaris excellentis ingenij nunquam repellendus.*
4 *Cuiacij monitum.*
5 *Studentum deceptio grauis,*
6 *Authoris admonitio.*

DOcent Balduin.[α] & Myns.[β] quadrienij tempus fuisse olim legalibus studijs præstitutum, sed ordine vsque adeo prępostero, vt vix possent, eo elapso, studiosi Diuorum Principum cōstitutiones intelligere. At deinceps, Iustiniano authore, nouam discendi methodum institutam, præfixumque absoluendo Iuris Ciuilis studio quinquennale tempus, & primo quidem anno iussas audiri Institutiones, alijs vero sequentibus alias Iuris partes, vt in *proem. Instit. & Digest.* vbi professoribus quid quoquo anno legere debeant eleganter distributum, studiorumque
1 tempora Auditoribus definita. Inde Iustinianęi, Edictales, Papinianistæ, Lytæ, & Prolytæ, quorum nomenclationes quanta, obsecro, nostrorum temporum iniuria exoleuere?

Con-

2 Constat, olim Iuris studiosis quadriennium fuisse præfinitum, deincepsque ab Imperatore nostro quinquenniū, totaque hæc res explicatur *dd. proem. Instit. & Digest.* Cōstatque simul, non potuisse olim quemquam in Aduocatorum numerum cooptari, nisi legitimis documentis adprobasset, se legitimum studiorum suorum tempus impleuisse. *d.l.iubemus. l.petitiones. C.de Aduoc. diuers. Iud.* hoc est, quadriennium. Hodie necessarium esse quinquennium multi æstimant *ex d. proem. Digest.* sed non ego. Nam non video, necessitatem aliquam ex Iustiniani verbis studentibus indici quinquenalis temporis, sed peroptimi Magistri quasi munere perfunctum optimum
3 Principem & studia, & tempora iuuenibus distribuisse. Quapropter, si excellentis ingenij scholaris sit, & spes magna aliqua subsit, vt doctus efficiatur, repellendum eum non esse, quamuis minorem quinquennio, credit alios referens Rebuff. sic namque interdum promoueri Clericos sub spe futuri profectus.

4 Sed nostra hęc tempora deplorat Cuiac. *Nam, si quinquennium* (inquit) *vel quadriennium illa ætate, qua mores, & iura, & verba Ciuilia sane erāt notiora, aut faciliora perceptu; quid non erubescimus ista, qua horrere spinis omnibus videntur omnia, quæcumque de iure ab antiquis prodita sunt, vix tamen in eis non transigere triennium, plurimum vitio parentum, qui, vt Petronius Arbiter ait, cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum impellunt.* Hęc ille. Nunc etiam Iuri Ciuili ius feudorum, & Pontificię leges accessere, & ecce, qui ex quinquennio decennium facere deberent, vix præfinitum a Iustiniano quinquennium absoluere procurant.

Au-

5 Audiui etiam nostrorum Iuuenum in Pisano olim, nũc, & in Patauino archigymnasio insignem (sic appellare liceat) blasphemiam. Nam vbi primum salutauere Cæsaris leges, lauream appetunt Doctoralem, & Canonum studia prætereuntes, se tamen iuris Canonici Doctores pronunciari volunt, illud sæpe dictitantes, eum, qui Ciuile ius sat probe perceperit, non posse Canonicum ignorare. Siccine? Tu itaque Vsucapionum qui materiam ε hausisti totam (atque vtinam hauseris) te existimas præbendarij Iuris, Censurarum, Simoniæ, atque his similiũ causis accepisse? Vade iam, non vt Doctor, sed nec inter discipulos certe habendus, cum discere nec dum inceperis, & Doctoris munus te existimes posse implere.

6 Quinquennale saltem spatium iuris studioso transigendum offerimus, vel ab incepto desistendum. Hoc prudentes Veteres, hoc Iustinianus suasit, hoc Romanus Pont. approbauit. *cap. vlt. de Magistr.* hoc denique Scholæ omnes, & legibus, & moribus retinuere. Sicut autem magnam aliquam præcocis ingenij fælicitatem lubens excipio, sic dura quædam ingenia ad vicénium vsque (si sic opus esse videatur) deuenire volo, ne, cum ad Doctoratus lauream euehuntur, cogantur professione doctrinam, re ipsa autem ignorantiam, qua multa sæpe ζ exuberamus, prouulgare.

α *Ad proem. Instit.*
β *Ibid.*
γ *Cuiac. lib. 12. obs. c. 40.*
δ *Vide Forester. d. proem. Inst. n. 16.*
ε *De priuil. Schol. priu. 84. n. 178.*
ζ *Dicto c. 40.*

Curiose inquiritur de Caio Institutionum authore *ad d. proẽ. Institut. & Digest. & l. pen. ff. de stip. seru.* Cap. CLI.

1 *Multi Institutionum authores.*
2 *Cur Caium suum dixerit Iustin.*

REfert Balduin. [a] præter Caium multos fuisse Veterum, qui Institutionum scripserint libellos, seu plures, seu
1 pauciores, nam Iulianum sexdecim, Vlpianum, & Paulum duos, Calistratum tres, Florentinum duodecim, & Martianum aliquos composuisse. Sed & plures fuisse huius nominis Iurisconsultos, testatur idem Author, recésetque singulos. Sed cum dixit Iustin. *in proem. §. penul. Ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipue ex Cōmentarijs Caij nostri*; cum (inquam) *nostri* dixit, dubium fecit, quis nam Caius iste fuerit; nam multo ante Iustinianum tempore Iurisconsultum Caium floruisse (qualiscumque demum fuerit) in comperto est, seu Hadriani, & Pij temporibus vixerit, vt voluit Glossator, [e] probante Cuiacio, seu Caracallæ ætate, vt fuisse quorundā sententiam testatur Balduin. [γ] seu Marci Philosophi, vt asserit Gifan. [δ]
Et quamuis Balduin. & Myns. [ε] difficillimum putét esse, quis nam fuerit iste Caius, iusta assequi coniectura, cum eius nomen nusquam addatur (forte ob viri celebritaté) verisimile tamen est, vltimi Caij, quem *suum* vocat, Iustinianum meminisse.
Denique, cum multis ante Iustinianum sęculis mortuus Caius iste fuerit, vt dicebatur, Rutilius verbum illud, *nostri*, quasi deprauatum, ineptumque expungit, referéte Balduino, cui tamen non valde grauis coniectura ista visa est, cum Iustinianus iterum, *Caius noster*, dixerit *in §.*

te-

telum. Instit. de pub. Judic. Adde *l. omnem.* §. 1. *in proem. Digest.* & quod Pompon *in d.l. penul. ff de stip. seru.* An forte, *nostri*, dixit Imp quod Christianus fuerit? Nã sic Bart. censuit referẽte Myns. quod liquere ait ex indice *ad Digesta*. Hodie etiam extare Caij Institutiones docet Balduin. & in ijs rerũ Ecclesiasticarũ mentionẽ fieri Sed hoc argumento magis suspicatur, Caiũ hũc, cuius Institutiones circumferuntur, esse Iustinianæo illo Caio recentiorem. Docet Accurs. sic appellatum fuisse Caium a Iustiniano tum hic, tum alibi, quia eo authore præcipue vsus est, quod magis æstimo cum Gifanio, qui rem late exornat. scripserat enim Caius quatuor Institutionum libros, vt videre est. in profecto Iudice, quę ante Iustinianũ in scholis pręlegebantur. *d. l. omnem.* §. 1. Hunc itaque authorem secutus ex instituto Iustinianus in Institutionibus suis est, tam in ordine, quam in librorum numero, & in reliquis; quæ causa (ait Gifan.) fuit, cur *nostrum* dixerit; &c.

α *In proem. Instit.*
β *ex l. nuper. ff de donat. inter vir. & vx. l. vtrum. ff. de reb. dub.*
γ *d. proem.*
δ *Ibid.*
ε *Ibid.*

In grauioribus negocijs præcedens mandatum absque rati habitione sufficere. *Ad l. generali. ff. de ritu. Nupt.*

Cap. CLII.

1 *Mandatum quærendæ conditionis quale.*
2 *Egredi non licet fines mandati.*

RESoluunt Iurisperiti veteres, non sat esse in arduis, vt vocant, hoc est, grauioribus negocijs mandatum prę-

cedere, nisi ratum deinceps habeatur id, quod ex mandati lege factum fuerit. Mandauit.n.Iustinianus (inquiũt) componi sua authoritate institutiones, nec tamen satis id esse potuit, nisi eas & legeret, & recognosceret, & plenissimo suarum constitutionum robore pręmuniret. *§.penul. in proem. Instit.*

Sed quia ridicule satis agebatur hoc argumento, propterea sententiam firmant *ex l. generali. ff. de Ritu.nupt.* qua probatũ credunt, generale mandatũ de contrahendis nuptijs non sufficere, nisi post ratihabitionem mandantis, *quia matrimonium* (inquiunt) *ex arduis est.*

Vtrumque perperam. Nam voluit Iustinianus quidẽ *in d. §.pen.* vt sua authoritate, suo (inquam) mandato componerentur Institutiones, sed vt compositæ quasi leges euulgarentur, non item. Igitur confirmatione opus fuit. Facit, quod subiunxit statim. *Nostrisque suasionibus, &c.*

1 Neque vrget Papin. *in d.l.generali.* fuit.n.illic mandatum generaliter, vt Maritus filiæ quæreretur, nõ etiam, vt nuptiæ contraherentur; mandatum itaq; fuit quærendæ cõditionis, vt loquitur Cuiac. Verba hæc sunt. *Generali mãdato quærendi Mariti filiæfam. non fieri nuptias, rationis est; itaque personam eius patri demonstrari, qui matrimonio consenserit, vt Nuptiæ contrahantur, rationis est.* Si itaque mãdatum simul fuisset, vt, & quæreretur Maritus, & nuptiæ contraherentur, nulla opus ratihabitione fuisset. *c. vlt.* de Procur. in 6. Vide Ang.[a] Balduin.[b] Cuiac.[c] &c.

Vides, vtriusque decisionis parem fuisse causam; nõ quia lex, aut matrimonium ex arduis sint, sed quia non licet

2 fines exire mandati. *l. diligenter. ff. Manda.*

α *In proem. Institut.* β *Ibid.* γ *Sup.*

De officio, & artificio conciliatæ leges. *Ad l. legatis. 65. §. si ex officio. ff. de leg 3. & l. si quid Venditor. §. vlt. ff. de ædil. Edi.* Cap. CLIII.

1 *Officij nomen generale.*
2 *Legatum mutatur, si ex officio fiat transitus ad artificium, nō (cōtra.*
3 *Seruus lecticarius quis.*
4 *Coci officium an sit de artificij genere.*
5 *Officij, & Artificij discrimen.*
6 *Officium artificio mutatur, non contra.*

1 ACcurs. α *officium* docet generale nomē esse ad omne ministerium, seu istud artificium sit, seu non.
2 Sed aliud esse *officiū*, aliud *artificium*, satis liquet ex Martiano *in d. §. si ex officio. Si quis* (ait) *ex officio ad artificium transierit, quidam recte putant, legatum extingui, quia officium artificio mutatur. Non idem e contrario, cum lecticarius cocus postea factus est.* quare, &c.
Quicquid obluctentur quidam nouiores, β sunt hic duæ species oppositæ. Vna, quando ex coco lecticarius factus est quis; altera, quando e conuerso factus e lecticario cocus, ne otiosa verba illa sint. *Non idem e contrario, &c.* Sensit itaque Martianus, legatum mutari tunc, cum ex officio fit transitus ad artificium, videl. si ex Coco fiat lecticarius, non e contrario, cum ab artificio fit transitus ad
3 officium, vtp. si ex lecticario fiat cocus. Lecticarium accipe, non qui gestat in Lectica, vt *l. itē legato. ff. de leg. 3. & l. peculium. ff. de leg. 2.* sed qui Lecticas facit, nam, qui gestat, officium habet, qui vero facit, artificium.

At,

4 At, si cocus officium habet, non artificium, solide opponitur *l. si quid Venditori.* §. *vlt. ff. de ædil. Edi.* vbi Gaius. *Venditor, qui optimum Cocum esse dixerit, optimum in eo artificio præstare debet; qui vero simpliciter cocum esse dixerit, satisfacere videtur, etiam si mediocrem cocũ præstet. Idẽ & in cęteris generibus artificiorum.* His constat, non tantum Cocum esse artificem, verum & Coci officium esse de genere artificij, quod etiam probatur ead. *l. legatis.* §. *si vnus.* ibi, *in quo artificio.* maxime, cum illic comparẽtur Coci, Textores, Lecticarijque.

5 Solutionem contrarietatis eam nostri faciunt cum Bar. vt officium illud sit, quod a natura ipsa habetur sine doctrina; artificium vero, quod disciplina indiget, seu doctrina. Sic cocus, & officium habere, & artificium potest; Officium, si simpliciter cocus est absque doctrina aliqua; artificium, si disciplinam habet, & artem, qua excellat. Et habet hæc distinctio rationem, cum officium seiungatur ab artificio, quasi in officio artificium nullum sit. Igitur *in d. h. si ex officio.* consideratur Cocus quasi simpliciter officium habens coquendi in domo. At *in d.* §. *vlt.* cõsideratur cocus quasi artifex, nam & quasi artifex emitur ibi, & venditur, vt satis explicat I.C. ibi. *Idẽ et in cęteris generibus artificiorum.* eoque maxime, quod Gaius in tota illa lege supponit, vendi seruum quasi in re aliqua excellẽtem, vti constantem, laboriosum, curacem, vigilacem, ex frugalitate acquirentem, &c.

Sed, obsecro, quæ ratio sit, vt extingui legatum debeat, si seruus legatus ex officio ad artificium demigrarit, vtp. ex Coco ad Lecticarium, nec tamen extinguatur, si ex artifi-

cio trãſierit ad officiũ, vt ex Lecticario ad Cocum? Ratio-
6 nẽ adiicit Martian. *Quia officiũ artificio mutatur, non contra.* Et qua ratione mutatur officium, eadem ipſa ratione mutatur voluntas teſtatoris, ait Accurſ. δ

α *d. l. legatis. §. ſi ex officio. in gl. 1.*
β *Vide Pyrr. Alf. ad Rub. ff. de off. eius. n. 98.*
γ *d. §. ſi ex officio. n. 2.*
δ *Ibid. ver. officium.*

De eadem re, & cur officium artificio mutetur, non contra. *Ad eand. l. legatis §. ſi ex officio.* Cap. CLIV.

1 *Officium non poteſt dici artificium, ſed contra vtique.*
2 *Si legatus ſeruus artificium mutet, an legatum extinguatur.*
3 *Artificium perenne quoddam eſt, non ſic officium.*
4 *Officium ſine artificio ſtare poteſt.*
5 *Nec ſupponit habitum in officiario.*
6 *Secus in artificio.*

CVr officium artificio immutetur, non contra; duplicẽ rationem habet Gloſographus [a] ex duorum ſentẽtia, quos refert.
1 Vnam, quia officium, quo ante fungebatur ſeruus, artificium dici nõ poteſt, cum nouum ſtatum habere incipiat. At ſi primo artifex fuerat, & deinceps ad officiũ tranſijt, ſecus eſt, nã artificiũ ſatis poteſt officij nomine appellari.
2 Si vera hæc ratio eſſet, non extingueretur relictum, ſi legatus ſeruus de artificio in artificium demigraſſet, quia ſcilicet vtrumq; artificium & dicitur, & eſt; ſed hoc ſecus. *l. ſi cui. 12. ff. quib. mod. vſufr. amitt.* ibi. *Proinde, & ſi hiſtrionis reliquerit vſumfructum, & eum ad aliud miniſteriũ tranſtulerit, extinctũ eſſe vſumfructum, dicendum erit.*
3 Alia itaque ratio penes Accurſium eſt, vt officiũ artificio mu-

mutetur, non contra, quia potentius artificium est, quã officium, sumitur enim illud cum quadam animi perpetuitate, vt inde vberior, aut honestior quęstus hauriatur, hoc vero ad tempus, nec nisi inurgente aliqua necessitate datur, vel accipitur.

4 Ego ad id redeo, quod in superiori cap. distinguebatur. *Officium*, & generis, & speciei nomen est. Si presśius accipitur, seu in specie, illud esse officium credimus, quod a natura quasi geritur citra rationem disciplinæ, sic enim ab artificio differt, quod totum in arte, & doctrina est. Mirum itaque videri non potest, extingui legatum, si seruus ex officio transeat ad artificium, non si ab artificio migret in officium. Cur ita?

5 Æstimo, sic responderi posse. Officium non præsupponit habitum in seruo officiario; est enim naturale quoddam, quod ad naturæ rationem, viresque exercetur, non artis, aut disciplinæ; seruus itaque ex officiario factus artifex nouus homo est, cum habitus sit natura altera, vt Philosophi appellant. Sed ex artifice officiarius factus habitũ retinet suum, neque enim aliud nouat, quam accidentalem (sic dixero) statum; igitur neq; homo videri nouus potest, nec mutationem arguere voluntatis in legante.

6 Vel sic. Seruus, si ex officio ad artificium demigrat, non potest deinceps *officiarius* appellari; nam permittens dominus, vt ex officiali in artificem veniat, soluit ipsum ab omni necessitate implendi officij, atque hinc sequitur in domino satis aperta mutatio voluntatis ex facto ipsius domini. At e contrario, si ab artificio ad officium transit seruus, non desinit esse artifex (cum artificium res quæ-

dam immanens sit per modum habitus, nec pendeat a facto Domini) sed accidentale quoddam acquirit, & momentaneum, ob quod præsumi in domino mutatio aliqua voluntatis nec potest, nec debet, talis namque remanet seruus, qualis fuerat. Nouatur etiam procul dubio seruus, si ab artificio in artificium migret, quasi nouo habitu acquisito. *d.l si cui.*

a d.l.legatis. §.si ex officio. ver.officium.

An Princeps suo contractu ne dum natura obligetur, sed & lege, hoc est, Ciuili obligatione. Cap. CLV.

1 *Princeps si hæreditatem adierit, obligatur.*
2 *Et actionem patitur.*
3 *Æqualitas eße in conuentionibus debet.*
4 *Princeps sua lege solutus est.*
5 *Et contrahendo legem condit.*
6 *Obligatio quid.*
7 *Princeps a propria lege dirigitur.*
8 *Et actionem patitur sine coactione.*

PRincipem suo contractu naturaliter obligari, nemo est, qui dubitet.[a] An etiam ciuili obligatione, incertum.[b]
1 Enimuero, si hæreditatem Princeps adeat, obligatur, neque aliter, quam quasi ex contractu, quæ tamen obliga-
2 tio Ciuilis est. Patitur quoque Princeps, agi aduersus se. *l bene a Zenone.C.de Quadr. præscript.* at vbi actio est, ibi
3 & ciuilis obligatio. Denique, aut æqualitas esse in conuentionibus debet, aut, si ab altera parte scindantur, totas simul resolui oportet. *all. l. cum Emptor. ff. de rescind. Vendit.*

4 Ex aduerſo Princeps, vt ſua lege ſolutus eſt. *l. Princeps. ff. de ll* ita & ſuo contractu, quatenus ab ea vim capit; neque enim contrahendo perſonam ſic induit priuati hominis, vt ſeruire ſuæ legi poſſit, immo, ſi Auguſtæ quid donet,
5 communi Iuri præiudicat, & quaſi legem contrahendo facit, quæ cunctos obliget. *l donationes. C. de donat.* nam nec velle obligationem poteſt, quæ a ſua ipſa Iuriſdictione profluit, ne ſibi ipſi imperet, aut pareat. Denique obligatio eſt *iuris vinculum, quo neceſsitate adſtringimur, &c.* adſtringi autem Principem neceſſitate ſecundum propria iura, inconueniens eſt. *d l Princeps.*
7 Rem ego ſic expedio. Diximus, obligari ſua lege Principem ſecundum vim directiuam, non coactiuam. Idem nunc dicimus de Ciuili obligatione Principis; obligatio enim, quæ conſcientiam ligat Principis contrahentis, vocari etiam ciuilis poteſt, cum non ex ſola lege naturali oriatur, ſed & ex Ciuili adiuncta. Itaque ſi minus a ſua lege Princeps cogitur, ſic tamen a ſua lege Princeps dirigitur, vt & obligationem pati, & actionem poſſit. Actio vero, quæ in Principem datur, eo collineare dumtaxat
8 debet, vt per ſententiam Iudicis, & quaſi Arbitri, declaretur, obligatum eum eſſe, nec poſſe citra labem iniuſtitiæ a ſolutione eius, quod ſe daturum, facturumue promiſerit, reſilire. Sic erit actio abſque coactione, quæ nulla eſſe poteſt aduerſus Principem. Sic & contraria omnia facile componuntur, nec deeſt in contractu æqualitas, in quantum maieſtas patitur Principis, nam nec nouum in Iure *eſt*, claudicare interdũ ex cauſa conuentionẽ poſſe. An, & quomodo Princeps ſua lege teneatur, alibi fuſius explicatum.

α *Omnes ad c. 1. de probat. post Abb. n. 1.*
β *Vide Bal. d. l. Princeps. n. 2. Aret. d. c. 1. n. 3. Eo tamen comm. obtento, ne Ciuiliter obligetur. De comm. Dec. d. c. 1. n. 1. De magis comm. Bero. ibid. n. 2.*
γ *In prælect. ad c. 1. de Constit. par. 3. & Sac. Iu. contr. differt. 1. c. 11. & inf. c. 231.*
δ *Ibid. & infra d. c. 231.*

An Imperator coram Romano Pontifice conueniri possit, & de gladio pontificis. *Ad c. 1. de probat.* Cap. CLVI.

1 *Reus non edit actori.*
2 *Romanus Pontifex deponit sæculi Principes, & quo Iure. 6.*
3 *Christus, & Regnum, & iudicandi inter Laicos potestatem exhorruit.*
4 *Pontifex an habitu habeat temporalem potestatem.*
5 *Aut quo pacto, vel Iure.*

ÆStimant Canonum Interpretes, posse.[α] Sic enim Tancredo Visigothorum Regi rescriptum a Gregorio fuit *in d. c. 1. h. v. Tua excellentia postulauit, vt Imperatori scriberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret, quæ dudum inter Iustinianum Principem, & prædecessores tuos*
1 *fuerunt emissa, vt ex his colligeret, quid tibi seruare deberet. Sed ad hoc faciendum vehementer obstitit, quia nulli dicendum est. Ea quæ contra te sunt, apud temetipsum debes documenta requirere, in mediumque proferre.* En Tancredus coram Romano Pontifice Mauritium Imperatorem interpellat, nam nec semel ab eodem Rom. Pontifice non
2 iudicatos tantum, sed & depositos fuisse legimus Sæculi Principes, vt alibi refero,[β] & ibi fusius de vtroque gladio Pontificis.

Conueniri posse Imperatorem, alium ve Principem in suo ordine supremum coram Papa, eum (inquam) qui superio-

riorem non agnoſcat, ſi Laicus eſt, non crediderim, cũ
3 ipſe Chriſtus, a quo Pontificatus eſt Petri, regium diade-
ma, & iudicandi in negocijs ſecularibus poteſtatem, nũc
ſecedens, nunc renuens æque horruerit. Quare nec illud
4 valde probo, quod magis frequens inter conſultos Iuris, [c]
habere Pontificem ſecularem poteſtatem habitu, & po-
5 tentia quadã, nõ actu, vel exercitio. Plus placuit, quod
de eadem hac re perpulchre Bellarm. [d] Romanus Pont.
(ait iſte) non gladium temporalem, aut poteſtatem ali-
quam temporalem directo habet, ſed indirecto, & quã-
tum ſpirituali rei valeat expedire. Sic temporalis poteſtas
non aliter ſubeſt ſpirituali poteſtati, quam ſpiritus carni
pręſit. Subeſt caro, ſpiritus imperat, frænatque petulan-
tiam carnis, vbi opus eſt, nec tamẽ eius ſe ſe miſcet actio-
nibus; Sic ſpiritualis poteſtas imperat, coercetque tempo-
ralem poteſtatem, vbi oportet, nec tamen eius ſe miſcet
actionibus, fitque vnum cum ea corpus, quando ipſi iun-
gitur, ſicut ſpiritus quoq; & caro vnũ corpus conſtituunt.
6 Sic Pontifex, vt Pontifex eſt, non ex ordine, aut quaſi Or-
dinarius Iudex ſæculi Principes deponit, prout ex ordine
deponit Epiſcopos, ſed quaſi ſpiritualis Princeps id facit, ſi
animarum ſaluti ſic nouerit expedire.

Sic leges Ciuiles condere, aut abrogare conditas, cum nõ
ſit Princeps Eccleſiæ politicus, non poteſt vti Pontifex, po-
teſt tamen id quoque, ſi id exigit animarum ſalus, licet
abnuente ſęculi Rege.

Nec rurſus Pontifici fas eſt in cauſis ſecularibus, niſi de
ſpirituali ſalute agatur, iudicium ex ordine proferre ſuũ,
Vnde & Bernard. *Habent hæc inferiora* (inquit) *ſuos Re-*

ges,

ges, & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Item. *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra.* Adde *c per Venerabilem, qui fil. sint legit. c. nouit. de Iudic.*

Restat, vt videamus, quid sentiendum de Tancredo sit, qui Mauritium coram Pontifice reum fecit. *d. c.* 1. Dicũt, Mauritium fuisse in peccato, quasi qui non seruasset pacti fidem; petitum itaq; esse, vt corriperetur a spirituali principe per denunciationem Euangelicam, vt *d. c. nouit.* Verius credo, rogatum fuisse Pontificem, vti Imperatori scriberet quasi conciliator pacis, non quasi Iudex, erat enim res transigenda per Epistolam citra formam iudicij, aut iudiciariæ persecutionis, vt alias sępissime.

α *post Abb. d. c.* 1. *n.* 2.
β *In Prælect. ad cap.* 1 *de Constit.*
γ *teste Dec. ad. c. nouit. n.* 7. *de Iudic.*
δ *lib.* 5 *de Rom. Pont. c.* 4. *&* 6.
ε *Ad Eugen. lib.* 1. *de Considerat.*

Mercatores edere non compelli. *Ad l. Argentarios. ff. de Eden.* Cap. CLVII.

1 *Mercator edere non cogitur a lege.*
2 *Neque ex vi consuetudinis.*
3 *Qui fidem Mercatoris sequitur, agit mandati.*
4 *Liber Argentarij fidem habet a publico.* 8.
5 *Non liber Mercatoris.*
6 *Argentarius, & Mercator absimiles in pluribus.*
7 *Argentarius qua actione teneatur.*
9 *Et cur edere compellatur.*

ITa Alciat. α & Fab. β quicquid frequentius de hac re creditum sit, γ & certa praxi constabilitum; δ male enim arguit

guit communis ſententia ab Argentario, cum valde abſimilis cauſa illius ſit; Male etiam a præſumpto quodam Mandato, iux. *l. ſi quis. §. ex hoc edicto. verſ. pertinere. ff. de Eden.* volo enim, ſtylum eſſe Mercatoris, vt rationes ſuas ſcribat, ſed non vt ſcribat mandante eo, cuius intereſt. Ex hoc ego, vt ex alijs, quæ negocium facile dirimant, ſic reſoluo. Mercator vel, vt talis eſt, inſpicitur, vel, vt parem cauſam cum Argentario habens. Si vt talis, aut rurſus conſideratur quaſi ex Iure, aut quaſi ex conſuetudine.

1 Prima itaque poſitio hæc ſit. Mercator, vt talis, ex diſpoſitione Iuris edere non compellitur; nam neque vlla lex eſt, quæ Mercatorem cogat, neque inuenio, qui dubitet, an Romæ fuerit Mercatores, nec ne, eo ipſo tempore, quo Argentarij erãt. Vide Alciat. &c.

2 Secunda poſitio. Mercator, vt ſic, nec quidem vi conſuetudinis edere tenetur. Nam, vel conſuetudo inducit mãdatum, vel Mercatorum libris fidem adijcit. At neutrum ſatis verum. Conſuetudo (inquam) non inducit mandatum tacitum, quia nec probatur ſtylus, vt mandari ſoleat Mercatoribus, nec probari poteſt; nam, qui cum mercatoribus contrahunt, aliquando fidem ſequuntur Mercatorum, aliquando non, ſed ſibi ipſis cauent. Qui itaque ſe fidem Mercatoris ſecutum allegat, & mandaſſe, vt ſcri-

3 beretur creditum, probare vtique debet, & agere *mandati* actione, non actione *de edendo*, que huius diſputationis propria eſt.

Conſuetudo etiam non eam fidem adijcit Mercatorum libris, quam libri Argentariorum habent; nam hi fidem ha-

4 habent a publico, cũ & a publico fuerint Argentarij ipſi cõſtituti, vt ſcriberent ſingulorum rationes pro nummis, quos depoſitos habebãt, & ex Dominorum voluntate ſęnori dabant ex Alc.ᶻ At libri Mercatorum nõ habent fidem a conſuetudine, niſi probatis probandis in ſpecie illa, de qua agitur, ex quibus reſultare fides poſſit, vt Practici paſſim docent. Igitur Argentarij liber eo ipſo, quo Argentarij eſt, fide certa munitur, non ſic liber Merca-
5 toris, cuius fides probanda quodammodo eſt. Poteſt etiã conſuetudo Mercatoris libro fidem addere, ſed non ita, vt ad officium ſcribendi vocatus videatur, quemadmodũ ad cauſam editionis requiri palam eſt. *l. quædam. §. Nũmularios. ff. de Eden.*
6 Vltima poſitio. Mercator abſimilis Argentario eſt, ergo edere non tenetur, quaſi Argentarius. Diſſimilitudinem probant hæc. Argentarius a publico ad publicum munus deputatur, Mercator priuatim a ſe ipſo. Ille conſtituitur, vt aliorum rationes ſcribat; hic ſe ipſum offert ad negocia, nec pro alijs ſcribit, ſed pro ſe ipſo, cum inſtruere ſe ipſum velit. Ille, quia ſcribit, Argentarius eſt, non hercle futurus talis, niſi ſcriberet; hic non ex eo, quod ſcribit, mercator eſt, ſed quia negociator, adhuc enim Mercator eſſet, quamuis non ſcriberet, nam & argentarij quæſtus in ſcribendo totus eſt, mercatoris vero nullum in ſcribẽdo lucrum eſt, cum nec munere ſcribendi fungatur. Ille gerere officium dicitur, hic priuatam negociationem. Il-
7 le teneri non poteſt mandati actione, quia lucrum ſentit ex miniſterio officij ſui, mandatum vero gratuitum eſſe debet; hic, ſi mandatum ei fuerit, vt ſcribat, edere tene-

ne-

nebitur actione mandati, cum gratuito ſcribat; arg. §.
8 *vlt. Inſtitut. de Manda.* Denique Argentarij liber quaſi publici officiarij liber eſt, qui fidem ex ſe habet a publico ex Iuris diſpoſitione. Mercatoris vero liber non quaſi liber Officiarij eſt, ſed quaſi Negociatoris, nec fidem habet, præterquam ex conſuetudine forſan; probatisque ijs, quæ oportet, vt dixi, atque vtinam conſuetudo iſta aliquid valeat, quod negaui, „ & quomodocũque, non ſtatim decurri ad librum Mercatoris poteſt, vt requiritur ex *l. quædam. §. Nummularios. ff. de Eden.* Hinc Argentarius
9 edere tenetur, quia, cum ſit ad ſcribendum publice deputatus, id, quod edit, non tam ipſius eſt, quam illius, cui edit. *l. Prætor ait. in princ. ff. de Eden.* Non ſic Mercator, quia liber ſuus eſt, charta ſua eſt, & ideo exhibere nõ cogitur.

Hæc intellige, licet e Collegio Mercator ſit; dum enim Mercatorum Collegium inſtituitur, non ſinguli publica authoritate approbantur, ſed corpus, ſiue Vniuerſitas. Sed neque inſtituendi Collegij ratio fuit, vt ſingulis fides, vel authoritas accreſceret, ſed vt publica authoritate firmaretur congregatio, ne videretur factioſorum hominũ cętus. *Vide l. 3. cum tit. ff. de Colleg. illicit.*

α *l. 1. C. de Eden. n. 15.*
β *d. l. Argentarius. §. 1. l. quædam. §. Nũmularios. ff. de Eden. in Rational.*
γ *Dec. c. 1. de probat n. 27. & 28. Bero ibid. n. 50. Omnes ad d. l. 1.*
δ *Dec. ibid.*
ε *d l. 1. n. 13. ex t. t. C. de Commerc. Fab. d. l. Argentarius.*
ζ *Ibid.*
η *Sac. Iu. contr. diſſert. vlt. n. 9. &c.*

An Iudæus fænerator edere cogatur. *Ad clem. 1. §. cæterum. de Vſur.* Cap. CLVIII.

1 *Iudæis an liceat fœnerari.*
2 *Et an excommunicari aliquo modo poßint.*
3 *Ecclesiæ quæ potestas in Iudæos.*

VTique; ad hoc enim fœnerator quilibet Pontificio iure compellitur. *d. §. cæterum.* atque ita frequentius ęstimatum, [a] licet reluctantibus plurimis, [b] qui Iudæum negabant eius Clemẽtinæ Iurisdictione, verbis, ratione ve contineri. Sed perperam, nam si fœneratores edere in eã causam iussi sunt, quia libros occultant, atque instrumẽta, non dubitamus, Iudæos quoque constringi ad editio-
1 nem posse, qui si forte (quod alibi negatum [γ]) inter alienigenas fęnus permittuntur accipere ex Deutoronomij lege, [δ] canonica tamen Censura, alijsque pœnis per sæculi Principes infligendis cohibentur, ne faciant. *c. post mi-*
2 *serabilem. c. quanto. de Usur.* Eo autem pertinet censura canonis, non vt Iudæi ipsi excommunicentur (hi enim communionem vix habent, quam amittant) sed vt Christiani ipsi, qui cum Iudæis participent, atque ita Christianorum excommunicatio in Iudæos resultet.
3 Aliquanto obscurior Iurisdictionis causa est, canonicæ enim leges ad animarum salutem mores efformant subditorum, quæ res conuenire Iudæis, alijsque infidelibus non potest. *Quid enim ad nos de his, qui foris sunt? c. gaudemus. de Diuort.*
Insigne est, quod de hac re Couarruuies docet [ε], ecclesiam non habere in Iudæos potestatem quoad illa, quę aut spiritualia sunt, aut ad ea, quæ spiritualia sunt, pertinent, habere tamen quoad ea, quæ politica aliqua ratione cõ-
sti-

ſtituuntur, vt naturæ lex conſeruetur. Cum itaque fœnus naturali rationi contrarium ſit, Iudæis potuiſſe ab Eccleſia prohiberi. At hercle, ſi cogere Eccleſia pro Imperio poteſt laicos Principes, vt Iudæos coerceant ſibi ſubditos. *d. c. poſt miſerabilem. d. c. quanto.* cur Iudæos ipſos, ne fœnus exerceant, cohibere non poterit? Hinc forte dictum, vſuram crimen eſſe Eccleſiaſticum, ac proinde etiam Infideles Eccleſiaſticæ legi manere obnoxios.

Sed rurſus. *Quid ad nos* (inquies) *de his, qui foris sūt?* Reſp. valere hoc in ijs, quæ Pontificis lege ſtatuuntur ad profectum fidelium, vt intra domum, hoc eſt, Eccleſiam eorundem ſeruentur. Hinc dictum bene. *Quid ad nos de his, qui foris ſunt?* Vſura autem, quia naturali iure dánatur, propterea Eccleſiæ forum ſortitur, & pœnam, vt dicebatur. Et nimis durum videri poſſet, melioris eſſe conditionis Iudæos, quam Chriſtianos. *arg. l. non ſolum. ff. de Noxal. l. 3. §. 1. ff. de Donat. int. vir. & vxor.*

α *Vide Pyrr. Alf. ad l. 1. n. 89. C. de Eden. Omnes d. § ceterum.*
β *Vide relatos per Dec. ad c. 1. de probat. n. 90. Maſſ. d. l. 1. n. 98.*
γ *Vide quæ ſcripſi ad c. 1. de Conſtit.*
δ *cap. 15. & 23.*
ε *Variar. lib. 3. c. 3. n. 9.*

De eadem re. Et numquid legis diſpoſitione contineri is poſſit, cui non conuenit legis pœna. *Ad l. Mancipia. C. de ſeru. fugit.* Cap. CLIX.

1 *Iudæus quomodo excommunicetur.*
2 *Qui ſeruū Reip. ſollicitauerit, vel abduxerit, qua pœna teneatur.*
3 *Et quid, ſi non conueniat pœna legis.*
4 *Extraordinem pœna interdum grauior.*
5 *Pœnæ quæ non deceant ſeruiles perſonas.*

IVdęum Clementina illa lege contineri nequaquam posſe, eo maxime argumento credebatur, quia pœna legis, hoc eſt, excommunicatio, ad eum non pertinet. Sed per-
1 peram, cum, ſi directo excommunicari non poteſt, poſſit certe per indirectum, vt loquuntur, ſi ſcilicet Chriſtianus excommunicetur, qui cum Iudæo participet. Nunc dubito, an vera illa poſitio ſit, *non teneri eum lege, qui non teneatur pœna legis*, nam mihi eam non probat vulgatum illud ex Conſtantino *in d. l. Mancipia.* Colligunt inde Scribentes argumentũ, quod nõ ſatis ad rem. Si quis Rei-
2 publicæ ſeruũ aliquem ſollicitauerit (inquit Conſtantin.) vt ab ea recedat, alioue ſe conferat, vel auocauerit eundẽ, vt ad ſe iret, is ea pęna tenetur, vt reipub. cum altero ſeruo ſollicitatum reddat. Quærunt Commentatores, an, ſi ſeruũ quidem ſollicitauerim, neq; auocauerim tamẽ, hoc eſt, non venerit ad me ſeruus, ſed alio fugerit, tenear eius legis ſanctione. Et reſpondent, non teneri me ea lege, cũ nec pœna mihi conueniat, non enim poſſe me ſollicitatũ ſeruum, quem non habeo, cum altero ſeruo reſtituere.
3 Sed aliud colligi ex his non poterat, quã non teneri eum pęna legis, qui nõ eo modo deliquiſſet, quo lex requireret;
4 teneri autẽ pęna ſimili arbitrio Iudicis infligenda, quę durior interdũ eſt. Sic lex ipſa interdũ aut pęnam ſubrogat, aut ſubrogandam monet, quoties non ea conuenit, quę indicta ex ordine. Teſtis Venul. *in l. hos accuſare. §. omni-*
5 *bus. ff de Accus.* Docet iſte, ſeruos non fieri reos legis Iuliæ de vi priuata, Pompeię de Parricidijs, Cornelię iniuriarũ, quia cadere non poſſunt in ſeruiles perſonas harũ legum pœnæ. *Sed cum natura* (inquit) *eſt communis, ſimili-*

li-

liter & in eos animaduertetur. Explicat Gothofr. Quia ius naturale commune est omnibus, seu liberi illi, seu serui sint, & hoc postulat delicta puniri, propterea pœna similis infligenda erit. Seruo etiã, qui infamiã sufferre non timet, subrogatur exilij pęna *in l. 2. vers. & si. C. vt intra certa temp. crim. quæ. term.* vnde resoluunt, si cui manus pręcidenda sit, ipse vero manum non habeat, debere ei similem pœnam irrogari.

Absurdum est itaque, non teneri Iudęũ lege ob id solum, quod non ei cõueniat sententia excommunicationis; tenebitur namq; omnimodo, & ad pręscriptũ legis edere cõpelletur, addita extra ordinem pœna, & quidem (si me audiat Iudex) grauiori. *d. §. omnibus.*

Actorem teneri edere Reo, non Reum actori; & cur. *Ad l. 1. & vlt. C. de Edendo.* Cap. CLX.

1 *Arma non sumenda e domo rei.*
2 *Actor, si edere recusat, in dolo est, & cur.*
3 *Positiones iure Pontificio inuentæ.*
4 *Leges negligentibus non subueniunt.*
5 *Vox non est in bonis nostris.*
6 *Reus cur iurare teneatur.*
7 *Et crimen confiteri aduersus se.*
8 *Nec tamen exhibere aduersus se cogatur consanguineos testes.*
9 *Vocalis responsionis singularia multa.*

CVr reus Actori edere nõ teneatur, æstimo satis liquere; Æquissimo namq; iure constitutũ est, ne arma sumãtur e domo Rei. *l. qui accusare. C. de Eden. l. nimis graue. C.*

de Testib.c.1.de probat. At, cur actor teneatur edere Reo, subdifficilior explicatio est, nam & ipse actor rationũ suarum dominus est, & arbiter.

Donel.[a] rem aggreditur, & causam deducit ex *l. vlt.* ibi. *quique doli exceptione. C.de Eden.* Actor (inquit) dũ actio-
2 nem instituit, affirmat, verum omnino fore, quod intendit, & probandę veritatis officium ipse sumit. *d.l. qui accusare.* Ergo nihil recusare potest, ex quo rei controuersę veritas constare possit, alioqui quasi suę intentioni, suoq; cõsilio aduersatur, & in dolo est. Quin & actor instituendo actionem a reo hoc petere intelligitur, vt in sua exceptione verus sit, & boná fidé agnoscat. Igitur hoc ipso, quod instituit, nihil recusat, quo fides veri constare possit, aut, si recusat, in dolo itidem est. Mirum, quam pulchre bonus iste author rem exornet.[β]

Sed Canonum Interpretes fatigat oppositio grauis. Stat Iuris Ciuilis dispositio, non teneri Reum edere Actori, quæ &
3 Pontificio iure comprobatur. *d.c.1.* cũ tamen eodem Iure Pontificio inuectæ positiones sint, quas conficere Actor potest, & reo proponere, vt vel inuitus respondere cogatur. *c.2.de Confess. in 6. clem. sæpe. §. & quia. de Verb. sig.* Quin & ipso Iure Ciuili tenebatur olim Reus interrogatis respondere. *l. 1. l. vbicumque. & paßim. ff. de interr. cum Accurs.* & coactus semper Reus fuit aduersus se crimen confiteri. *l.1.ff. de Quæst.* Cur itaque non edat?

Quęsitũ de ratione differẽtiæ est, in qua laborant omnes. [γ] Et communius placuit, eam esse, quia confessio rei non est sub potestate Actoris, sicut sub potestate eiusdẽ actoris est instrumenta habere, quibus suam probet intentio-

nem

nem. Permitti itaq; Actori debuit, vt implorare confessionem rei posset, sed non pariter subueniendum ei fuit, vt a reo quæreret instrumenta, cum potuerit sibi ipse de his
4 consulere, & prouidere, leges enim negligentibus non suffragantur. *l. non enim. ff. ex quib. caus. maio. &c.*
Sed valere hæc ratio posset (ait Dec.) si canonicæ positiones in causis adhiberentur dumtaxat, quę aliter suapte natura probari non possent, cum tamen in omnibus causis libera sit ponendi facultas.
Aliæ itaque, atq; alię de hac re fuere scribentium sententiæ. Subtilis valde illa, quã author [a] alioqui non tam subtilis nuperrime indicauit; an æque solida, quisquis hęc le-
5 gerit, arbitrator. Vox (inquit) non est in bonis nostris, sicut rationes, & instrumenta. Prohibet lex, educi probationes e domo Rei, non prohibet ab ore Rei. Reus itaque edere non compellitur instrumenta sua, quia dominus rei suæ est, quæ inuito auferri nequit, aut publicari, suam tamen edere vocem cogitur, quia nihil amittit suum. *l. liber homo. ff. ad l. Aquil.*
6 Hinc, & iurare tenetur reus. *l. manifestæ turpitudinis. ff. de Iureiur.* & interrogatis respondere; nam emittere vocem debet, rationes, & instrumenta nõ debet, licet vtriusq; rei alię quoq; causæ, & rationes afferri possint, quas prętereo.
7 Hinc deniq; effici putant, vt cogatur reus aduersus se crimen confiteri, & tormentis subijci, si id postulent indicia. *d. l. 1.* hæc enim probatio est, quæ ex ore depromatur, nõ ex domo; quapropter non cogitur reus aduersus se exhibere consanguineos testes. *l. lege Iulia. ff. de testib. d. l. 1.* quia e domo tunc probatio educeretur, non ex ore; & scio

etiam aliter dici posse, sed res esset alterius instituti.

9 Rationem laudo, quasi ingeniosam; cui & illud adiungi solet, vocalem responsionem Rei posse qualitatem aliquam recipere, vel inuersionem (prout re ipsa recipit a praxi) quam non æque, aut rationes reciperent, aut instrumenta.

At etiam (inquiunt) si reus instrumenta ederet, & rationes, tunc ab eius domo sumerentur arma, quod esse non debet. *d.l.nimis graue*. Sed cum positionibus respondet, contrarium potius euenit, nam plus de suo affert actor, quam recipiat, quippe qui positiones, quibus responderi a Reo desiderat, prius ipse ponit, & veras fatetur aduersus se, quapropter vltra negare eas non potest; alleg. *l. cum precum. C. de liber. cau.* estque in Rei potestate, aliquas ex ijs confiteri, aliquas confutare. *l. Publia. §. vlt. ff. depos.*[ε] Ergo Reus ab actore plus capit, quam ei tradat.

α *Ad d.l.vlt.n.2.C.de Eden.*
β *d.l.1.& vlt.C.eod.*
γ *In d.l.1.vbi Pyrr.Alf.n.56. Ioan.Bolog.n.32.And.Fach.contr.lib. 11. cap. 83.*
δ *Idem Bolog.*
ε *Vbi Alex.*

An Actori teneatur Reus ea saltem instrumenta edere, quibus Reus ipse vsurus in Iudicio est. *Ad l. 1. §. Edenda. ff. de Eden.* Cap. CLXI.

1 *Priuilegium exhiberi in ea sola parte potest, quæ controuertitur.*

2 *Explicatur* c. contingit. de fide instrum.

ET teneri respondent; atque adeo certum id esse, vt nec ambigi quidem de hac re debeat; * videri enim satis apertum *ex d. §. Edenda.* vbi Vlp. *Edenda* (inquit) *sunt omnia, quæ quis apud Iudicem editurus est, non tamen, vt & instrumenta, quibus quis vsurus non est, compellatur edere.* Huc etiam pertinere casum Celestini Pont. *in c. contingit. de fide instrum.* Proposuerat querelam Abbas Sācti Secundi coram Papa, dicens, cogi interdum se plenum, atque integrum priuilegium suum exhibere, vbi quæstio aliqua emergat, atque inde euenire, vt pro vna re multæ aliæ lites suscitentur; quapropter statutum a Pontifice fuit, ne totum priuilegium exhiberetur, sed pars illa sola, quæ controuerteretur. At cur Abbas totum priuilegium edere cogebatur, cum Reus esset? Ait gl. *quia vsurus priuilegio illo erat.*

1

Sed vtrumque male. Nam quod ex Vlpiano allegant, totum inficiunt ignoratione antiquitatis. Sensus est, edenda esse coram Prætore omnia, quæ deinceps edenda erunt coram Iudice dato; nam, nisi Prætori edantur, non intelliget Prætor, sub qua verborum conceptione dictare formulam suā debeat, & Iudex formulæ adstrictus non poterit deinceps eas admittere exceptiones, quas Prætor in sua formula non adiecisset. Hinc nemo cogitur ea edere instrumenta, quibus vsurus non est, nam sola illa necessaria sunt, ex quibus dictari formulā opus sit, & quæ itidem coram pedaneo Iudice edi oporteat. Stat pro vero, de ea editione Vlpianum loqui, quam facere Actor debet, non reus.

2 Cæterum Abbas Sancti Secundi exhibere priuilegium

totum debuit tunc, cum fundare exceptionem ſuam voluit contra Actorem, qui fundatam intentionem ſuam habuit ex Iure communi. Quod itaque dicitur, exhibere eum debuiſſe, quia vſurus erat, impertinens eſt.
Cum receptiſſima ſententia nullibi, vel minimum, ſuaderi videatur, recedam ſolus, & ſtabo regulæ, donec contrarium probetur.

α *Vide ſcripta d.c.1.de probat. vbi Abb.n.15.Dec.n.35.*
β *ibi ver.exhibere.*
γ *Vide Fab. in Rational.*

An edenti liceat proteſtari, valituram editionem in ſola illa parte, quę pro ipſo faciat, nõ in alijs, ex quibus ſubuerti intentio illius poſſit. *Ad l.1.§.edere.ff.de Eden.&c. contingit. de fide inſtr.* Cap. CLXII.

1 *Eatenus edit quis, quatenus vti vult.*
2 *Inſtrumenta edita fiunt partibus communia.*
3 *Proteſtatio in ijs non valet, quæ pendent a Iudice.*
4 *Fiſcus quatenus vtatur inſtrumento ſibi edito.*
5 *Edere dicitur, qui totum edit.*
6 *Priuilegium quomodi edi poßit ex indulgentia Canonis.*

PRoteſtationi hæret communis Doctorum ſchola, α & cum ea Practici ex ſtylo; nam eatenus (inquiunt) e-
1 dit quis, quatenus vti vult. arg. *l.per ſeruum.§.1.de Vſu, & habit.* Quod itaque ea proteſtatione excipitur, id nec produci videtur ad Iudicium, nec de actis fieri, cumque ex actis emanare debeat ſententia iudicantis, palam eſt, nihil decerni ſuper eo poſſe, quod ita exceptum eſt.
At (quicquid Practici de hac re agere ad cautionem velint)

sint) iampridem explosus error iste est frequentioribus Scribentium votis, [c] & reiecta protestatio quasi inutilis,
2 & ociosa. Animaduertunt hi, instrumenta per editionē cōmunicari inter partes, & de actis fieri. *l.2.C.de eden. c. quoniam contra. de probat.* & bene, nam solet editio interdum *communicationis* nomine appellari ex Fab. [b] Igitur posse Iudicem, quod ita exhibitum penes se fuerit, totum parti dare, vt describatur, cum de actis sit, & protesta-
3 tio partis nihil proficere in ijs valeat, quæ a Iudicis authoritate dependent. *c.cum M.Ferrar. de constit.* [d] Hinc singulari quodam iure cautū esse, ne possit fiscus in cau-
4 sa delationis exhibito instrumento vti, præterquam in ea re, ob quam desideratum instrumentum est. *l.2. §. diuus Hadrianus ff. de Iu.fisci.* quasi ius commune in contrarium sit, vt vere est.
5 Sed & aliud suppetit, quo rei veritas plane demonstretur. Edere non videtur is, qui stipulationem totā non edit, ait Vlp. *in d.§.edere.* ergo vi ipsa legis totum edimus, & totum communicamus. At cum Abbas Sancti Secūdi, de quo ante dicebamus, [e] conquestus coram Pontifice esset, sæpius se integrum, ac plenum exhibere priuilegium suum cogi in contingenti aliquo negocio, atque hinc fieri, vt nouæ lites suscitentur aduersus se, indulsit
6 Pontifex remisso Iuris rigore, vt totum instrumentum legatur quidem coram Iudice, & alijs, sed potestas aduersario fiat, vt solam illam partem rescribat, de qua inter partes controuersia est. *d.c.contingit.* At quæ causa fuisset querimonię tam grauis coram Pontifice excitandæ, si potuisset Abbas protestari, se in sola illa parte, quę pro

eo faceret, exhibere velle, nō in alijs, ex quibus nouam aliquam litem pati posset? Igitur plus quam manifestū est, totum id, quod editur, vulgari, publicari, communicarique, quęcumque demum protestatio fiat.

α De comm. Cagnol. ad l. 1. C. de Eden. n. 61.
β De comm. Rip. d. l. 1. n. 9. de magis comm. Mass. ibid. n. 85.
γ In Rational. ad l. 1. §. edenda. ff. de Eden.
δ cum notatis per gl. & alios in l. alimenta. C. de negoc. gest.
ε cap. anteced.

Fisco Actori an edendum quasi ex priuilegio sit.
Ad l. 1. C. de Eden. Cap. CLXIII.

1 *Fiscus priuatorum iure vtitur.*
2 *In dubio contra fiscum, & quando.*
3 *Si fiscus actor est, edit reo.*
4 *Fauorabiliores rei, quam actores.*
5 *Delatori fisci edendum. 9.*
6 *Fiscus triplici ex causa agere cum priuato potest.*
7 *Fisco non editur in capitali re.*
8 *Neque in causa negociationis. 13.*
10 *Reus edit ex causa.*
11 *Delatori fisci cur edatur.*
12 *Instrumento edito quatenus vtatur fiscus.*
14 *Causæ fisco æquiparatæ.*

DVbitant, cum fiscus priuatorum iure vtatur, nisi
1 quatenus expressum de eo sit. *l. item veniunt. §. in priuatorum. ff. de petit. hæred. l. 1. C. eod. tit. l. quod placuit. ff. de Iu. fisci. l. exemplo. C. de probat.* Et cum ita dubitent, in-
2 trare huc Modestinum putant in *l. non puto. ff. de Iu. fisci. Non puto* (inquit) *delinquere eum, qui in dubijs quæstionibus*

nibus contra fiscum facile responderit. Nam, si responderi contra fiscum debet, cum fiscus, & priuatus pari mucrone contendunt. *d.l.non puto.* magis respondendum contra eundem erit, vbi reus prerogatiuam à iure habet, prærogatiuam dico, ne se ipsum iugulet, neu communicare inuitus compellatur, quod suum est; maxime, quia, si
3 fiscus actor est, ipse etiam edere priuato debet. *l.iustum.C.*
4 *de Eden.* & fauorabiliores sunt rei, quam actores. *l. fauorabiliores. ff. de Reg.Iur.*

5 Sed edendum fisco esse in causa delationis, plus quam in aperto est. *l. Senatus censuit. ff.de Eden.l.2.§.item Diui. ff. de Iu.fis.* [a] Non itaque huc pertinet Modestini resolutio. Delator vero, aut actor ipse est, aut vice fungitur Actoris *d.l.2.§.Senatus. cum seq. vbi not.*

Respondi in hac quæstione sæpius, vtramque sententiam stare posse, nam fisco edendum esse quidem, sed quasi ex iure communi, non quasi ex priuilegio. Quod ita ex-
6 plico. Fiscus tribus ex causis agere cum priuato homine potest. Primo ex causa negociationis, pactionis, seu conuentionis. Deinde ex causa delationis. Tertio ex causa capitali ad pœnam. In hac vltima patet, edi fisco non
7 oportere *d.§. item Diui.* In prima statuo idem, videlicet
8 edendum fisco non esse, cum ostendere in ea fiscus [a] priui-
9 legium nullum queat. Restat causa delationis, in qua sola edendum fisco diximus, & dicimus. Sed quæ ratio? An priuilegij? Non puto equidem, nam vnicuique ede-
10 re reus debet, si subsit causa. *d.l. 1.C.de Eden.* atqui eiusmodi est causa delationis, vt edendum fisco fuerit, & qui-
11 dem iure communi, non enim scire potuit fiscus, com-

mit-

mittendum crimen esse, sibique de instrumentis, alijsq; necessarijs probationibus opportune prouidere. Hinc, si
12 fisco editum instrumentum fuerit in causa delationis, nō potest fiscus eo instrumento vti, nisi in re illa præcise, ob quam desideratum instrumentum fuit. *d. l. 2. §. Diuus Hadrianus.*

Est tamen, probatum qui velit, in causa quoque conuētionis, seu pactionis edendum fisco esse, cum sola excipiatur causa capitis *in d. §. item Diui.* cęterū in omnibus causis, vel vsucapionum, vel dominiorum, & nummarijs editio fieri iubeatur.

13 Sed male, nam tota ea lex de delatione est, & ideo edendum pręcipit in omnibus causis capionum, Dominiorum, alijsque nummarijs, quando scilicet in causam incidunt delationis. Hinc bene Cuiac. [a] *Item ita demum reus cogitur delatori edere instrumenta, quæ ad eam causam pertinent, quam se professus est deferre, si detulerit causam pecuniarum. Vt puta, si agatur de iure capiendi, veluti de tacito fideicommisso relicto incapaci, quæ causa est nummaria; vel si agatur de iure dominij, vt si qua res fisci eße petatur; vel si agatur de qualibet re alia pecuniaria nomine fisci, vt tunc ex ea causa reus cogatur delatori exhibere instrumenta pertinentia ad eam causam pecuniariam, &c.*

14 Hæc notabis, nam, si fisco edendum semper ex priuilegio esset, dubitaretur statim, an in causis Ecclesiæ, Minorum, dotis, &c. faciendum idem videretur, cum soleāt hæ fisco (vtinam non sæpius indiscrete) ęquiparari. Bene igitur est, si editio ad causam delationis solam restringatur, quæ propria fisci est.

De

[α] *De comm. Dec. ad c. 1. de probat. n. 13. vbi et Bero. n. 65. Mant. n. 32. & alij. Bol- gnet. ad. l. 1. C. de eden. n. 49. vbi Alf. n. 82. Maſſin. n. 89.*

[β] *d. §. item Diui.*

Aduerſus fiſci delatorem excitata de editione controuerſia. *Ad d. l. 1. C. de Eden.* Cap. CLXIV.

1 *Delatori quid edi oporteat. 3.*

2 *Qui fiſco non exhibuit, cum poſſet, ſubtraxiſſe creditur.*

HAbetur *eadem l. Senatus.* non eſſe delatori edenda niſi inſtrumenta illa, quæ ad cauſam eam pertinent,
1 quam ſe deferre profeſſus eſt. Ergo probare fiſcus debet, inſtrumentum, quod deſideratur, ad cauſam pertinere. At, cum non aliter probare id poſſit, quam, ſi tenorem doceat inſtrumenti illius, arg. *l. ſicut iniquum. C. de fide inſtrum.* quid, obſecro, proficit editio?

Negat communis ſchola, teneri fiſcum ea conditione, vt tenorem doceat inſtrumenti, ſatis namque eſſe, ſi ſummaria aliqua probatio offeratur. *arg. l. 3. §. ſciendum. ff. ad exhib.* Aut enim (inquiunt) negat reus, inſtrumentum penes ſe eſſe, & ſatis tunc eſt, ſi probetur, eſſe, tunc enim contra Reum præſumi incipit, & cogitur edere. Aut fatetur reus, habere ſe inſtrumentum, ſed excipit dicens, non eſſe ad rem, & tunc ſatis fiſco eſt, ſi ſigna aliqua afferat, aut coniecturas, quibus ſuadeat, ad cauſam delationis inſtrumentum facere.

Verius puto, quod & nouioribus [α] placuit, nil fiſcum probare oportere, ſed omnimodo ei edendum, ſi inſtrumẽtum dicit ad cauſam pertinere; Nam, ſi interdum priuato homini editur hoc ſolo obtentu, [β] cur non magis fiſco Sed nec lõge Caliſtrat. in *l. 2. §. Diuus Hadrianus. ff. de Iu.*

fis.

1 *fis.* penes quem si potuit quis exhibere instrumẽta ad causam fisci pertinentia, nec tamen exhibuit, subtraxisse ea creditur, quæ sibi nocitura putasset; At cur subtraxisse videatur, si tenetur fiscus adprobare, ea, quæ non exhiberentur, cum exhiberi possent, ad suam causam pertinere? Nam, si probare fiscus debet, ego certe non teneor exhibere, donec is probauerit; si vero non teneor exhibere, vtique nec præsumor dolo agere.

3 Nec contradicit Maurician. *in d. l. Senatus.* ibi. *Quam quæ ad causam pertinerent*; sensus enim est, non ita compelli reum posse, vt cuncta sua instrumenta, licet extranea prorsus, exhibeat delatori, sed vt illa sola edat Iudicis arbitrio, quæ ad causam pertinere valeant delationis, alioqui non audiri delatorem, &c.

α *Pyrr. Alf. ad l. 1. n. 82. C. de Eden.*
β *Accurs. l. 2. vers. publicum. ff. quemad. test. aper.*

An denuo edere compellatur, qui, cum non teneretur, sponte semel, suaque liberalitate edidit. *Ad l. 1. C. de Eden.* Cap. CLXV.

1 *Officium suum nulli debet esse damnosum.*
2 *Nemo cogitur esse liberalis.*
3 *Qui iure familiaritatis amici fundum ingreditur, non possidet.*
4 *Res semel alienata fit perpetuo alienabilis.*
5 *Eiusdem causæ exempla alia.*
6 *Quæ distinguuntur.*
7 *Qui sua liberalitate edit, ius suum non remittit.*
8 *Explicatur l. pater filium. § quindecim. ff. de leg. 3.*

Haud

HAud crediderim (& id forte crebrius æstimatum) denuo edere compelli eum, qui semel sponte ediderit,
1 cum officium suum nemini debeat esse damnosum. *l. si seruus communis. §. quod vero. ff. de furt.* Adhæret reg. *l. nō omnis. ff. si cer. pet. l. tutori. C. de Negoc. gest. l. vlt. C. ne vxor pro Mari.* Et tex. *in l. si certis annis C. de pact.* Sed & Vlp. cum de precario loqueretur *in l. 2. §. est autem ff. de*
2 *precar. Est enim æquum natura* (ait) *tandiu te liberalitate mea vti, quandiu ego velim.* Et Paul. *in l. qui Iure. ff. de acq. poss.*
3 *Qui iure* (inquit) *familiaritatis amici fundum ingreditur, non videtur possidere.*

Vnum tamen obstare quibusdam visum, quod explicant nouissimi Scriben. [a] nec male. Forte (inquiunt) ratio, quę edibilis antea non erat (sic loqui liceat) si edita semel fue-
4 rit, fit perpetuo edibilis; sicut res, quę antea non erat alienabilis, semel tamen alienata fit perpetuo alienabilis, vt in perpulchra facti specie docet *l. pater filium. §. quinde-*
5 *cim. ff. de leg. 3.* & in specie pignoris *l. vlt. C. de remiss. pignor.* Ita res, quę lucratiua semel facta est, durat deinceps in eadē causa. *l. 1. §. res vero. C de impon. lucr. descript. lib. 10.* & causa, quæ semel delegata, fit in posterum delegabilis, vt volunt DD. [b]

Sed hæc, vel ab opinione pendent, & contrariam habēt Scribentium scholam (vt de causa semel delegata [c]) vel exactiori indigent interpretatione. Nam, si qualitas semel
6 assumpta naturam immutat rei, aut inseparabiliter ei adhæret, concedi possunt. Si vero pure accidentalis est, aut extrinseca, non æque. Enimuero qualitas editionis nec
7 rei naturam mutat, neque inseparabiliter inhæret eidem;

sed

ſed nec ius ſuum remiſiſſe videtur, qui ſola liberalitate exhibuit aliquid; quod enim obijcitur ex *l.* 1 *.C. de his, qui ſpon. pub. mun. ſub. lib.* 10. valet in ſola cauſa decurionatus iure quodam ſingulari ad exemplum non trahendo, vt ſatis arguitur *ex l.* 3 *.C. eod. tit. l. voluntariæ. C. de exc. tut. l.* 2 *.ff. de priuil. Veter.*

8 Quod autem pręcipuum fuerat ex Scæu. *in d. §. quindecim.* vix colligi ab eo potuit. Nam vetuerat quidem teſtatrix, ne liberti illi, quibus prædiolum legauerat cum taberna, partes ſuas venderent, ſed non æque prohibuerat, ne partes venderent, quas ab alijs collibertis redemiſſent, & per hoc valere inſtitutio illa potuit extranei hæredis. Aut verius prohibitio libertis facta non pure, & ſimpliciter facta fuerat, ſed eouſque duratura, donec viuerent colliberti illi, & ideo potuerunt ſinguli ſibi facere hæredes, eiſque proprias etiam partes teſtamento dare, ne dũ eas, quas a collibertis acquiſiuiſſent. Prohibitionem fuiſſe, quoad viuerent, & verbis ipſis ſuadent, & ratione. Verbis; nam ſic ſcriptum teſtamento erat. *Sibique eos habere, & poßidere volo ea lege, &c.* Prænomen *ſibi* pure perſonale eſt. *arg. l. ſi tibi decem. §. ſi quis. ff. de pact. vbi Fab.* [d] Ratione, quam dixi; Nam hæres inſtitutus non tantum partem illam habuit, quam a colliberto teſtator emiſset, verum etiam propriam ipſius teſtatoris, quam tamen habere non potuiſſet quaſi a prohibito alienare, niſi verum eſſet, quod contendimus, prohibitionem alienandi non potuiſſe vltra naturalem cuiuslibet liberti vitam dilatari.

a *Vide Alf. ad l.* 1 *.n.* 70 *.C. de Eden.*

β Ad l. 1. ff. de off. eius. & c.
γ Massin. ad d. l. 1. C. de Eden. n. 71.
δ In Rational.

An iusta edendi causa sit fortuita, atq; inculpata deperditio. *Ad l. si quis ex argentarijs. §. vlt. ff. de Eden.* Cap. CLXVI.

1 *Quæ causæ reum ab editione excusent. 4.*
2 *Argumentum a cessante ratione non valet, si ex pluribus deficientibus vna superest.*
3 *Argentario cur edendum non sit.*
5 *Fortuita deperditio sine culpa est.*
6 *Inter Iustinianum & Mauritium quot anni.*
7 *Officium Iudicis an egredi possit editionum causas in iure expressas.*
8 *Creditor, qui instrumentum amittit, petere potest, vt sibi noua scriptura conficiatur.*

1 PLures simul sunt causæ, quæ Reum ab editione excusent; [a] & cessant eæ quidem, si amissum instrumentum sit. Vna tamen est, quæ adhuc viget, quantũuis deperdito instrumento, videlicet non debere Reum id, quod suum est, in sui exitium alteri communicare inuitum. Adhuc igitur edere non cogetur reus, tritum nam-
2 que est, non valere argumentum a cessante causa, si dispositio pluribus innititur rationibus, & alijs deficientibus aliæ remanẽt. §. *socrum.* §. *affinitatis. Instit. de Nupt.* [β] Inualuit tamen [γ], posse Actorem petere editionem, si vna cum Reo sibi sumpserit copiam (vt loqui solent) seu exẽplum scripturę conuentionalis, & casu amiserit; sic namque expressum putant *in d. l. si quis ex argentarijs* §. *vlt.*
3 Sed ea lex de Argentario est. Huic edi non debet ea ratione, quia instructus esse potest instrumento suæ profes-
sio-

ſionis, vt *ibi*, quæ ratio deficit, ſi quo caſu perditum inſtrumentum fuerit. Actori autem cur non edatur, paulo ante dictum eſt, & quamuis perditum inſtrumentum ſit, illa tamen ratio adhuc manet, & adhuc editionem petenti refragatur.

Equidem pleroſque video a communiori ſententia receſſiſſe,[d] & præcipue Canonum Interpretes,[e] quibus viſa ſatis aperta deciſio Gregorij Pontificis *in c. 1. de probat.* Noluit inibi Pontifex Imperatorem conſtringere, vt Tancredo Vinceſtriæ Regi ſcripturas ederet in eiuſdem Imperatoris Cartophilacio reconditas ea ratione. *Quia nul-*
4 *li dicendum eſt, ea, quæ contra te ſunt, apud temetipſum debes documenta requirere, in mediumque proferre.* Hic nihil habebat Rex, vnde cauſam probaret ſuam, poteratq; eum facti vetuſtas excuſare, cum de conuentionibus ageretur, quę initę cum prædeceſſoribus ipſius forent. Denique caſus Tancredi videri omnino ſimilis poterat amiſſioni fortuitæ, & tamen bene viſum fuit, editionem negari.
5 Reſponderat communis ſchola, caſum antiquitatis non eſſe valde ſimilem amiſſioni, cum fortuita deperditio omnem culpæ ſuſpicionem omnino excludat, quam nó æque excludere ratio vetuſtatis poteſt.

Sed quam decepti ij fuerint, qui ex eo Canone ſic argumentati ſunt, inde colligere eſt, quod conuentiones illæ initæ fuere inter prædeceſſores Tancredi Regis, & Iuſtinianum Principem, petitio vero Tancredi fuit cõtra Imperatorem Mauritium, quo tempore Eccleſiam rexit ſáctiſſimus Gregorius. Inter Iuſtinianum, & Mauritium fuere duo Imperatores, videlicet Iuſtinus II. & Tyberius

rius 2. quorum vterque paucis cessit e vita; quocirca fuit Mauritius post Iustinianum solo interuallo septem annorum circiter. Hæccine illa antiquitas?

7 Non itaque recesserim a communi sententia, quæ benignior est. Nam, vel ita stringitur Iudicis officium (quod non puto) vt egredi causas non possit in iure expressas, quibus edere reus cogitur, & tunc dubitari non nihil potest, quia nulla lex valde exprimit casum deperditionis, & *d. l. si quis. §. vlt.* loquitur inter duos argentarios ex diuersa ratione, vt *sup.* credo tamen omnimodo edi oportere. Aut non ita stringitur Iudicis officium, vt egredi causas illas non debeat, & credo, magnam esse æquitatem casualis amisionis, ob quam præter Iuris regulam decerni editio possit.

8 Et bene facit, quod Accursius, & alij notant. ε Nam si creditor instrumentum suum perdit, nec constare debitum potest a Tabellione, vel alio, potest a debitore petere, vt nouum ei faciat documentum. At quanto magis, vt quod factum fuerit, edatur? ζ

α *Vido Massin. ad l. 1. n. 68. C. de Eden.*
β *Euerar. loco a cessante ratione.*
γ *Vide scripta ad c. 1. de probat & d. l. 1. vbi Bolog. n. 47. Alf. n. 73. & alij.*
δ *Vide Rip. d. l. 1. n. 9 & Mass. prox.*
ε *In d. c. 1. vbi Bal. Abb. Aret. Felyn. &c.*
ζ *Ad l. ne casu. C. de discuss. lib. 10.*

De eadem re. Et conciliatæ *l. 1. C. de Quæst. & l. Diuus Pius. ff. Eod. tit.* Cap. CLXVII.

1 *In quibus causis possit aduersus dominum seruus interrogari.*
2 *Emendata* l. 1. C. de Quæstion.

QVi negant, compelli reum posse, etiam sub prætextu deperditionis instrumenti, vrgere & id solent, quod
1 habetur eadem *l. 1. C. de Quæstion. in fi.* Cum enim possit seruus aduersus Dominum suum in quibusdam causis interrogari, & torqueri, vbi tamen de pecuniaria re agitur, interrogari nequaquam potest, licet magna vrgeret inopia probationum. *In pecuniarijs vero causis* (ait Seuer.) *nec inopia probationum seruos contra Dominum interrogari poße, manifestum est.* Itaque (aiunt) sicut non cogitur Dominus serui aduersus se edere seruum suum, quantacumque demum vrgeat inopia probationum, ita neque instrumentum suum exhibere cogendus est, quicquid vel maxime vrgere videatur.

Complures sunt ad Seuerum responsiones, quæ se ipsas facile ostenderint. Sed neque illis quidem opus erat, adeo certum est, interrogari seruũ posse, si pecuniaria causa sit, neque aliæ suppetant probationes; sic enim Martian. in *d. l. Diuus Pius. Diuus Pius rescripsit, posse de seruis haberi quæstionem in pecuniaria causa, si aliter veritas inueniri non poßit, quod & alijs rescriptis cauetur. Sed hoc ita est, vt nõ facile in re pecuniaria quæstio habeatur; sed si aliter veritas inueniri non poßit, nisi per tormenta, licet habere quæstionem, vt & Diuus Seuerus rescripsit.*

2 Atque ita credendum. Neque obstat Seuerus in contraria lege; nam bifariã legi solet. Et quidem vulgata lectio habet. *Nec inopia probationum*, sed Haloandri altera, quã probant vetustißimi Codices, habet; *Ex inopia probationum*, atque ita construit literam. *In pecuniarijs vero causis ex inopia probationum seruos contra Dominum interrogari posse, manifestum est.*

Et

Et hanc recipi oportere probat Cuiac. a tum quia nullum alioqui discrimen statueretur inter criminales, & pecuniarias causas in quæstione illa Seueri; tam quia cum *d. l. Diuus.* concordant *l. quoties. C. eod. de Quæst. l. serui respōso. ff. de Testib.* tum maxime, quia constitutio opposita legis est Seueri, & Martianus *in d. l. Diuus.* refert Seuerum, qui hæc scripsit ad Antig. Adde Vlp. *in l. 1. ff. eod. de Quæst.* Ergo si in *d. l. Diuus.* memoratur Seuerus, qui conditor fuit legis illius primæ, quæ obijciebatur, patet, legem illam primam eo modo corrigi oportere.

a *d. tit. C. de Quæst.*

An ob deperditionem instrumēti semel, vel pluries edi opus sit. *Ad l. veluti. §. hæc vox. ff. de Eden. & l. vlt. ff. de bon. auth. Iudic. posid.* Cap. CLXVIII.

1 *Dispunctio non plus, quam semel concedenda.*
2 *Et quid ea sit.*
3 *Dispositio quælibet de primo actu intelligi debet.*
4 *Nisi aliud suadeat ratio benignitatis.*

CVm Prætor in hunc modū edixisset. *Argentario, ei ue, qui iterum edi postulabit, causa cognita edi iubebo;* explicat Paul. *in d. § . hæc vox. Hæc vox* (iterum) *duas res significat, alteram, qua demonstraretur tempus secundum, quod Græci* δεύτερον *dicunt; alteram, quæ ad insequentia quoque tēpora pertinet, quæ græce dicitur* πάλιν, *quod ita accipitur, quoties opus erit. Nam fieri potest, vt bis editam sibi rationē quis perdiderit, vt verbum* (iterum) *pro sæpius accipiatur.* Sumus igitur extra controuersiam, maxime, cum primæ,

ſecundæ, & vlterioris editionis ſit ratio eadem. *vulg. l. à Titio. &c.*
Sed obſtare creditur Vlp. *in d.l. vlt.* Ibi ſi plures Creditores miſſi in poſſeſſionem fuerint bonorum debitoris, tūc, ne debitoris rationes corrumpantur, deperdantur ve, vni Creditorum, quem maior pars elegerit, committi negocium debet, vt rationes ipſe recipiat, & deſcribat, non quidem corpora ipſa inſtrumentorū, ſed quot ea ſint, & de qua re; quin & ipſa corpora deſcribat, ſi iuſta cauſa
1 id ſuadeat. Poſt hæc ſic dubitat, ac definit I.C. *Vtrum ſemel, an etiam ſæpius diſpunctio concedenda ſit Creditoribus, videamus. Et ait Labeo, amplius quam ſemel non eſſe concedendam. Si quis tamen iurauerit, non calumniæ cauſa ſe poſtulare, neque habere, quæ diſpunxerit, iterum ei faciendā poteſtatem ait, neque amplius, quam bis.*
Accipiunt hæc multi de cauſa editionis, ſed non bene. Aut, ſi editio eſt, non eſt tamen caſus idem. Mittuntur enim Creditores in poſſeſsionem bonorum, rationumq; & inſtrumentorum debitoris ex pretorio pignore, & ideo in rationibus, atque inſtrumentis illis agunt iam quaſi domini, neque opus editione eſt, niſi inter ipſos, ſcilicet, vt is, cui commiſſum negocium fuit recipiendi, ac deſcribēdi, ceteris creditoribus copiam rei faciat.
Sed, vtcumque ſe habeat res, vrget argumentum. Nam & ſi extra cauſam noſtræ editionis loquitur Vlp. eſt tamē cauſa valde ſimilis, aut quæ ſimili ratione regatur, quare, &c. Quod autem reſpondere ſolent, difficiliorem eſ-
2 ſe diſpunctionem (hoc eſt, datorum, acceptorumque collationem. *l. cognoſcere. ff. de Verb. ſig.*) quam editio ſit,
&

& propterea rarius concedi, id aut ſatis intelligere non poſſum, aut non ſatis probare.
Componit rem ſuo modo Bart. conſiderando verba illa. *Si quis tamen iurauerit, non calumniæ cauſa ſe poſtulare, neque habere, quæ diſpunxerit, iterum ei faciendam poteſtatẽ ait, neque amplius, quam bis.* Sic autem diſtinguit. Ille, qui iuſtis, atque indubitatis probationibus deperditionem probat, ſperare vtique poteſt, ſibi ſemel, bis, ter, atque vltra fieri editionem; qui vero ſolo vtitur calumniæ iuramento, non plus petere, quam ſemel, atque iterum debet. Mihi noua hæc reſolutio omnino placet. Vlpianus *in d. l. vlt.* de noſtra hac editione non loquitur; ſtare itaque argumentum poterit, ſi talis ſimilitudo eſt, qualis præfertur, aut requiritur; vtinam vero ſit. Vt autem bene percipiatur, quod volo, ſi regulam vulgarẽ ſequimur legis, editio poſt caſum deperditionis indulta a lege non neceſſario debet vltra primam editionem replicari, nam diſpo-
3 ſitionem quamlibet, etiam de re interabili, in primo actu conſiſtere, neque vltra progredi, voluit Pompon. *in l. boues. §. hoc ſermone. ff. de Verb. ſig.*[a] Ab hac vero regula in cauſa hac editionis receſſum. *d. §. hæc vox.* in cauſa diſpũctionis non item. *d. l. vlt.*
4 Cur? forte; quia non fuit in vtraque re par ratio benignitatis, vel miſerationis, quæ alibi interdum ſuaſit, vt ab ea regula diſcederetur. *l. hæc conditio. 10. ibi benigne tamẽ dicendum eſt. ff. de condit. & dem.* Qui igitur ex ea lege argumentatur, is parem benignitatis rationem dare tenetur.

a *Dixi Sac. Iu. contr. diſſert. 7. c. 20.*

An deperditio instrumenti plenius prohari debeat, vel solo Iureiurando posit. *Ad d. l. vlt. ff. de bon. auth. Iud. poßiden.* Cap. CLXIX.

1 *Deperditio quibus casibus Iuramento probetur.*

GRauis olim quæstio, in qua sibi ipsi contrarius fuit Bar. [a] Et sufficere Iuramentũ potuit *in d. l. vlt.* sed ibi forte, quia cum grauarentur Creditores, ne plus, quam bis, petere dispunctionem possent, in hoc releuari debuere, vt facilius probarent. Vel iuramentum forte sufficit quasi in leuiori causa, cum non, vt editio, ita & dispunctio alterius fundare posit intentionem. Alibi etiam sola religione sacramenti vtimur in probanda deperditione, cũ in nos ipsos quasi falsitatis reos remigrare editio nostra debet *l. vlt. C. de fide instr*um. Igitur singularis quędam ratio id facit, cum potissimum pro iurante auxilium sit legis aduersus delictum firmiter in dubio præsumentis. *l. merito. ff pro soc. &c.*

Verius est, deperditionem plene, atque ex integro probari oportere, quod & frequentius [b] æstimatum *ex l. si quis ex argentarijs. §. vlt. ff. de Eden. & l. si Creditor. C. de pignor. act.* Nec pretereo, quod animaduersum in hac re est, tunc stari iuramenro in specie nostra, cum non apparet, rem, de qua agitur, fuisse quandoque apud eum, qui nunc habere se eam negat. *l. Prætor ait. §. sed si seruus. ff. de Eden. l. omnia § species ff. de leg. 2. l. vlt § . licentia. C. de Iure delib.* Causam puto esse, quia, si non habuit penes se, præsumitur nunc quoque non habere, & sic præsumptio iuriiurando iungitur, atque integram cum eo

pro-

probationem facit. Hinc ſtatur iuranti de fortuita aliqua deperditione, ſi accedant præſumptiones, vtp. quod probata depopulatio fuerit, incurſus, incendium, &c. cuius rei non inutile argumentum habes *in l. ſi quando. C. vnde vi.* Ergo, ſi quis dicat, habuiſſe ſe quidem, ſed amiſiſſe, & iurare id velit, audiendus non erit, niſi concurrant præſumptones, quæ probationem augeant ſacramenti, quod not.

a In l. emancipatione. in fi. C. de fide inſtr. & d. l. ſi quis ex argentarijs. §. an vero. num. 1.

ß Canon. comm. in c. cum olim. de priuil. vbi Abb.

An petere editionem poſsit is, cuius intereſt, licet non mandauerit. *Ad l. ſi quis. § ex hoc Edicto. ff. de Eden.* Cap. CLXX.

1 *Rationis nomine quid venire intelligatur.*
2 *Argentarij olim munus.*
3 *In his quæ ſunt facti, ſuccedit præſtatio eius, quod intereſt.*
4 *Mandatum quandoque contrahitur aliena gratia.*
5 *Argentario editur ex cauſa.*
6 *Argentarius cur edere debeat.*
7 *Argentarius ſuſcipere mandatum cogitur.*

INualuit,[a] duo hæc coniunctim requiri in petenda editione, mandatum ſcilicet, & intereſſe. *d. §. ex hoc edicto.* vbi Vlp. *Ex hoc Edicto* (inquit) *in id, quod interfuit, actio competit. Vnde apparet, ita demum tenere hoc Edictum, ſi ad eum pertineat. Pertinere autem videtur ad me ratio, ſi modo eam tractaueris me mandante. Sed, ſi procurator meus abſente me mandauerit, an mihi edenda ſit, quaſi ad me pertineat? Et magis eſt, vt edatur.* Notabis verba illa. *Pertine-*

re autem videtur ad me ratio, si modo eam tractaueris me mandante; quasi duo necessaria ad rem, de qua agitur, sint, alterum, vt pertineat, alterium, vt mandetur; aut quasi non aliter pertinere dicatur, quam, si mandetur. Euasio duplex apud eos est, qui contrarium sentiunt.[e] Altera, non requiri in ea lege coniunctim mandatum, & interesse, sed exemplificari interesse per mandatum, vt loquuntur, hoc est, scopum esse Iurisconsulti, vt doceat, probato mandato videri probatum interesse, non tamen
1 vt neget, id, quod interest, alijs probationibus constare, quam ex mandato, posse. Altera, Vlpianum non de ratione illa sensisse videri, quæ scribitur mandante aliquo, sed de ratione, hoc est, negociatione, quę tractatur, geriturque ex mandato, tunc enim sat esse, vt administrata fuerit ex mandato, licet scripta non probetur ex mandato. Nec dubium, hanc quoque esse *rationis* acceptionem, vt negociationem ipsam denotet, quæ tractatur, seu administratur ab aliquo. *l. Labeo. l. libertate. ff. de statu lib. l. quædam. ff. de Eden.*
2 Placet, vt rem melius explicemus. Argentarij olim munus in exercitatione totum erat nummariæ rei. Duabus namque ex causis deferebantur ad Argentarios pecunię; altera, vt tutiore in loco adseruarentur, quam in priuatis ædibus, nam in æde Castoris recondebantur; altera, vt penes eos staret cum fęnore, nam & sub fœnore recipiebant Argentarij, vt deinceps sub eodem alijs darent. Hęc cum ita sint, non video, quo pacto deponi pecunia penes Argentarium posset, vel sub fœnore dari eidem, nisi simul ei mandaretur de ratione conficienda, seu con-

scri-

ſcribenda pro munere, quod ipſe a publico gerendum ſuſcepiſſet. Nam & ſi demus, peti ab aliquo editionem, qui extrinſecus veniat, & nihil omnino mandaſſe ſe proponat, ſed ſua intereſſe probet, vt ſibi exhibeat Codices Argentarius, attamen deeſſe mandatum non poteſt ex natura officij; cui enim a publico permittitur argentariã facere, eidem & tacite mandatur, vt rationes conficiat ſingulorum, ſicuti eo ipſo, quo tutelæ onus alicui demãdatur, ei ſimul mandari intelligitur de concſribendis, edendiſque rationibus, neque opus eſt peculiari mandato pupilli, ſed officio ineſt ipſius tutelæ. *l.* 1. §. *officio. ff. de tut. & rat. diſtr.*

Ergo, vel inepte proponitur quæſtio hæc, vel plaudit Vlp. *in d.* §. *ex hoc Edicto.* Ponit I.C. eum qui non edit, cum edere deberet, teneri Edicto Prętoris ad intereſſe, & be-
3 ne, cum edere ſit facti, & in ijs, quæ facti ſunt, ſuccedat ex ſola Iuris poteſtate pręſtatio eius, quod intereſt. *l. ſi quis ab alio.* §. *vlt. ff. de re Iudic. l. ſtipulationes.* 72. *l. quoties quis alium. ff. de Verb. oblig.* Deinde quærit, quis nam agere ad id poſsit, quod interfuit. Et reſpondet, agere cum poſſe, ad quem pertineat. Ex hoc iterum quærit, ad quem pertinere dicatur, vt agere ad intereſſe poſsit, & an is agere tantum valeat, qui negocium cum Argentario geſsit, vel is quoque, cuius mandato adminiſtratum negocium eſt. Et reſpondet, ſufficere mandatum, atque adeo poſſe eũ agere, vt ſibi edatur, qui mandauit.

At (inquies) quæ tanta ratio fuerat, vt dubitari de hac re poſset? Dicam. Mandatum perſæpe contrahitur aliena
4 tantum gratia. *l.* 2. §. *aliena. ff. Manda.* ergo non videba-

tur

tur bene ſequi, vt ad me ratio pertineret ob id ſolū, quod confecta me mandante eſſet. Et tamen dictum fuit, ſufficere ſolum mandatum, licet aliena tantum gratia intercesſiſſet; & bene. Nam vel ei, qui mandauit alterius gratia, fuerat ab altero mandatum cum facultate ſubſtituendi, & procul dubio ad eum pertinet etiam proprio nomine, cum futurum ſit, vt ei, cuius negocia inutiliter geſſerit, teneatur mandati Iudicio. Aut ei, qui mandauit aliena gratia, nihil fuit mandatum ab alio, & tunc quoque ad eum pertinet proprio nomine, quia ſi quid egerit inutiliter, actione negociorum geſtorū obligatur. *l. ex mādato. ff. Manda.* Et vide Fab.[7] Ergo, ſi mandatum ſolum ſufficit aliena tantum gratia factum, & ſic quodlibet vel minimum intereſſe in petenda editione, vides, longe, lateque erraſſe communem ſcholam, & male acceptum fuiſſe Vlpianum in d. *verſ. pertinere.*

Veritatē explicat quoq; id, quod ex eodem Vlp. legitur in
5 *alleg. l. ſi quis. §. Prætor ait. & §. prohibet. ff. de Eden.* h. v. *Prætor ait. Argentario, ſiue qui iterum edi poſtulabit, cauſa cognita edi iubebo.* Et ſtatim deinceps. *Prohibet Argentario edi illa ratione, quod etiam ipſe instructus eſſe poteſt, & abſurdum eſt, cum ipſe in ea ſit cauſa, vt edere debeat, ipſum petere, vt edatur ei.* Hæc lex (inquiunt Nouiores [f]) non poteſt niſi de ea editione intelligi, quam Argentarius Argentario facit, nam & verba hoc demonſtrant, & ratio, cum priuati contrahentes nulli edant communi iure. Atqui inter duos Argentarios mandati cauſa nulla eſt.

6 Denique (aiunt) ſingulari quodam Iure conſtitutum in Argentario fuit, vt edere rationes debeat. *l. Argentarius. ff.*

ff. de Eden. cum ſcilicet remedium aliud non ſuppeteret, quo obtineri id poſſet. At, ſi mandatum requireretur, ſuperuacaneum eſſet ex Edicto Prætoris ius, nam, ſi edere nollet Argentarius, mandati actio locũ haberet; Vide *l. quædam. ff. de Eden.* Aut, ſi non competeret ex manda-
7 to actio, quaſi non voluntarium mandatum videretur. *l. 1. ff. Manda. l. ſi tibi rem. l. ſi tibi areæ. ff. de præſcr. Verb.* alia tamen actio non deficeret. *l. atqui natura. §. ſi libero. ff. de neg. geſt. l. ſi is qui §. ſi libero. ff. Commod.*
Statues, edendum fore ſemper, ſi pure interſit, quicquid creditum frequentius ſit. Vide *l. Prætor. §. 1. ff. de Eden. l. 3. §. Vlt. ff. ad exhib. l. vlt. ff. de bon. auth. Iud. poſsid. cum not.*

α *De comm. Alf. ad l. 1. C. de Eden. n. 62. Bolognet. ibid. n. 37. And. Fach. contr. lib. 11. c. 84.*
β *Alf. ſup. poſt Purpur.*
γ *In Rational.*
δ *Alf. ſup.*

Editio an Iudicis officio petatur, vel Iure actionis. *Ad l. 1. C. de Eden.* Cap. CLXXI.

1 *Prætores interdum per ſe ipſos agere ſoliti, interdum per formulas.*
2 *Nec iudicabant, ſed ius dicebant.*
3 *Intereſſe probatur iuramento in litem.*
4 *In officio Iudicis non iuratur in litem.*

NOn hic de actione ad exhibendum loquimur, quæ in libro aliquo, ſeu ſcriptura ius dominij aliquod prętendat. Minus de interdicto, quod de tabulis exhibendis eſt, & ad vltimas voluntates pertinet. Sed nec de ea cauſa diſputamus, cum conuentio aliqua præceſsit, de cu-

cuius natura sit, vt debeat quis rationes conficere, constat enim tunc actionem nasci ex cõtractu illo, cuius ob causam editio petitur. *l. quædam. in princ. ff. de Eden.* Tunc itaque disputatio hæc incidit, cum ab eo homine editio petitur, qui sola necessitate officij edere rationes cogitur, vel instrumenta, vt Argentarius, &c.

Communis schola pro Iudice iudicat, & Iudicis officio. [a] Nec desunt iura. Vide *l. 1. C. de Eden. l. si quis. §. Prætor ait. d. l. quædam. l. vlt. ff eod. l. penul. §. vlt. ff. ad l. Falc. l. si ex legati causa. ff. de Ver. obl. iun. l. cum postulassem. ff. de dam. inf.* Et solent ex his quædam retorqueri pro opposita sententia, [b] quæ sat probabilis mehercule esset, traheretque argumentum valde potens, si supponi id posset de mandato, quod in *superiori cap.* reiectum fuit.

Mihi vtraque sententia placet, puto enim editionem officio Iudicis, seu Magistratus peti debuisse, sique contumax ille esset, a quo peteretur, potuisse tunc agi in factũ ad interesse. *d. l. si quis. §. ex hoc edicto. d. l. quædam.* ibi *nõ cogitur a Prætore per metum in factum actionis. d. l. vlt. l. Prætor. in princ. & §. sed si seruus.* ibi, *ac perinde dandum in*
1 *eum est Iudicium. ff. de Eden.* Scimus, consueuisse olim Prætores quædam expedire ex officio, quod nobile nostri dicunt (olim officium Iusdicentis, non Iudicis) quædam per Iudices, qui actionibus, seu actionum formulis deseruirent (mercennarios hodie appellant, vt alibi doceo) Cum itaque potuerit editio olim, & officio Iusdicentis, & per actionem pedaneo Iudici datam expediri, videamus, quid verius sit. At hercle, si fiebat editio Prætoris decreto, non erat pro hac re actio prodita, quia Præto-

to-

2 tores non iudicabant, sed Iudices dabant cum formulis.[d] Prætoris autem decreto fieri consueuisse, probat *l. vbi exigitur. §. is autem. ff. de Eden. Is autem, qui in hoc Edictum incidit* (ait Vlp.) *id præstat, quod interfuit mea rationes edi, cum decernerentur a Prætore, non quod hodie interest.* Tempus itaque inspiciendi, quanti interesset, tunc extitit, cũ decreta a Prætore editio fuit; at non potuit Prætor editionem iubere per actionem, cum non iudicaret, sed ius diceret, vt sup.

Sed & idem Vlp. *in d. §. ex hoc Edicto. Ex hoc edicto* (ait) *in id, quod interfuit, actio competit;* quasi dicat, ex Edicto Prætoris, non aliam oriri actionem, quam ad interesse. Et plaudit rursus, quod ait. *In id, quod interfuit,* non autẽ, *quod interest;* datur enim actio in id, quod interfuit, cum Prætor decreuit, non in id, quod nunc interest, vt *d. §. is autem.*

Nec displicet, quod author quidam ingeniose[e]. Quando (inquit) nobile officium Iudicis competit, seu verius officium Prætoris, Prætor vti consueuit verbo, *Iubebo*, quasi effecturus ipse esset, non alij delegaturus. Vide *l. Prætor ait. ff. de dam. inf.* Quando autem actio datur, tunc eo modo Prætor edicit. *Iudicium dabo. l. 1. ff. de dolo. l. 1. ff. Nau. Caup. & Stab. &c.* Et ecce in nostra hac specie sic Prætor habet. *Argentario, ei ve, qui iterum edi postulauerit, causa cognita edi iubebo. d. l. si quis. §. Prætor ait.* Iubebo, inquit, quod not.

3 Nec prætereo, quod alio quodam Iuris principio Collega olim meus[f]. Si editio (inquit) peteretur in factum actione, posset id, quod interest, probari Iuramento in litem.

l. 4.

l.4. § sed & si quis. cum gl. ff fin. regund. l in actionibus cū Bart. & alijs. ff. de in lit. iuran. At non iuratur hic in litē, sed legitimis, ac veris probationibus probari id, quod interest, debet. *l. Argentarius. §. cum autem. ff. de Eden.* si quidem officium Iudicis inuocatur, in quo non iuratur in
4 litem. *l. harum actionum. cum gl. vlt. ff. si seru. vendic.* Hęc ille ex alijs.

α *De comm. Afan. ad l. 1. n. 145. C. de Eden.*
β *Pro qua passim Fab. in Rational. ad tit. ff. de Eden.*
γ *Dixi Sac. Iu. contr. diss. 3. c. 5. n. 8. & diss. 9. c. 13. n. 6.*
δ *Dixi eod. c. 5.*
ε *Alf. d. l. 1. n. 160.*
ζ *Massin d. l. 1. n. 113.*
η *ver. condemnabitur.*

De eadem re, & cur mandati, aut locati actione edere non compellatur Argentarius. *Ad d. l. 1.* Cap. CLXXII.

1 *Lucrum Argentarij vnde.*
2 *Mandatum debet esse gratuitū.*
3 *Et voluntarium.*
4 *Mandatum duplex.*
5 *An de ratione mandati sit esse voluntarium.*
6 *Actio prӕscriptis verbis quando competat.*

1 LVcrum habet Argentarius quidem, sed a publico. Non ergo ex vi pactionis illius, quam cum priuato homine contraxit. A publico (inquam) hoc est, quasi ab officio, quod publice exequitur, non quasi a pacta mercede. Nec mirum itaque, si *locati* actione non teneatur. Mādatum quoque habet a priuato, vt scribat, nec tamen percuti potest *mandati* actione, nam nec gratis aliquid, nec voluntarie facit, cum & lucrum capiat ex officio, & ne-

negare officium non possit, quod a publico suscepit, vt
2 petentibus impartiret. Mandatum enim, & gratuitum esse oportet. *l. 1. l. ita vt. §. simili modo. ff. Manda. l. si tibi rem. in princ. & §. Iulianus. (alibi l. si tibi areæ) ff. de præscr.*
3 *verb.* Et voluntarium. *l. atquin natura. §. si libero ff. de ne-*
4 *goc. gest.* Nec male ij, qui duplex mandatum faciunt, alterum, quo obligatio inducitur, alterum, quo simplex admonitio. Argentarius (inquiunt) publicum munus exequitur, & a publico; quisquis ergo eum rogauerit, vt scribat, non mandare ei dicitur, sed monitum de eo facere, quod publice exequi iubetur.

5 Rogabis, an de ratione mandati sit, vt voluntarium esse debeat, non coactum. Responderit Paul. *in d. §. si libero.* non esse mandatum, si necessitate impleri debeat. *Si libero homini* (inquit) *qui bona fide mihi seruiebat, mandem, vt aliquid agat, non fore cum eo mandati actionem, Labeo ait, quia non libera voluntate exequitur rem sibi mandatam, sed quasi ex necessitate seruili. Erit igitur negociorum gestorũ actio, quia, & gerendi negocij mei habuerit affectionem, & is fuit, quem obligare possem.*

Sed contrarium huic est, quod Pompon. scribit in *l. si is qui. §. si libero. ff. commod.* vbi de eo itidem, qui bona fide seruit, sic habet. *Nam & Celsus filius aiebat, si iussissem eũ aliquid facere, vel mandati cum eo, vel præscriptis verbis experiri me posse.*

Habes legum antinomiam, quam pluribus soluere Glossator nititur, [a] atque interim residet cum Paulo. Sed immo (ait Fab. [b]) antinomia nulla est, nam Labeo docuit, non competere mandati actionem, quem Paulus secutus

est,

eſt, & bene. Pomponius vero poſt Celſum non affirmat actionem dari ex mandato, ſed dubitat, vtra actio detur, 6 mandati ne, an præſcriptis verbis, & quidem ſumma ratione, cum de hac re quæſtio fuiſſet inter Iuriſconſultos, & actio præſcriptis verbis competere tunc poſſit, cum de nomine, vel de iure actionis dubitare contingit.

Nec ſit, qui credat, concurrere vtramque actionem poſſe. Nam ſi verum eſt (quod veriſſimum) actionem dari præſcriptis verbis, quando incertum contractus nomen eſt, incertumque ſimul, quæ actio competat. *l.* 1. 2. *&* 3. *l. quoties. ff. de præſcript. Verb.* ſequitur, ſubſidiariam eſſe actionem iſtam, neque ideo concurrere poſſe cum mandati actione γ.

α *d. l. ſi is qui. §. ſi libero.*
β *Ibid. in Rational.*
γ *Alf. d. l. 1. n. 168. C. de Eden.*

Quę ſit abſoluta in Principe poteſtas, & an aliqua. *Ad l. Princeps. ff. de ll.* Cap. CLXXIII.

1 *Duplex poteſtas in Principe.*
2 *Tyranno voluptas propoſita, Regi honeſtas.*
3 *Abſoluta poteſtas in Principe quæ.*
4 *Princeps ſuæ legi quodammodo obnoxius.*
5 *Omnia eſſe Principis quo ſenſu dictum.*

SVnt, qui plus æquo Principum auribus prurientes duplicem eis tribuant poteſtatem. Vnam, quæ dicitur *ordi-* 1 *naria,* & iſta ſub lege eſt, non tamen quoad vinculum, quia Princeps legibus ſolutus eſt. *l. Princeps. ff. de ll. l. digna vox. C. eod. tit.* ſed quoad ſimplicem obſeruantiam, ſer-

ſeruat enim legem ſuam Princeps, licet ea non teneatur. *d. l. digna vox*. Alteram, quæ *abſoluta* vocatur, totaque eſt in derogatione iuris ordinarij, & definiri ſolet, vt ſit *plenitudo poteſtatis, ſeu plenitudo arbitrij nulli omnino neceſſitati ſuppoſita, nulliſque Iuris, ſeu publici, ſeu priuati regulis coarctata*.

Hanc vero diſtinctionem Ordinariæ, & abſolutæ poteſtatis in Principe ſuæ Reip. bene conſulturo non tantum non approbat bonus Couarr.[a] ſed & falſiſsimam eſſe affirmat, atque adeo abſurdam, vt mirari non deſinat, viros vtriuſque Iuris peritiſsimos eam credere potuiſſe.

Iungitur ratio; Nam, quod agit Princeps ex libera illa, & abſoluta poteſtate, aut omni iure, etiam diuino, & naturali facere permittitur, & tunc, ſi vel cunctis deroget legibus, quæ ab eius authoritate dependent, id vtique ad ordinariam pertinet poteſtatem, nam, vt proprijs legibus ſolutus ſit, ordinarij Iuris eſt. *d. l. Princeps*. Aut non permittitur Iure aliquo; & tunc effrenis hęc in Principe poteſtas, ſeu libido ad Tyrannidem vergit, nec ſine iniuria eſſe
2 poteſt; eſt enim Tyranno voluptas propoſita, Regi honeſtas, vt aiebat Philos.[b] Quapropter abſolutam hanc in Principe licentiam non tantum ex legibus, legumq; Cómentatoribus, verum etiam ex ſacris, prophaniſque literis, ex Philoſophis, Theologis, Poetis, & ex omni ſcriptorum genere apte refutat Arr. Pinel.[c] aureumque illud eſt, quod Auguſtinus[d] ait, *remota iuſtitia nihil aliud Regna eſſe, quam magna latrocinia*.

3 Ego abſolutam Principis poteſtatem (ſi quæ eſt) mihi eã facio, vt ſit quaſi a Principe legis ſoluto. Princeps legibus

ſolutus eſt (ait Vlp. *in d. l. Princeps*) debet tamen legibus ſe alligatum profiteri, cũ & legibus viuat. *d. l. digna vox.*
4 *l. 3 C. de Teſtam. §. vlt. Inſtit. quib. mod teſt. infir.* Debet, inquam, quia decet, quia honeſtum eſt, ſic ſuadente naturali ratione, nam, quia caput eſt Reip non debet a proprijs membris velle ſeparari. Hinc protrita illa. *Patere legem, quam ipſe tuleris. c cum omnes. de Conſtit.* & rurſus. *Pareto legi quiſquis legem ſanxeris;* nã, quod ait Claudian,

---------- componitur Orbis.

Regis ad exemplum. -----------

Igitur diſtinguere mihi ſcribentes debent Imperij legem a voce Principis. Imperij lex ſolutum Principem facit. *d. l. Princeps.* ſed vox Principis alligatum profert. *d. l. digna vox.*[6] Ergo, quod facit Princeps propria ſolutus lege, ad abſolutam pertinet Principis poteſtatem; quod vero facit quaſi executor propriæ legis, ad ordinariam ſpectat, vt hoc exemplo. Rem, quæ mea eſt, Princeps ſibi aufert, deque ea deliberat, quaſi dominus ipſe eſſet; non hercle
5 poteſt; nam communis illa vox, *omnia eſſe Principis*, ſic ex Seneca intelligitur, vt omnia Rex imperio poſſideat, ſinguli dominio; ſaufert tamen, ſed cum aliqua cauſa cõmunis boni, & non quaſi Dominus ipſe ſit; poteſt vtique, & quidem ex abſoluta poteſtate, quæ alioqui illicita eſſet, & cum vitio Tyrannidis.

Sed obijciet Couarr. Princeps ſic agendo ex cauſa contra legem derogat diſpoſitioni legis, at derogandi poteſtas eſt in Principe Ordinarij Iuris, non abſoluti.

Reſp. (& nota) derogare legi poſſe Principem Ordinario Iure, nam, cum derogat, iam lege illa non viuit, quæ ab-

rogata est. Sed salua lege, qua viuit, contra legem agere, etiam ex causa iusta, absolutum quid est, nam se ipsum dispensat ex plenitudine suæ potestatis.

Sic absoluta Principis authoritas legis quidem deserit viã, sed non rationis.

α lib. 3. Variar. c. 6. n. 8.
β Polit. 5. 10.
γ par. 1. Rub. C. de rescind. Vendit. c. 2. n. 25.
δ de Ciuit. Dei lib. 4. c. 4.
ε Dixi ad c. 1. de Constit.
ζ Dixi d. c. 1.

Ecclesiam condere leges posse, & quidem veras. *Ad cap. 1. de Constit.* Cap. CLXXIV.

1 *Deuteronomium interpretatur lex secunda. 6.*
2 *Christus ab Ecclesia abstulit iugum legis veteris. 5.*
3 *Præcepto legis addi quid, aut detrahi quotupliciter intelligatur.*
4 *Leges vniuersali Ecclesiæ indictæ quæ.*
7 *Præcepta Pontificis Iudæorum an veræ leges.*
8 *Lex an ex eo dicta, quod liget.*

DElirant Hæretici, cum & docent, & scribunt, posse Episcopos omnes, adeoque & Romanum Pontificẽ certos in Ecclesia Ordines constituere, quibus disciplina conseruetur Christiano homini apprime vtilis, veluti, quibus diebus eundum ad Templum sit, quo modo, aut per quos psalmi concinendi, vel scripturæ legendæ in ea, sic tamen, vt eæ constitutiones intus non obligent, præterquam ratione scandali, posintque a fidelibus non seruari, si de hac re scandalum pusillus non patiatur. Quapropter, neque Episcopo, neque Pontifici ius esse veras cõdere leges, quæ animas Christianorum valeant alligare. Et sunt pleraq; argumenta penes Bellarm.[α] & alios, [β] quibus

id probare se posse sperauerint Dæmones illi.

Sed præcipuum a Deuteronomio est *cap. 4. & 12. iuncto c. per venerabilem. ver. rationibus. Qui fil. sint legit.* si sic
1 arguamus. Deuteronomium interpretatur lex secunda, scilicet, vt, quod illic decernitur, in nouo testamento debeat obseruari *d. vers. rationibus*. Atqui in eo sic legimus *d. c. 4. Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo.* Et in *c. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, non addas quicquam, neque minuas.* Videāt Ecclesiæ proceres, an quid addere ad Euangelium debeant, quod tanto perfectius veteri testamento est?

2 Addunt, abstulisse Christum ab Ecclesia iugum veteris legis, & onus promisisse nouæ legis suaue *Math.* 11. Ergo Ecclesiasticarum quoque legum pondus adleuasse; nam Ecclesiasticas leges decuplo plures esse, quam illæ essent Iudæorum, si quis conferat volumina illa grandia Pontificij Iuris, conciliorū tomos, bullasque prope innumeras cum Pentateucho Moysi.

Sed hæc, quæ præcipua apud eos sunt, neminem, qui sanæ mentis sit, valde commorint; & cum perplures habeat solutiones, Deuteronomij locus penes Bellarm. ea tamē
3 obtinuit, bifariam intelligi posse, vt aliquid præcepto addatur, minuatur ve ex eo. Vno modo, vt præceptum pręcepto adijciatur, veluti, si decem præceptis addantur duo, fiantque duodecim. Alio, vt non quidem præcepta multiplicentur, sed, vt plus aliquid, vel minus fiat, quam præcepto contineatur; veluti, si iubente Deo, vt in paschate singuli agni per familias singulas edantur, velit vna familia aut duos, aut dimidium agni manducare.

Scri-

Scriptura itaque Deuter. (ait Bellarm.) non prioris generis additamenta prohibet, sed posterioris, non enim Principes adloquitur, quorum est leges condere, sed populum, cuius est obedire, quapropter neque aliud præcipere eo loci potest, quam, quod subditis conueniens est, scilicet, vt adamussim pareant, & præcepta legum impleant, nullo addito, aut detracto.

Iungit, non prohiberi ea lege additamenta illa, quibus diuina præcepta plus perficiantur, quam inficiantur, corrumpantur ve, vt hoc exemplo. Ait lex. *Non furaberis*; vtique, qui non tantum non aufert, quę alterius sunt, sed & illa largitur, quæ sua sunt, is non destruere præceptũ dicitur, sed melius seruare. At, cum lex dicit. *Solum sacrifices oues, & boues, & aues mundas*, si quis etiam canes, sues, & homines sacrificio offerre voluerit, is addẽdo corrumpet, quo exemplo ipsa met vtitur Deuter. lex. *d.c.* 12.

4 Alterius oppositi duplex euasio. Vna negat, plures esse Ecclesiæ leges, quam olim Iudęorum, nam, quæ vniuersali Ecclesiæ indictæ fuere, quatuor dumtaxat sunt, vel ad sũmum quinq; vt annuæ confessionis, annuæ cõmunionis, de Ieiunijs, de festis diebus, & de soluendis decimis. Reliquæ, vel ad status quosdam particulares diriguntur, quos Christiani homines sponte suscipiunt sua, vel ad Iudiciorum ordines. Vide Bellar. Suar. &c. Alia

5 docet, voluisse Christum a cæremonialibus, ac iudicialibus Moysi præceptis liberos non esse, quia ceremoniæ illæ figuræ erant noui testamenti, decebatque, vt re ipsa præsente cessarent. Iudicialia vero præcepta proprium statum, ac regimen intuebantur Hebraici populi, quo

mutato, præcepta quoque, ac leges mutari debuere. Cæterum, & in veteri testamento plura diuinis legibus addita fuisse a Regibus, & in Nouo ab Apostolis, probāt illi ipsi Authores supra omnem hæreticorum perfidiam. Ego, his post habitis, vt magis quid effici potuerit, quam quid factum fuerit elucescat, vtriusque testamenti paginā sic coniungo.

6 Deuteronomium interpretatur secunda lex, vt ante. Illic vero sic scriptum legimus c. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malū de Israel*. Ergo, & qui nunc Romano Pontifici non obedierit, morte morietur.

Garriant illi modo, & dicant, puniri hic eos, qui per superbiam, hoc est, per contemptum, & scandalum parere detrectent imperio Sacerdotis, nam sic denuo argumen-

7 tabor. Præcepta Pontificis Iudæorum ex imperio, & iurisdictione erant, vt ibi. *Sacerdotis imperio*. igitur & animas alligebant Iudaicæ gentis, cum mortem inferrent nō seruantibus; nec admonitiones erant, aut cohortationes, sed veræ leges, ergo magis præcepta Romani Pontificis, qui in nouo testamento maioris est authoritatis, & dignitatis.

Iungere nunc possis, quod legitur *Math. 26. Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis*. Nam, si quęrimus, quid sit *ligare*, in hoc vtique verissimæ legis rationem introspiciemus; sunt enim qui putent, legem *a li-*

8 *gando* dictam; & licet grammaticalis ratio non valde faciat, vt alibi dico, qui tamen ita docent, illud simul statuunt,

tuunt, & vere, legis ſubſtantiam totam in ligando eſſe. Ipſa, ni fallor, Euangelica lex bene nobis explicauerit, ligare nihil aliud eſſe, quam leges condere, nam eiuſdem *Math. 27. Alligant* (ait Chriſtus) *onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Hunc vero locum de legũ præceptis eſſe, quæ onerarent, cogerentque, dubitare nemo potuit.

Redeo ad *d. c. 1.* & quidem vexillum ſatis explicare videor Eccleſiæ militantis. Hæc principatum cum erexiſſet a petra, ſcalptore Chriſto, cęlicis illis notis, quas non tempus edax, non inferni virus, aut vires vllo vnquam tempore delere poſſent, inciſa. *Paſce oues meas.* mox tanquam ab Oraculo Concilij Meldenſis trino illi, ac perfecto verborum numero myſticum quinquenarium adiecit *in eod. c. 1. Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus*. O quam iuſte ſe effert, quam ſancte ſuperbit, quam glorioſe triumphat?

[α] *De Rom. Pont. lib. 4. c. 15. vſque ad 22.*
[β] *Suar. de ll. lib. 4. c. 1. Salas. ibid. diſput. 8 ſect. 1.*
[γ] *In prælect. ad Rub. de conſtit. part. 4.*

An ferendæ legis poteſtas ſit præcipue in Concilio generali, vel in Romano Pontifice. *Ad c. ſignificaſti. de Elect.* Cap. CLXXV.

1 *Romanus Põtifex quibus ex cauſis iudicari poſſit, et puniri. 4.*
2 *Et an poſſit in hæreſim labi.*
3 *Pontifex ſchiſmaticus eſt dubius Papa.*
5 *Potentia agendi principalius in toto eſt, quam in partibus.*

VEritatem, quam pro Pontifice eſſe credimus, & hæretici nobis, & Catholici controuertunt, [a] ſibique in ea

primum aduersantur Glosatores Iuris; [a] Est autem præcipua eorum definitio, qui Concilij generalis causam tuentur, potestatem ligandi, soluendique præcipue Ecclesiæ tributam a Christo esse. Verum quia non semper congregari illa potest, supremamque hanc exequi potestatem, proinde institutum fuisse a Christo Romanum Pontificē, qui eam Ecclesiæ nomine exerceret. Hinc, si obierit Papa, si depositus sit, si Concilio adesse noluerit, non propterea Concilium esse corpus quasi mutilum, sed perfectum, quod & ferre leges posset, & omnia peragere, quæ Pontificię sunt potestatis. Quin & iudicari Papam, & puniri ab eo posse, si opus sit. Denique Papam esse in Ecclesia id, quod est in Veneta Repub. Dux.

Sententiam, quam veriorem dico, & quæ Pontificem Concilio præponit Ecclesiæ generali, fere communem esse, & fere etiam de fide, docet Bellar. [y] Porro, si Pontificijs legibus agenda res est, nihil proficimus, nam, si hæretici sunt, male negligent, si Catholici, male distinguent. Vide tamen *d. c. significasti de elect. cum alijs pluribus.* [d] At Conciliorum decretis credere par est; Volo equidem, sed hæc pro Romano Pontifice pene omnia sunt, & præcipue Lateranense vltimum *sub Leone* 10. *sess.* 11. quę enim de Constantiensi, & Basileensi Concilijs opponuntur, sic apte refutat Bellarm. *sup.* [e] vt mirum sit, potuisse eos, qui ex aduerso sunt, ipsorum testimonijs vti. Quod autē legitur 1. *Corint.* 5. *Congregatis vobis, & meo spiritu.* Et quod *Act.* 15. *Placuit nobis collectis in vnū mittere ad vos, &c. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. &c.* nullam necessitatem inferunt agendi, cum, vel ex more sic fieret, qui tunc

vigebat, vel ex contingentia facti. Vide Salas. ζ.
1 Dicent, posse Romanum Pontificem iudicari, ac deponi, si deuius a fide est. *c. si Papa. dist.* 40. Si incorrigibilis, η si schismaticus, vt vere loquitur Concilium Constant. *sess.* 4. At hæc singularia sunt, si vera sunt. Pone, ex his Pontificem iudicari posse, magis argues, ex reliquis non posse. *l. quod vero contra. l. ius singulare. ff. de ll.* Dixi, si vera sunt,
2 nam satis dubium, possit ne Romanus Pontifex in hæresim labi, nec tantum vt Pontifex, sed vt priuata persona. θ Si possit, plerique autumant, iam non esse Pontificem, sed desinere, & veluti priuatum quendam iudicari. ι Dubium quoque, an incorrigibilis Pontifex Ecclesiæ iudicio subijci queat. κ Quod si schismaticus sit, hunc quasi Pon-
3 tificem iudicari, nec volumus quidem, cum sit dubius Papa, adeoque non Papa, vt ait Bellar. λ
4 Æstimare etiam possis, in casibus, quibus iudicari potest Romanus Pontifex, & puniri, nihil a Concilio generali fieri quasi ex Imperio, vel ex Iurisdictione in Pontificem, sed quasi ex naturali quadam defensione. Nam, si supremum caput, aut langueat, aut recisum sit, iam mysticum Ecclesiæ corpus regere se ipsum debere per particulares Ecclesiæ Proceres, seu Principes in vnum coactos, & pro vniuersalis Ecclesiæ defensione ea, quæ oportuerit, constituere ad tempus duratura; nunquam tamen legibus in perpetuum valituris Ecclesiam, eoque minus cum Ecclesia futurum Pontificem obligare posse μ.
Sic valet, quod obijciunt, Papam Ecclesiæ membrum, & quasi partem in toto esse, adeoque amputandam, si totũ inficere corpus possit. Nam fieri id posse non dubitamus,
sed

ſed quaſi ex defenſione illa naturali, qua ſe totum colligit contra partem, ne inficiatur ab ea.

At etiam (inquit Bellar.[r]) vel obiectio de Eccleſia loquitur cum Papa, vel de ea ſine Papa. Si ſine Papa, iam Eccleſia non eſt totum, ſed pars, & quidem maior ſuo capite magnitudine molis, ſed minor amplitudine virtutis, ſeu authoritatis. Si cum Papa, tunc maior eſt authoritas Eccleſiæ extenſiue, ſed intenſiue æqualis, ſicut ens, vt Deum comprehendit ſimul, & creaturas, non eſt maius bonum, quam ſit ſolus Deus intenſiue, ſed extenſiue maius eſt, quia ſunt plura bona.

5 Nec valet, quod denuo inculcant, potentiam agendi ſemper principalius eſſe in toto, quam in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius, ſicut principalius dicitur homo videre, quam oculus.

Nam reſp. verum eſſe in corporibus Phyſicis, in quibus virtus procedit ab eſſentia ad potentias, cum tamen in myſtico Eccleſiæ corpore proueniat ab extrinſeco, hoc eſt, a Deo. Vel dixeris, principale agens in quolibet corpore, quod membra ſuſtentet, & moueat, eſſe ſuppoſitum, hoc autem in Eccleſiæ corpore ipſum eſſe Chriſtũ.

Vnum valde reſiſtit, quod habemus *Math.* 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Eccleſiæ.* Nam & Papa frater eſt, & Chriſtianus, qui dicere Eccleſię peccantem debeat, hoc eſt, Prælatorum cætui.

Et quia reſponderi poterat, Eccleſiæ nomine intelligi Epiſcopum. *c. nouit. de Iudic.* aut fidelium cętum cum ſuo capite ex Cypr.[s] ſtatim occurrunt, verba hæc Petro dicta eſſe, quaſi qui Tribunal quoddam maius agnoſcere debeat;

beat, numquid enim ſibi ipſi dicere Petrus debeat? Aiunt, ipſum quoque Petrum, poſtquam priuatim corripuerit, teſteſque adhibuerit, Eccleſiæ, hoc eſt, ſibi ipſi dicere debere. Rectius dixeris, verba Petro dicta eſſe, non vt Pontifici, cum adhuc Pontifex non eſſet, ſed vt cuicũque; nam vt Pontifex non frater eſt, ſed pater, & Iudex, qui compeſcere filios debeat, non accuſare.

α *Vide Abb. ad c. ſignificaſti. n. 3. de Elect. vbi Dec. n. 7. & aly.*
β *ad c. Anaſtaſius. ver. Concilio. diſt. 19. & c. vbi periculum. ver. Concilio. de Elect. in 6.*
γ *De Concil. lib. 2. c. 14. verſ. vlt. & c. 17. in princ.*
δ *Vide eund. Bellar. d. c. 17.*
ε *Sup. c. 19.*
ζ *de ll. diſp 8. ſect. 3. n. 24. & c.*
η *Gl. d. c. ſi Papa. ver. a fide.*
θ *Vide Bellar. de Rom. Pont. lib. 4. c. 6. Barbo. Iu. Eccl. lib. 1. c. 2.*
ι *Vide Suar. tract. de fid. diſp. 10. ſect. 6. n. 6. Azor. Inſtit. par. 2. lib. 4. c. 7.*
κ *gl. d. c. ſi Papa Dec. d. c. ſignificaſti. n. 9.*
λ *ſup. c. 19. de Concil.*
μ *Vide Suar. de ll. lib. 4. c. 6. n. 2.*
ν *d. cap. 19.*
ξ *Epiſt. 9 lib. 4.*

An Romanus Pontifex ſubmittere ſe ipſum alterius imperio, vel Iuriſdictioni poſſit. *Ad cap. nos, ſi incompetenter.* 2. q. 7. Cap. CLXXVI.

1 *Unuſquiſque poteſt alterius poteſtati ſe ſubmittere.*
2 *Poteſtas Papæ a iure diuino.*
3 *Eiuſque iudicium reſeruatum Deo.*
4 *In Iudicio perfecto poteſtas gemina.*
5 *Romanus Pontifex ſibi arbitrum ſtatuere poteſt.*

AFfirmant Gloſatores referente Decio; [α] nec deſunt, qui pro his ſententiam dicant, & quia generale eſt cui-

1 cuique, vt subijcere se sua voluntate possit, etiam Minori. *l. est receptum. ff. de Iurisd. om. Iud.* & quia Leo Pontifex se Ludouico Imperatori submisit *in d. c. nos, si incompetenter.* h. v. *Nos, si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare Iudicio.*

Et, quia statim occurri poterat, valere hæc in Iudicio quodam discretiuo, propterea rursus obijciunt, quod sequitur in tex. *Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeat, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria) diligenter exquirant; & non tantum hæc sola, quæ superius diximus, quærimus, vt examussim exagitent, sed, siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negocia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod eis indiscussum, vel indiffinitū remaneat.* Atqui verba hæc. *legitimo terminentur examine*; Eaque rursus. *Indiscussum, & indiffinitum remaneat.* satis ostendunt, verissimi Iudicij causam agi.

Sed hæc obstare minime potuerunt, ne in contrariam sententiam iretur frequentibus votis, [a] cum potestas, & præ-
2 rogatiua Papæ sit a Iure diuino. *c. ita dominus. dist. 19.* &
3 de eo iudicium reseruetur Deo. *c. aliorum. 9. q. 3.* nec possit Papa, vel in diuino Iure dispensare, vel Iudicium suo superiori, hoc est, Deo reseruatum alicui demandare. *arg. c. si diligenti. c. significasti. de fo. compet.*

4 Notat Bellarm. [b] in Iudicio perfecto duplicem potestatem reperiri; Primam, quæ discutiendi est, discernendi-

que

que, ac iudicandi, quid agendum videatur; Alteram, quæ est cogendi eũ, qui causa ceciderit, vt sentẽtiæ pareat aduersus se latæ. Vtramque vero Iudici proprie dicto traditam videri, qualis est Princeps, aut Prætor a Principe constitutus. Sed primam non tam Iudicum esse, quam Arbitrorum, quorum sententijs & si tenentur stare homines, id tamen non vi sententiæ faciunt, cum Arbitri cogere nequaquam posśint, sed iure naturæ, quo promissa seruare debent,

5 Iam itaque Romanus Pont. non poterit Iudicem proprie dictum supra se constituere, sed veluti Arbitrum, cuius sententiæ si non obtemperarit, faciet, quod non debet, nõ autem, quod non potest.

His oppositio tollitur ex *d.c. nos, si incompetenter.* cum se subiecerit procul dubio Pontifex Imperatori, misśis ve ab eo, vt terminarent, discuterent, definirentque quasi Arbitri, non quasi veri Iudices, qui cogere possent.

Cęterum regula *d. l. est receptum.* pontificię dignitatis culmen non pertingit.

a *Ad c. Ecclesia. S. M. n. 17. de Constit.*
b *Dec. ibid.*
c *De Concil. lib. 2. cap. 18.*

An posśit Romanus Pontifex sibi successorem eligere. *Ad c. Apostolica.* 8. q. 1. Cap. CLXXVII.

1 *Beneficia, et officia Ecclesiastica hæreditario Iure nemo vendicat.*
2 *Petrus sibi succesśorem elegit.*
3 *Electio Pontificis totius Ecclesiæ est.*
4 *Princeps ius alteri quæsitum auferre quando posśit.*

5 *Et*

5 *Et quando ex potestate absoluta agere.*
6 *Iniusta lex non est lex.*
7 *Dispositio quælibet cẽsetur facta eo tẽpore, in quod confertur.*
8 *Pontifex an cui libeat resignare Papatum queat.*
9 *Moriendi verbum vitæ ne, an morti tribuendum.*

APostolica authoritate prohibuit Innoc. 2. *in Romano Concilio*, ne quis Ecclesias, & præbendas, præposituras, Capellanias, aut aliqua Ecclesiastica officia hæreditario Iure vendicare, aut expostulare præsumeret. *d. cap. Apostolica.* Ne autem obijci statim posset, sibi Petrum ipsum elegisse Clementem. *cap. si Petrus. cum seq. ead. 8. q. 1.* propterea ibidem Gratian. §. *his omnibus. Illud* (inquit) *B. Petri Apostoli ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi successorem B. Petrus quæsiuit.* Et licet sat certis testimonijs suffulctum videri possit factum illud Petri. *d. c. Petrus &c.* sunt tamen qui negent, velintque, & Linum, & Cletum ante Clementem rexisse Ecclesiam vti veros Pontifices; & sunt qui diuina inspiratione suffectum Clementem dicant, vel tota assentiente Ecclesia, hoc est, Clero, & populo, cuius erat tunc eligere Pontificem. *c. quanto. & seq. dist. 63.*

Quomodocumque habuerit se res, nemo post Petrum sibi deinceps successorem eligere ausus est, vt bene dixerit Anaclet. *in c. vlt. dist. 79. Electionẽ vero summorũ Sacerdotum sibi dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concesserit.*

3 Ab his ego verbis sic statuerim. Electio Pontificis totius Ecclesiæ ius est, quæ per Eminentissimos Purpuratos hodie

die repręſentatur; & hoc quidem ius Pontificum largitionibus, constitutionibus prope innumeris, innumerabiliumque annorum ſerie ijſdem collatum vti cardinibus vniuerſæ Eccleſiæ eſt. Sic etiam fieri omnino decuit, vt, qui toti Eccleſiæ præeſſe deberet, conſenſu etiam totius quaſi optimus, & Chriſtianæ Reip ſaluberrimus eligeretur. Denique quæſitum Eccleſiæ hoc ius eſt, vt ſibi ipſa eligere Pręlatum debeat. Volo, Romanum Pontificem decernere olim potuiſſe, per quos electio fieri deberet, & qui totius Eccleſiæ in hac re pondus, ac vices ſuſtinerent;
4 ſed dubito, an Eccleſiæ ius inuertere, ſibique ſucceſſorē deſtinare poſsit. Nam, cum non liceat Principi quęſitum alteri ius auferre, præterquam ex iure quodam abſolutæ poteſtatis, in id quæſtio regredietur, quod alibi diſputa-
5 tum, an, & quando exerceri a Principe, & Pontifice poſſit abſoluta hæc poteſtas, an (inquam) ſi non ſit magna cauſa communis boni, ne plus Tyranni ſapiat voluptatē, quam propoſitam Regi optimo honeſtatem. Concedo libens, Pontificem ex cauſa aliqua inurgentis neceſsitatis ſibi ſucceſſorem poſſe decernere; quin & ſibi eum decreuiſse aliquando, aut alijs decernendi poteſtatem (forte nunquam ſine Clero, & populo) contuliſſe. *cap. Hadrianus. cum ſeq. diſt.* 63. ſed videamus, an rationem habere poſsit, ſi ſibi Pontifex ſucceſsorem ſuo Marte fecerit, quæſitumque Eccleſiæ, & Cardinalibus ius, vt ſibi ipſi ſatisfaciat, reuocauerit; nam ſi rationem non habet, nec factū
6 mehercule valere poteſt, nec lex, ſi quidem iniuſta lex nec lex quidem eſt. *c. erit.* 4. *diſt.* ergo inſtitutus a Pontifice Pontifex ab Eccleſia deſtituetur, & bene.

Ad-

Adde rem Christiano populo inutilem, aut maxime perniciosam; nam cum sentiret Pontifex, sibi obitum instare, posset, seu ad illustrandum genus suum, seu ad familiæ commoda augenda, Nepoti, seu alteri cuilibet tradere, aut verius prodere Pontificatum, vt Comitulus loquitur; [y] quin & malis artibus, & Simoniaco crimini latissimus aperiretur campus, neq; interdum tam optimus, quam pessimus in Apostolica sede locaretur.

Hæc magis vera, si electio Papæ donum est Dei. *d. c. vlt.* quo pacto enim donum Ecclesiæ factum imminueret Pontifex, vt se ipsum locupletaret?

Atqui Panorm.[d] post Gl. Io. And. Archid. & communiter reliquos ea ratione vtitur, quia effectus Electionis referretur ad tempus, quo non est futurus Papa. *l. eum qui. ff. de Iurisd. om. Iud.* & dispositio quęlibet censetur facta eo tempore, in quod confertur. *l. quod sponsæ. C. de donat.*
8 *ante nupt. l. stichus. 39. ff. de manum. testam. l. Titio. ff. de Vsufr.* Sed vereor maximè, ne, si vera hæc ratio est, dicere compellamur, posse Romanum Pontificem, dum viuit, personam eligere, cui Pontificatum resignet, quod negamus.

9 Huc etiam quæstiuncula illa pertinet, quam apud Taurum Philosophum in Conuiuijs agitatam scribit Gell.[e] *Quæsitum est* (inquit) *quando moriens moreretur, an cum iã in morte esset, an tum etiam, cum in vita foret; & inf. At alij moriendi verbum, atque momentum manente adhuc vita dici, & fieri putauerunt, alij nihil in eo tempore vitæ relinquunt, totumque illud, quod mori dicitur, morti vindicauerunt.* Et inf. *Sed Plato noster, neque vitæ id tempus, neque*

morti

morti dedit. Et recte quidem Plato, quia is, qui moritur, nondum mortuus dici potest, & si nec plane viuere. Porro ex legibus moriendi momentum tribui vitæ, alibi probaui ζ; vide §. *post mortem*. §. *ita autem. Instit. de Inutil. stipul. l. hæres meus. ff. de Condit. & dem. l. extraneum. 9. C. de hæred. instit. l. qui duos. ff. de manum. testam.* cum pluribus. apud Cuiac.[η]

Hæc satis; tibi alij plura suppeditabunt.[θ]

α *Vide Barbo. Iuris. Eccl. lib. 1. c. 1. de Summo Pont.*
β *Sup. c. 173.*
γ *resp. Moral. lib. 1. q. 98.*
δ *c. licet de vitanda n. 2. de Elect.*
ε *Noct. Attic. lib. 6. c. 13.*
ζ *Sac. Iu. contr. dissert. 6. c. 4. n. 15.*
η *Lib. 2. Obser. c. 34.*
θ *Turrecr. lib. 2. c. 51. de Eccl. Comitul. & Barbo. sup. cum relatis.*

An Vicarius generalis dispensare in lege posit Episcopi sui.
Ad l. illud. ff. de Minor. & cap. vlt. de off. Vic. in 6.
Cap. CLXXVIII.

1 *Restitutio in integrũ generali mandato non continetur, et cur.*
2 *Vicarius Episcopi restituere in integrum potest.*
3 *Quæ non veniant ad mandatum generale, vel contra.*
4 *Dispensatio, quæ ex causa petitur, an negari posit.*
5 *Dispensandi facultas est Iurisdictionis.*

AFfirmant aliqui, sed negant multo plures α, quia (inquiunt) restitutio in integrum ad generale mandatũ
1 non venit, nisi nominatim fuerit in eo expressa. *d. l. illud.* β Ergo, &c.

Sed statim offendunt hi, nam lex illa valet in Procuratore Minoris, qui in integrum restitutionem petere non

poteſt, niſi ei Dominus, vt peteret, explicite mandauerit, & quidem ratione ſingulari, quia non poteſt domini
1 conſtituentis factum impugnare, præterquam iubēte eo. *arg. l. ſi hominem. ff. Manda.* [b] Et ecce ſtatim argumentum retorquetur ex contraria communi, qua Vicarius Epiſcopi generalis reſtituere in integrum poteſt. [c]
3 Vrget magis, quod obijciunt ex *d. c. vlt.* ad mandatum generale venire ea quidem, quæ ſunt Iuris, ſed nō ea, quę donationem ſapiunt, miſerationem, aut gratiam, qualis eſt diſpenſatio legis. *c. licet Canon. in fi. de Elect. in 6. c. poſtulaſti. c. penul. de Cler. exc. miniſtr. c. didici. 1. q. 7.* Sed ecce
4 rurſus cōtradictio ex alia cōi; aiunt enim, ſi ſit cauſa iuſta petendæ diſpenſationis, non poſse eam negari a Prælato, alioqui, & peccare negantē, & appellari ab eo poſse. [e] Tūc ego. Quod debetur quaſi ex præcepto, & rigore Iuſtitiæ, id ad generale mandatū venit quaſi ius commune, nō quaſi gratia. *d. c. vlt.* [f] At diſpenſatio debetur rigore Iuſtitiæ, ergo, &c. Nec dubitari poteſt de aſſumpto, niſi & illa communis negetur, & alia ſimul, quæ diſpenſationem omnem reijcit abſolute, ſi iuſta aliqua cauſa non fuerit, ob quam indulgeretur. [h]
5 Denique fatentur omnes, diſpenſandi facultatem eſse Iuriſdictionis, [g] neque eo interim ſe expediunt, quod vulgatum eſt omnibus, ea, quæ Iuriſdictionis ſunt, poſse Vicariū exercere abſque ſpeciali mandato. *d. c. vlt.*

Illud ſaltem in confeſso eſt, quibus caſibus diſpenſandum omnino ex rigore Iuſtitiæ ſit, ijſdem poſse Epiſcopi Vicariū (quantūuis ſpeciale mandatū nō habeat) diſpenſare [i].

a *Vide relatos per Fely. in cap. at ſi Clerici. §. de adulterijs. n. 21. de Iudic. Sbroz. de off. Vicar. lib. 2. q. 35. Sanch. de Matrim. lib. 2. diſput. 40. n. 12. Gutier. canon.*

quæſt

quæst.lib.1.c.19.n.15.Garz.de benefic.par.5.cap.8.n.46.& 47.
β *gl.vlt.in l.1.C.etiam per procur.*
γ *Odd.de restit.par.1.q.31.art.12 n.49.*
δ *De comm.Sbroz.sup lib.3 q. 3.* *(n.2.*
ε *De cõm. Alex. de Nauo .in d.§.de adulterijs.n.29.referẽ.Sãch.sup.lib.3.disp.10.*
ζ *Fely.sup.n.15.Relati per Sanch.vbi prox.n.12.*
η *De comm.Theol.& Iurist.Sãch.sup.lib.8.disp.18.n.3.Suar.de ℞.lib.6.c.18.n.4.*
θ *Dec.d.§.de adulterijs.n.21.Suar.sup c.10.n.2.*
ι *Sanch.d.disp.10.n.2.Suar.d.c.18.n.21.& seq.*

De sententia Innoc. 3. *in cap. 3. de Excep.* Cap. CLXXIX.

ROmanus Pont. Iacobo Clerico in Ecclesia Nouariẽsi præbendam contulerat, & iam iam in corporalem eius præbendæ possessionem missus fuerat; cumque Ecclesię Nouar. Canonici possidentem exturbarent, nec libere perfrui sinerent, conuentique retinendæ possessionis interdicto actori opponerent exceptionem (*si non aliã præbendam in alia Ecclesia habet*) freti Concilio Lateran. quo binas pręebendas habere non licet sine venia Pontificis. *c.de multa.de præben.* quia ijdem Canonici, qui id objiciebant, in eodem vitio versabantur, & plures scilicet, præbendas in diuersis Ecclesijs possidebãt, merito in hac constitutione dicuntur non esse audiendi, si, quod in alijs reprehendunt vitium, in hoc ipsi deprehendãtur. Ita fere Cuiac. [a] addens, non esse ferendum Clodium, si accuset mæchos, non Verrem, si fures, non Gracchum, si seditiosum Ciuem, non Milonem, si homicidas, non Augustũ, vel Domitianum, si adulteros, &c. Sed & hæc præceptio Christi fuit, cum accusantibus adulteram scribens respõdit. *Quicumque vestrum sine peccato est, primus lapidem in eam mittat.* Et quando hypochritæ. *Primum eijce trabem*

de oculo tuo, & postea educes festucam de oculo fratris tui. Hæc Gratian. 3. *q.6. in princ.* Et vide *ibid. cap.* 1. *&* 3. *cap. vlt. dist.* 25. *cap. iudicet.* 3. *q.* 7. *cap. nemo. dist.* 81. *c. causam.* 18. *de Iudic. cap. personas. de testib. l. si vxor. §. Iudex ff. de Adult. &c.*

Sed obstat. Nam, si Canonici illi audiri non debuerunt, quasi & ipsi plurales essẽt, Ecclesiæ saltem nomine audiendi fuere, quæ incommodum ex ea Clerici pluralitate patiebatur. *arg. cap. si quis præsbiterorum. de reb. Eccl. alien.* vbi idem Clericus, qui rem Ecclesię distraxerat inconsulto Põtifice, Ecclesiæ vice, ac nomine repetere alienatum potuit. *Et cap. dilecti. de Except.* vbi statutũ ex Honorio fuit, Clericum, vtcumque criminosus, periurus, excommunicatusque sit, audiendum tamen in sua exceptione esse, si Ecclesiam defendere suam velit.

Egerunt contrarij hi Canones, vt in varias eiusdem Innocentinæ constitutionis interpretationes itum sit [β]. Mihi id semper animo sedit, plurales illos Canonicos fuisse in sua exceptione reiectos ab Innoc. quia non pro defensione Ecclesiæ comparuerant, eius ue nomine exceperant, sed proprio, immemores, ea se culpa notari posse, qua ipsi Aduersarium Clericum notabant. Idque forte plus inualuit. [γ]

α d. cap. 3.
β Vide Butr. Abb. Fely. Paris. & alios post Gl. mag. ad d. cap. 3.
γ Vide Paris. ibid. n. 18. et scripta per eund. ad. d. c. dilecti.

An Domicilium in loco beneficij sui Clericus nanciscatur, vel quando. *Ad cap. cum nullus de tempor. ordin. in 6.* Cap. CLXXX.

1 *Domicilium quibus acquiratur, vel non. 4.*
2 *Neceſsitas permanendi domicilium parit.*
3 *Quis Epiſcopos ſuperior dicatur, cum de ordinando Clerico (agitur.*

DOcuit Gloſator, [a] Clericum, qui duas habeat Eccleſias in duabus Diœceſibus, vtrobique domicilium ſortiri, arg. *c. dilectus. 29. de Reſcrip.* Conſenſit Abb. [β] ſi modo reſideat Clericus, atque ita frequentius creditum. [γ] Cōmunibus autem votis plaudit ciuilis diſpoſitio, quippe domicilium & origine, & habitatione comparatur, non tamen qualibet, ſed ſi animus acceſſerit in eius habitationis ſede perpetuo commorandi, alioqui domicilij ius nullatenus, aut nullo tempore acquiri cuiquam poteſt. Rem apte explicant Impp. Maxim. & Dioclet. *in l. Ciues. C. de*
1 *Incol lib.* 10. *Incolas* (inquiunt) *domicilium facit. Et in eodem loco ſingulos habere domicilium non ambigitur, vbi quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, vnde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil auocet, vnde cum profectus eſt, peregrinari videtur, quod ſi rediȷt, reperegrinari iam deſtitit.* Larem gloſator explicat, ſi perpetuo habitare velit, & habitet, nam domicilium re, facto, atque animo tráſferri. *l. domicilium. ff. ad Municip. cum gl.*

At (inquies) ſufficere videtur, aſſidue quem in loco aliquo verſari, vt domicilij iure potiatur, ſic enim loquuntor Impp. *in l. 2. C. vbi Senat. vel Clar. vbi larem fouent, aut vbi maiorem bonorum partem poſsident, aut aſsidue verſantur.* Hinc diſtinctio quædam domicilij in proprium, & improprium a quibuſdam prodita. Puto autem, veriſſimum eſſe, quod Menoch. habet, [δ] alijq; ante eum fre-

quentius, [t] corruptam esse literam, legendumque esse, prout in Codicibus emendatis; *maiorem bonorum partem possident, & assidue versantur.* quasi non aliter domiciliũ acquirat quis, quam, si *larem foueat*, hoc est, habitare se ex animo declaret, aut, si non declaret quidem, sed maiorẽ bonorum partem possideat in loco, vbi assidue versatur, sic enim quod hac lege definitur, & cum alijs legibus, & cum receptis Scribentium placitis concordare videtur.

Ex his dubitare nemo posset, Clericum ibi domicilium acquirere, vbi beneficium habet, & residet (cum sic habeat voluntatem non recedendi, immo necessitatem per-
2 manendi, quæ necessitas procul dubio domicilium generat, [5]) nisi dubitationis causam præbuisset Bonif. *in c. cum nullus. de tempor. ord. in 6.* Nam requirens iste, quis Episco-
3 pus dicatur superior, cum de ordinando Clerico agitur, respondet, superiorem esse illum, *de cuius diœcesi est is, qui ad ordines promoueri desiderat, oriundus, seu in cuius diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Quod itaque origo facit, quod etiam domicilium, hoc est, habitatio cum destinatione permanendi, id Ecclesiasticum quoque beneficiũ præstat absque vlla residendi necessitate.

Responderit aliquis, [x] immo hoc Canone contrarium suaderi, nescio, quo ductus argumento alternatiuę illius, *seu.*

Sed perperam, nam tria esse respondet Romanus Pont. quæ competentem faciunt Episcopum ad conferendos ordines, originem, beneficium, domicilium, hoc est, solam originem, solum beneficium, solum domicilium; nec

male

male torqueri debuit alternatiua illa, quæ satis bene retorqueri nec posset.

Rectius Bonifacij constitutio ad habiliores terminos (sic loqui liceat) reuocabitur, constat enim, ex simplici beneficio, quod residendi onus non habet, domicilium minime acquiri, nisi beneficiarius citra beneficij sui causam perpetuo ibi esse constituat, vbi beneficium situm est. Sic cócordabit, quod opportune scribit Innoc. 3. *in c. 14. de fo. compet. Postulasti* (inquit) *per sedem Apostolicam edoceri, vtrum Sacerdos habens Ecclesiam in vna diœcesi, & residens in eadem, domicilium vero patrimonij ratione in alia, &c.* Et quod Impp. *in l. omnes. C. de Episc. & Cleric. Sacrosanctis Altaribus obsecundent in suis laribus, domicilijsque constituti.* [θ]

4 Enimuero, qui nihil in aliena regione habet, nisi beneficium, & nec propria voluntate in ea residet, nec pro munere residere compellitur, similis ei est, qui vel solam domus possesionem habet, vel fortunarum suarum partem alicubi composuit citra animum constituendę habitationis. At hæc domicilium non faciunt. *l. libertus. §. 2. vers. sola domus. ff. ad Municip. d. l. 2. C. vbi Senat. vel. Clar. etc. cum Scriben.*

α *Ad c. quia in tantum. vers. plures. de prabend.*
β *Ibid. n. 5.*
γ *Dec. d. c. quia in tantum. n. 2. Fely. d. c. dilectus. n. 1. de rescrip.*
δ *De Arbitr. casu. 86. n. 18.*
ε *Socc. c. vlt. n. 26. de foro comp. Alex. cons. 216. n. 15. lib. 6.*
ζ *Fely. sup. n. 2. & 3. Rot. in Recent. dec. 642. n. 13. par. 1.*
η *Dec. sup. n. 13.*
θ *Vide, qua ibi Bal.*

An diues patrimonij Clericus ex fructibus sui beneficij viuere, & patrimoniales reditus conseruare possit. *Ad. cap. Pastor. & c. Clericos. 1. q. 2.* Cap. CLXXXI.

1 *Bona Ecclesiæ ad pauperum vsus destinantur.*
2 *Diuisio bonorum in Ecclesia.*
3 *Clericus patrimonialia propinquis recte donat, vt ex beneficio viuat.*
4 *De Clericis beneficiarijs, qui & patrimonij diuites, multifariam distinguitur.*

QVod scriptum ab Apostolo fuit 1. *Corint.* 9. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui in Altario deseruiunt cum, Altario participant.* ad egentes Clericos, non ad diuites pertinere voluit Prosper *in c. Sacerdos. 1. q. 2.* nam, si locupletes sunt, si patrimonio pingues, quasi Clericalis seruitij mercedem nullam habent. *d. cap. Pastor. d. c. Clericos. c. Episcopus. 10. q. 2. c. Episcopus. cap. illi autem. 12. q. 1. c. vlt. §. vlt. 16. q. 1. Et not. in c. 2. 4. c. tuis.*
1 *de præben. c. postulasti. de rescrip. &c.* Forte, quia bona Ecclesiæ ad pauperum vsus destinantur. *cap. videntes. 12. q. 1. &c.* [a]

Sed contrarium crebrius acceptum, & generali totius Ecclesiæ vsu constabilitum est, vt possit scilicet Clericus beneficiarios reditus sibi præcipere, quibus viuat, patrimonialesque ex integro conseruare. [β] Idque, vel ratione operis, &
2 mercedis, *c. Clerici. 1. q. 2.* Vel diuisione illa bonorum, quæ facta legitur in Ecclesia. *c. cocesso. c. quatuor. & passim*
3 *12. q. 2.* Vel ratione euidenti. [γ] Nã potest Clericus omnia bona sua Consanguineis suis velle dare, & ex reditibus be-

beneficiorum suorum velle viuere, vt in confesso est. Cur igitur, quod ante licuit, id deinceps licere non videatur? Potest mehercule Clericus bonorum suorum prouentus Consanguineis conseruare, qui potuit initio donare.

Oppositorum multiplex distinctio est.

4 Alij dicunt, Clericum, vt Clericum, qui patrimonij diues est, nihil petere ab Ecclesia posse, quo substentetur, sed vt Ecclesiæ seruientem stipendium mereri; denique contrarios Canones in Clericis valere, qui Clerici sunt pure, & simpliciter, neque Ecclesiæ deseruiunt.

Alij, stare posse quæ obijciuntur, si extrema aliqua pauperum necessitas vrgeat, non enim tunc licere Clericis, relicto patrimonio, ex fructibus beneficiorum, quos pauperibus debent, alimenta percipere, cum his casibus Laici quoque pauperibus teneantur, immo bona ipsa Ecclesiarum, iux. illud Christi. *Misericordiam volo, non sacrificium.*

Alij cũ Abb.[d] distinctionem temporum haberi oportere.[e] Et obiectos quidem Canones loqui de primo illo, & florescente totius Ecclesiæ statu, cum Clerici bona omnia in vnum quasi aceruum conferebant, communicabantque inter se, si quidem tunc optio eis dabatur, vellent ne sua retinere, vel parentibus, ac propinquis ea dimittere, & de Ecclesię fructibus cũ reliquis pauperibus substentari; nã, si sua retinere maluissent, quam domesticis suis dare, ex ipsis tunc alebantur, nec communium rerum fructus attingebant.

Alij cum Couarr.[e] nihil aliud præscriptis Canonum decretis cautum videri, quam de bonis simpliciter, quæ

pro-

propria ſunt pauperum. Illud itaque dumtaxat prohiberi, ne bona illa, quæ alendis pauperibus veteri inſtituto addicta eſſent, diſtribuerentur Clericis, qui ex parentum, propinquorumue bonis neceſſaria commode conſequi poſſent. Proinde eorum bonorum nullam prorſus rationem haberi, quæ ſoluendis Clericorum mercedibus deſtinarentur.

Alij denique, memoratos Canones præceptum quidem ſapere ob maximam ſanctiſsimorum illorum Patrum in redarguendis moribus libertatem, & quaſi in dicendo hyperbolem, veruntamen re ipſa non præceptum continere, ſed conſilium; quod magis puto.

Refert Abb. [ζ] fuiſſe quæſtionem hanc in Senenſi Gymnaſio a peritiſsimo Iuris Doctore coram viris grauiſsimis diſputatam, quam tamen Sot. [η] faſtidijſſe videtur, vti non valde neceſſariam.

α *Vide quæ ego Sac. Iur. contr. diſſert. 5. c. vlt. a n. 1.*
β *De comm. Socc. conſ. 91. n. 3. vol. 3. Dec. d c 4. de præb. n. 6. Couarr. ad c. 1. n. 2. de teſtam. Suar. recept. ſent. ver. Clericus. Viu. comm. lib. 2. op. 44.*
γ *Abb. quæſt. 5. Titius Clericus. n. 14.*
δ *Ibid. Et vide, quæ ego d. diſſert. 5. c. 4. n. 7.*
ε *Vbi prox.*
ζ *d. quæſt. 5. vbi rem plene examinat.*
η *De Iuſt. lib. 10. q. 4. art. 4.*

De remedio *cap. Odoardus. de ſolut.* Cap. CLXXXII.

1 *Eccleſia inops cedere bonis poteſt.*
2 *Miles priuilegium habet, ne teneatur, niſi in quantum, &c.*
3 *Item Clericus, & cur.*

SVnt, qui putent, [α] remedium Clerico datum, vt cedere bonis poſsit, ſi pauper eſt, atque ita accipiendum credant,

dant, quod Odoardo Clerico (alibi Andoaldo) indultũ
1 legitur a Greg. 9. Pont. *in d. c. Odoardus.* nam & Ecclesia inops ad cessionis beneficium recepta a Iustiniano fuit. §. *cum vero. Auth. vt deter. sit Cleric. num.*

Sed male, ni me, & ratio fallit, & magis communis sententia.[β] Nam de cesione nullum omnino verbum *in d. cap. Odoardus.* Sed nec cesisse potest Clericus eo loci, nam, si cesisset, aut excommunicatus ab Episcopo non fuisset, aut saltem rem tam iniuriosam Põtifex enarrasset, vt plus grauaret processum iudicantis; sique ea fuisset Papæ volũtas, vt Clericus ille bonis suis cederet, mandasset vtique, vt ante absolutionem cessio reciperetur, sicut de cautione mandauit. Adde *cap. peruenit. de fideiuss.* vbi Clericus nõ cesit, sed reditus consignati fuere Creditoribus tandiu detinendi, quandiu satisfactum foret. Et *c. clim. 16. de restit. spol.* vbi expectatur Episcopus, quoad soluere absque vlla necesitate posit.

Illud itaque Clerico indultum puta, ne, nisi in quantum
2 facere posit, teneatur, quod & Militis priuilegium est. *l.*
3 *miles. in princ. ff. de re Iudic.* Et forte etiam secluso eo Canone argueremus a Milite ad Clericum cum schola & praxi,[γ] sed nihil minus mihi vsquam placuit, quam effrẹnata hæc priuilegiorum dilatatio, & quasi profusio.

α *Cuiac. post. Gl. vlt. in d. c. Odoardus. Castren. Duar. & alij quidam in d. l. Miles.*
β *Vide Barbo. ad l. Maritum. n. 2. ff sol. Matr.*
γ *Vide scripta ad d. l. Miles, & de comm. ibid. Alex. n. 3. Ias. n. 11. De magis cõm. Rip. n. 7. De ead. Surd. de alim. tit. 1. q. 78. n. 21. De praxi Menoch. de Arbitr. casu 183. n. 29. Rota in Recent. decis. 645. par. 2. n. 2.*

An singulorum simul esse videatur, quod Vniuersitatis, aut Collegij est. *Ad l. 1. & 3. ff. de Colleg. &c.* Cap. CLXXXIII.

1 *Ne-*

1 *Nemo duo Collegia habere potest.*
2 *Dissoluto collegio an, & quando res singulis diuidantur.*

QVod vniuersitatis, aut Collegij est, singulorum esse nō potest. *l. in tantum. ff. de rer. diu. l. sed si hac. §. qui manumittitur. ff. de in ius. voc. l. 1. §. seruum Municipum. ff. de Quæst. c. Episcopus. §. qui manumittitur. 12. q. 2. §. Vniuersitatis. Instit. de rer. diu.*

1 Sed contradicit Martian. *d. l. 1. in fi. Et si quis* (inquit) *in duobus fuerit (supp. Collegijs) rescriptum est, eligere eum oportere, in quo magis esse velit, accepturum ex eo Collegio, a quo recedit, id, quod ei competit ex ratione, quæ communis fuerit.* Ergo (ait gl. [α]) quod erat Collegij, erat & singulorum. Et
2 *in d. l. 3. Collegia, si qua fuerint illicita, mandatis, & constitutionibus, & Senatus consultis dissoluuntur; sed permittitur eis, cum dissoluuntur, pecunias communes, si quas habent, diuidere, pecuniamque inter se partiri.* Adde §. *in omnibus autem. Vers. si vero plura. Auth. de Sanct. Episc.*

Primus Glosator antinomiam soluit. [β] Deinceps rem aggreditur Bart. [γ] & valere contendit, quod obijcitur ex Martiano, & alijs tunc, cum Collegium soluitur, nam pecuniam, quæ communis facta erat, denuo singulorum effici. Sed recedit Iason. [δ] quia Martian. *in d. l. 1.* non de casu illo respondet, cum totum Collegium dissoluitur, sed cum e Collegio recedit vnus. Propterea quasi a semetipso docet, procedere ea, quæ opponuntur, in bonis, quę communia sunt Collegis, vt singulis, non, vt vniuersis. Eadem solutio fuerat Glossatoris, [ε] nam si forte Collegiū, bona habeat, quæ singuli e Collegio contribuerint, atq;

inter se cõmunicauerint, procul dubio (ait ille) qui recedit, partem sibi auferre potest, quam contulit, nam commune, vt singulis fecit. Sin Collegio aliquid iure hæreditatis, donationis ve, aut alio quolibet Iure datum quasi Collegio fuerit, id hercle non vt singulis commune est, sed vt vniuersis, vnde & qui recedit, nihil recuperat. Adde, quæ Menoch. ζ

Forte id quoque, quod inter Collegas confertur, non vt singulis, sed, vt vniuersis commune est, nam Vniuersitati dari intelligitur, quæ licet in singulis quasi subiectiue sit, est tamen formaliter persona quædam intellectualis per se repræsentata, ac separata ab his, qui de illa sunt. *d. l. 1. §. seruum. d. l. si Municipes.* Sed Martianus in vtraque lege de eo loquitur, qui ita confert, vt velit, Collegium stare, & de Collegio esse, alioqui nihil daturus, nisi ita crederet, non enim absolute aliquid tribuit, sed tacita illa conditione, *nisi Collegium dissolui, aut ipse recedere e Collegio debeat*; Quare, &c.

α *Ibid. vers. competit.*
β *Ibid.*
γ *Ad l. serui electione. §. Labeo. ff. de leg. 1.*
δ *Ibid.*
ε *d. ver. competit.*
ζ *De Arbitr. cas. 597. n. 8. et per tot.*

An generali Clericorum appellatione veniat Episcopus. *Ad c. quia periculosum. de sent. exc. in 6.* Cap. CLXXXIV.

1 *Sententia interdicti, aut suspensionis non afficit Episcopos, nisi exprimantur. 5.*
2 *Et cur.*
3 *Et numquid idem in generali sententia excommunicationis.*
4 *Et quid de suspensione a beneficio. 6.*

Si

SI fauorabilis diſpoſitio ſit, haud dubitant, comprehendi Epiſcopos; at, ſi odioſa eſt, negant frequentius, teſte Decio.[a] Quam rem probatam putant ex Innoc. 4. *in d. c.*
1 *quia periculoſum.* vbi Epiſcopi, ac Superiores Epiſcopis neutiquam interdicti, ſuſpenſionis ve incurrunt pœnas, niſi in conſtitutione, aut ſententia fuerint nominatim expreſſi. Adde *c. ſi compromiſſarius.* §. *huiuſmodi. De Elect. in 6.*
2 Sed non ſatis, nam *in d. c. quia periculoſum.* ratio iungitur ſpecialis. *Quia periculoſum eſt Epiſcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, vt in aliquo caſu interdicti, vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto, &c.* Non igitur, quia odioſa res eſt, ſed quia Pontificale munus, quod frequenter incumbit, impedire periculoſum eſt, vti communius, generaliusque, & ob id ſæpius neceſſariũ in confectione Chriſmatis, Ordinum collatione, Eccleſiarum, & Altarium conſecratione, &c. [β] Et propterea non tam Epiſcopis (vt male creditum ex comm.) quam eorum ſubditis bene cõſulturus Pontifex, ſtatuit, ne generali ſententia interdicti, aut ſuſpenſionis contineri viderentur, niſi de ipſis eſſet nominatim expreſſum.

Et vide, obſecro, an ſibi ſatis cohæreant recepta hęc ſcribentium vota. Aiunt, Epiſcopos non includi interdicto, aut ſuſpẽſione generaliter latis, quia odioſæ res ſunt, &
3 deinceps fatentur, generali ſententia latæ excommunicationis non minus Epiſcopos comprehendi, quam alios Clericos [γ]. Numquid non odioſum quid eſt, Eccleſiaſtica
4 communione priuari? Requirunt deinceps, an priuilegium Epiſcopis indultum, ne interdicti videantur, aut

ſu-

ſuſpenſi, valere tantum poſsit in ſuſpenſione ab officio, vel dilatari etiam debeat ad ſuſpenſionem a beneficio; & valere in vtraque ſuſpenſione reſpondent. δ

Statues, generali Clericorum appellatione venire Epiſcopos *c. duo ſunt genera. 12. q. 1. c. non oportet. diſt.* 44. quan-
5 tumuis odioſa ſit diſpoſitio legis, præterquam in caſu Innocentij. 4. quem libentius reſtringerem, vt valeret in ſo-
6 la ſuſpenſione ab officio; Nam, ſi proſpectum ſubditis, nō Epiſcopo eſt, eorum certe non intereſt, ſuſpendi Epiſcopum a beneficio, dummodo Paſtorale munus non impediatur.

α *In c. 2. de præbend.*
β *Vide gl. 1. in d. c. Quia periculoſum.*
γ *De cōm. Suar. de Cenſur. diſp. 28. de cauſ. ſuſp. ſect. 2. n. 6. Say. Theſ. lib. 4. c. 12. n. 8.*
δ *Vide gl. d. c. quia periculosū. Suar. d. ſect. 2. n. 6. et diſput. 27. ſect. 1. n. 16. Alter. de Cenſur. to. 2. diſput. 7. de Cauſ. ſuſpen. c. 4. col. 8. verſ. Quærit. gl.*

De eadem re; Et alijs Clericis in dignitate conſtitutis. *Ad cap. ſtatutum. de Elect. in 6.* Cap. CLXXXV.

1 *Clericus ad parœcialē uocatus debet infra annū fieri Sacerdos.*
2 *Pœnalis ſanctio reſtringenda.*
3 *Collegiatæ Eccleſiæ prærogatiua.*
4 *Ad Parœcialis regimen ætas requiſita.*
5 *Lex pœnalis de actu ſimplici non trahitur ad miſtum.*
6 *Non omniū, quæ a maioribus ſunt conſtituta, ratio reddi poteſt.*
7 *Monachorum generali appellatione Abbas continetur, &c.*

SI in re qualibet, etiam odioſa, generali (vti diximus) Clericorum nuncupatione veniunt Epiſcopi, qui ſupra alios Clericos qualitatem habent inſignis Pręfecturæ, & ſupremam in Eccleſiarum regimentis obtinent authori-

tatem

tatem, plus alij Prælati, & Cathedralium Canonici continebuntur, licet & ipsi habeant, vnde specialis cuiusdã nominis prerogatiuam mereantur.

Atque id quidem omnino certum videretur, nisi aliud frequentius creditum fuisset [a], forte ex Bonifacio Pont.
1 *in d.c. statum.* Cum enim precepisset Gregorius Papa, vt Clericus ad Parœcialis Ecclesiæ regimen acceptus intra anni spacium Sacerdos fieret, secus Pareciali Ecclesia de-
2 pelleretur, sanctionem istam, quia penalis erat, adeoq; restringenda potius, quam laxanda. *l. si de interpretatione. ff. de pœn. c. odia. de Reg. Iur. in 6.* coarctauit Bonifac. ne ad
3 eos porrigeretur, qui Collegiatis Ecclesijs inuẽirentur adscripti, vtcumque Pareciales istæ essent; forte, quia Collegiatæ Ecclesiæ qualitatem habent supra simplices Parochiales.

Occurrit Dec. [b] quasi singulare quid habeat Bonifacij cõstitutio, cuius initia repetentur, si tres in hac re supremos Pontifices aduocauerimus. Quorum primus Alex. 3. in Concilio Lateran. de Ministrorum Ecclesiæ ætate, moribus, scientia, & de illis potissimum, qui ad Parecialium Ecclesiarum regimina vocarentur, statuit, vt vigesimum
4 quintum suæ ætatis annum attigisse, & intra tempus per sacros Canones definitum ad Sacerdotij culmen debeant peruenisse. Vide *cap. cum in cunctis. in princ. & §. inferiora. de Elect.*

Deinceps Gregor. 10. *in cap. licet Canon. eod. in 6.* sic auspicatus est. *Licet Canon felicis recordationis Alexandri Papæ 3. prædeceßoris nostri editus inter cetera statuerit, vt nullus regimen Ecclesiæ Parochialis suscipiat, nisi, &c.* Addẽs,

vt

vt receptus ad parœcialem Clericus intra annum debeat Sacerdotij ordine inſigniri, ſecus repellatur. Non itaq; Gregorius de habentibus dignitatem loquitur, ſed de Parochis ſimpliciter, de quibus ſibi ſtatuendũ propoſuerat. Denique, cum dubitatum eſſet, noua ne hæc Gregorij Pont. declaratio, ſeu additio ad Parochiales Eccleſias, quæ ſimul Collegiatæ eſſent, pertineret, negauit Bonif. *in eod. cap. ſtatutum.* nec quia Collegiata Eccleſia dignitatem haberet, qualitatem ve aliquam ſupra ſimplices Parochiales. *cap. niſi eſſent. ibi Non dignitas prioratus. de præbend. clem. & ſi principalis. cum gl. ✓ de Reſcrip.* ſed quia propoſitum Gregorio non erat quicquam de dignitatibus innouare. Quæſtio itaque fuit de voluntate Pontificis, non de qualitate Eccleſię Collegium habentis. Sed obſtat Decio, nam primus Alexander *in d. §. inferiora.* de omnibus Parochis generaliter decreuerat, de quibus etiam omnibus generaliter poſtea Gregorius locutus eſt, vt ex ijs liquet, quę idem ipſe refert ex Alex. *Vt nullus regimẽ Eccleſiæ Parœcialis ſuſcipiat.* Et infra. *ſtatuimus, vt nullus ad regimen Parœcialis Eccleſiæ aſſumatur.* Nam, quia *nullus* dixerat, ſtatim de Collegialibus Eccleſijs dubitatio irrepſit, reſolutumque a Bonifacio fuit, non venire Collegiales, non quia Gregorius de dignitatibus nihil innouaſſet, ſed *quia pęnalis res eſt* (inquit Bonif.) *quam reſtringi potius conuenit, quam laxari.*
5 Vt melius adnotaſſe videatur Gemin.[5] ius pęnale diſponens de actu ſimplici, hoc eſt, de pura Parœciali Eccleſia, non trahi ad actum miſtum, hoc eſt, ad Collegialem, quæ partem habeat Parochialis Eccleſiæ, partem alterius.

Cogitaueram ego, fuisse de Collegialibus dubitatũ, quia Alex. & Gregor. de Clericis disposuere, qui singuli singulis Ecclesijs pręsunt; responsumque esse, non venire Collegiatas, ne fiat in pęnali re extensio, deficiente plurimũ ratione; Cum enim Collegiales Clerici Ecclesiasticis ministerijs deseruientes plures sint, se seque mutuo adiuuent in sacris ministerijs exercendis, non talis, tantus ve subesse timor poterat, vt ob negligentiam eorum, qui ad sacerdotij ordinem capessendum tardius incederent, detrimẽti aliquid animarum cura pateretur.

At, quæcumque fuerit ratio Pontificis (nam non omniũ, quæ constituta a maioribus sunt, ratio reddi potest. *l. non*
6 *omnium. ff. de ll.*) adducor tamen facile, vt credam, gratis dignitatem, superiorem ve aliam qualitatem allegari, ne generali Clericorum appellatione in pęnalibus, & odio-
7 sis veniamus. *Vide c. vlt. de Simon. iun. c. 1. §. 1. de fil. præsb. Et c. irrefragabili. in princ. iun. §. excessus. de off. Ordin. cum not. per Rot.* [ε]

[α] *Vide Alciat. ad l. 2. n. 9. de Verb. oblig. Suar. Thes. ver. Clericus.*
[β] *cap. 2. de Præb.*
[γ] *Ver. conuentualem.*
[δ] *Ad d. c. statutum. n. 2.*
[ε] *Apud Put. decis. 92. n. 2. lib. 3.*

An lex Regia lex Imperij fuerit, vel dispensationis, aut gratiæ. *Ad l. Princeps. ff. de ll. & l. 1. §. sed & hoc. C. de Vet. Iu. Enucl.* Cap. CLXXXVI.

1 *Princeps legibus solutus est.*
2 *Lex Regia quæ, a quo, aut quando lata.*
3 *Priuilegium in Iure quid, & qui priuilegiarij.* 5.

4 *Cæ-*

4 *Cæsar cur dictator appellari maluerit, quam Princeps.*

PRinceps legibus solutus est, ait Vlp. *in d. l. Princeps.* Est autem verborum sensus duplex. Vnus, vt legibus non
1 teneatur quasi legum vinculis leuatus, aut liberatus; sic enim *solutum hominem* quasi definit Gaius in *l. solutum. ff. de Verb. sig.* Alter, vt solutus legibus dicatur, quasi is, cui legis gratia facta fuerit, aut remissus rigor Iuris; idque frequens esse apud Latinos scriptores docet Coras. [α] & pulchre cum Liuio iungit Capitolinum *in Antonino Philosopho*; quo etiam spectant, quæ late Bud. [β] & Herman. [γ] qui de soluto legibus Principe pleniore manu; creditumque est ex Dione, [δ] verba ista, *legibus solutũ esse*, quod á modo fuisse solemnia, adeoque mirum videri nõ posse, si phrasis ista fuerit Liuio tam familiaris. [ε] Igitur lex ista Regia, aut rigor legis est, aut dispensatio, seu gratia, quæ Principi daretur. Si rigor, conuenit significatio prima, si dispensatio, præualet secunda.

2 At, si eo voluitur quęstio, vtra significatio verior sit, incidimus facile, nã, quæ fuerit lex illa Regia, adeo obscura res est, vt dubitauerit Vult. [ζ] an vspiam lata fuerit, & crediderit, hausisse eam Romanos a Iure illo Regio, quod Samueli olim dictasse legitur iratus populo suo Deus; sed nihil tam remotum, ni fallor.

Latam fuisse legem Regiã, dubitandũ non est; an autẽ a Romuli tempore repetenda illa sit, an Iulij Cęsaris, vel Augusti potius, disputant, & profecto nihil ęque incertum. At (inquit Vult. [η]) ferri potuit, licet non promulgaretur, imperio nimirum constituto, cui consequens fuerit lex Re-

 gia,

gia, ideſt, ius Regium in Principem, ſeu Imperatorem ſubſecutiue collatum.

Sed, aut violenta interpretatio iſta eſt, aut certe opus ea non eſt; ſic enim loquuntur Legumlatores. *Cũ lege Regia, quæ de eius Imperio lata eſt, populus ei, & in eũ, &c. l. 1. ff. de Conſtit. Princ. §. ſed et quod Principi. Inſtit. de Iu. natur.* Fuit ergo lex lata a populo, & quidem Romano, qui legem cõdebat rogante Conſule, vel per Senatoriũ ordinẽ, vt præclare docet Tribun. *tit. Inſtit. de Iu. nat. gen. & Ciu.* Fuitq; de Principis Imperio lata, poſtquã Populus imperari maluit, quam imperare. Exploſa itaque hic remanet lex Samuelis, quæ nihil ad Romanum ius. Nec recipi etiam poteſt, quod de Romulo dicitur, non enim ante Romulum dominatio aliqua Populi extitiſſe legitur. Ergo referenda ad Cæſares lex Regia eſt, maxime cum dicitur. *Quæ de eius Imperio lata eſt*, verba enim hæc ad Romanos Imperatores pertinere nemo dubitauerit, vt & illa Iuſtiniani *in l. 1. §. ſed & hoc. C. de Vet. Iu. enucl. Cum enim* (inquit) *lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne ius, omnisque poteſtas Populi Romani in Imperatoriã translata ſunt poteſtatem, &c.* Latam vero fuiſſe Regiam legẽ Auguſti tempore anno ab Vrbe condita 729. eodem Auguſto, & Caio Norbano Coſſ. Kal. Ianuar. ſatis colligi putant ex Dione, 3 & Romæ ære inciſam adhuc durare, ex Briſſonio, 1 & aliis docet Franc. de Amaya, qui de ea pleniſſime 2.

Cum itaque lata fuerit lex Regia de Imperio Principis, inferre ſimul poſſis, rigore eiuſdem legis collatum Principi eſse, vt legibus ſolueretur.

E contrario videtur Princeps id, quod habet, diſpenſatione,

&

& gratia retinere, cum id ipſum priuilegij nomine appellarit Vlp. *in d. l. Princeps. Auguſta* (inquit) *legibus ſoluta non eſt, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent*. Priuilegium itaque Principi eſt, vt ſolutus le-
3 gibus ſit; at illud in Iure priuilegium dicitur, & eſt, quod aduerſus communes Regulas indulgetur. *l. vnic ff. de off. Præt. l. 2. & t. t. ff. de priuil. Credit. l. priuilegia. ff. de Reg. Iur. l. fiſcus. 6. §. ult. ff. de Iu. fiſci.* Vnde Priuilegiarij dicuntur in Ciuili diſciplina, quibus peculiares huiuſmodi prærogatiuæ conceſſæ ſunt. *l. reſcriptum. ff. de Pact. l. ſi uentri. §. penul. ff. de priuil. Credit.* [u]

Quid dicendum? Refert, vt opinor, an conſtitutio Principis communem Reip. vtilitatem ſpectet, an vnius hominis, qui conſtitutus Princeps fuerit, ornamentum, ac decus. Credo autẽ, poſterius verius eſſe, vt & Fabro placuit, [x] nam Populus Romanus nunquam ad publicum ius tuẽdum, communem ue Reip. vtilitatem conſeruandam expedire credidit, vt ab hominis vnius voluntate tota Reſpub. penderet, niſi ſi quando grauiſſimis, ac periculoſiſſimis Reip. temporibus dictator aliquis in eam rem a populo ipſo eligeretur; Et fortaſſe maluit Iulius Cæſar Di-
4 ctator appellari, quam Princeps, vt mero iure ad Reip. conſeruationem vocatus videretur. Cum itaque lex Regia vnius hominis dignitatem intuita plus ſit, quam communem Reip. vtilitatem, non eam poſſumus alio nomine appellare, quam gratiæ, diſpenſationis ve, aut priuilegij, vt eam vocat Vlp. & tanto magis, cum non ſit veriſimile, dediſſe populum, niſi id, quod retinere nequaquã potuit.

5 Si libeat tamen contrarias partes plus sequi, & probare possis, fuisse Principem, & cum eo legem Regiam in cōmunem Reip. vtilitatem constitutam, Vlpiano respondebis, fuisse veteribus *priuilegij* significationem aliquando diuersam, eo etenim nomine leges notabant de certis, ac singulis personis, non etiam generaliter latas, [ξ] quas etiam ferri vetitum lege 12. Tab. fuit. *Priuilegia ne irroganto*. Vide Coras[o].

α *d l. Princeps. n. 3.*
β *Ibid.* (nat.
γ *§. sed et quod Principi. n. 5. Inst. de Iu.*
δ *lib. 53. Histor.*
ε *lib. 10. 31. 39.*
ζ *d. §. sed. & quod Principi. n. 6.*
η *Ibid.*
θ *d lib. 53.*
ι *lib. 2. de formul.*
κ *Obser. lib. 1. c. 1.*
λ *Plene Conna. lib. 1. c. 16. n. 1.*
μ *Coras d. l. Princeps. n. 12.*
ν *Ibid. in Rational.*
ξ *Vide Tull. 3. de ll. Gell. lib. 10. c. 20.*
ο *Sup. d. n. 12. & l. Iura. ff. de ll.*

De eadem re, & an potuerit Princeps, quod ei collatum a populo fuit, Augustæ communicare. *Ad d. l. Princeps.* Cap. CLXXXVII.

1 *Augustæ suæ Princeps quæ non communicet.*
2 *Caducarijs legibus Augusta tenetur, & cur.*
3 *Vxor quasi sui hæredis uice.*
4 *Consortij nomine quid ueniat.*
5 *Vxor Mariti honore refulget.*
6 *Coniunctio quanta Matrimonij.*

A*Vgusta autem licet legibus soluta non est* (ait Vlp.) *Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipsi habent*. Vide, ne æstimaueris, priuilegia omnia Imperato-
1 ris ad Coniugem pertinere, vt sic; sunt enim quæ dedeceant fœminas, vt Magistratuum, Iudicum, arbitrorum

ve munia; *l. cum Prætor. ff. de Iudic. l. vlt. C. de recep. Arbitr. l. 2. ff. de Reg. Iu.* Et de Agrippina vxore Claudij Tacitus author eſt,[a] eam non procul a Cæſare excelſo ſuggeſto conſpicuam ijſdem, quibus Principes, gratijs, & laudibus veneratam. *Nouum ſane* (inquit) *& Veterum moribus inſolitum, fœminam ſignis Romanis præſidere; ipſa ſemet parti a Maioribus Imperij ſociam ferebat*. Vide tamen quæ Innoc. 3. *in c. cum dilecti. de Arbitr.*

Et ſunt, quæ non dedeceant tantum, ſed & fœminis impoſſibilia videantur, vt leges condere, & abrogare, ſi modo characterem non habent principalis dignitatis, quales olim Amazones, & aliæ pleræque;[β] aut quæ hæreditario Iure dominentur[γ].

2 Et ſunt, quæ cum permitti potuerint Auguſtabus, permiſſa tamen non ſunt, vt ecce. *Quod Principi relictum eſt* (ait Gaius *in l. quod Principi. ff. de leg. 2.*) *qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione D. Antonini ſucceſſori eius debetur.* At id tamen Auguſtæ non communicatur; nam Iunius Maurician. ſic habet *in l. ſeq. Si Auguſtæ legaueris, & ea inter homines eſſe deſierit, deficit quod ei relictum eſt, ſicut Diuus Hadrianus in Plotinæ, & proxime Imperator Antoninus in Fauſtinæ Auguſtæ perſona conſtituit, cum ea ante inter homines eſſe deſiit, quam teſtator decederet*. Cur autem non tribuatur Auguſtæ id, quod adeo leuis eſt ponderis, incertum; ſed forte ita eſt (ait Coras.[δ]) quia Auguſta prærogatiuas ſui Coniugis non ſuo iure, ſed alieno, hoc eſt, Principis beneficio habet, ideoque in eius perſona facilius conſumuntur, atque intereunt. *arg. l. more. cum l. ſeq. ff. de Iuriſd. om. Iud.* At

neque opus quidem fuit huius rei causam quærere. Augustam dicimus legibus subesse; ei tamen priuilegia tribui, quæ Princeps habet, hoc est, priuilegia habere Principis Augustam, si tribuantur, quo fit, vt aliud vendicare supra leges Augusta nequeat sibi, quam quod expresse ei fuerit a Principe collatum. Vide *l. fiscus. in fi. ff. de Iu. fis. l. sancimus. cũ Auth. seq. C. de donat. l. donationes, quas Diuus. C. de donat. int. vir. & vx. l. Cubicularios. C de Præpos. Sac. Cubic. lib. 12. § vlt. Instit. de Vsucap. & passim.*

Sed nunc ex dilemmate proponitur difficultas. Nam, si prærogatiua hæc Principis, vt legibus soluatur, est gratia, quomodo communicari Augustæ possit? Si non est gratia, sed particularis Populi lex, quomodo ferri potuit prohibente Populi generali lege?

Respondet Fab. [c] in primo, sic posse Principem, quia factus supra leges est. Idem in secundo existimo, potuisse videlicet id Populum, quia in ferenda lege Regia fuit supra leges suas.

De primo etiam vix potuit dubitari; cur enim non Princeps vxori suæ communicet, quod & filijs communicare
1 non prohibetur, si velit? venit namque Vxor quasi in locum filij, & sui hæredis, ex quo etiam *materfamilias* nũcupatur. Vnde Gell. [d] *Matrem autem familias* (inquit) *appellatam eam esse solam, quæ in Mariti manu, mancipioque aut in eius, in cuius Maritus manu, mancipioque esset, quod non in Matrimonium tantum, sed in familiam quoque Mariti, & in sui hæredis locum venisset.* Hæc indiuidua illa vitæ consuetudo, quæ *Consortij* nomine appellata est, vt scilicet eisdem sortis, & fortunæ flatibus prosperis, aut ad-

uer-

uersis matrimonij Consortes agantur, sitque Vxor bonorum omnium, & sacrorum cum Viro particeps, & domina, nihilque diuisum inter eos sit, sicut neque inter Patrem, & Filium. *l. in suis. ff. de lib. & post. l. 1. ff. de ritu*
5 *Nupt. l. aduersus. C. de Crim. expil. hær.*[η] Inde etiam fit, vt mulier, quantumlibet priuata, atque obscuri nominis, viri sui honore refulgeat, atque illustretur *l. fœminæ. ff. de Senat. l. vlt. C. de Nupt. l. Mulieres. C. de dignit. lib. 12.*[θ]
6 Vno verbo. Ea est arctitudo (ita dixerim) Matrimonij, vt non tam Vxor quasi filia sit, quasi soror, aut si maior aliqua coniunctio excogitari possit sanguinis, & amoris, quam vna caro, vnum corpus, vna substantia. Miraris, si ei Princeps priuilegia sua communicat, quæ vnum cum ipso est? Forte mirari plus debes, non ei tributa videri priuilegia eo ipso, quo Vxor est.

α *lib. 12.*
β *Vide Conna. lib. 1. c. 8. n. 4.*
γ *Vide Coras. Miscell. lib. 2 c. ult. n. 8.*
δ *d. l. Princeps. in fi.*
ε *Ibid in Rational.*
ζ *lib. 18. c. 6.*
η *Vide, quæ ego Sac. Iu. contr. differ* 10. c. 6.
θ *Vide sup. c. 19.*

De Iuris Ciuilis diuisione, quæ in scriptum est, aut sine scripto. *Ad l. Ius Ciuile. ff. de Iust. & Iu. & §. Constat. Instit. de Iu. nat. &c.* Cap. CLXXXVIII.

1 *An valeat lex sine scriptura.*
2 *Princeps supra legem est.*
3 *An consuetudo scripturæ donata fiat lex.*
4 *Ius feudorum a consuetudine est.*
5 *Legis, & consuetudinis essentiale discrimen.*
6 *Ius scriptum quasi* præscriptum.

Hoc

HOc igitur ius nostrum (ait Vlp.) *constat aut ex scripto, aut sine scripto, vt apud Græcos, &c.* Idem legimus *in d. §. constat*.

Refert, an diuisionem hanc Iuris quasi in cortice verborum spectemus, an quasi in medulla sensus; nam, si ius omne scriptum est, vel non scriptum, hoc est, in scripturam redactum, vel minus, trahemur in viles quasdam, & improbabiles consequentias, non enim valebit populi,
1 aut Principis lex, si scripta non est. At quid tam absurdū, quam Legislatoris maiestatem scripturæ notis alligari? Ecquis etiam fuit, qui talem Legumlatoribus necessitatē potuerit sua lege imponere, vt leges suas scriberent, alioqui non valituras? Nam, si ipsi sibi ius hoc constituerūt, nō
2 sufficit, cum supra leges suas sint. *l. Princeps. ff. de ll.* Scio, quæstionem esse inter Scribentes, an scriptura de essentia legis sit, quam alibi disputo; [z] sed negatiua pars vti verior ibi præualuit, cum reuera hāc sibi necessitatem Romani Legumlatores nullibi fecisse inueniantur, nec possit quæstio ista, pręterquam de Romanis legibus, disputari, in quibus, si quid forte de hac re est, totum illud ab humanitate, benignitateque est Principis, *vt l. humanum. C. de ll.*

3 Sed & alia trahetur non minus falsa, aut certe inuerisimilis consequentia, vt consuetudo in scriptum relata efficiatur lex, quasi noua quadam forma aduenientes nam & negaui hoc ego alibi [k], & Connanus [y] eo solo casu id cōcederet, quando scriberetur consuetudo ab eo, qui legis ferendæ haberet potestatem, declararetque velle se, vt, quod scriptum esset, valeret deinceps in vim legis, tunc

enim

enim (addiderim ego) introducere legem videretur, & obliterare consuetudinem, quod procul dubio legislator potest.
4 Quid igitur, si consuetudo aliqua scriberetur a priuato homine? Haud certe lex fieret, naturam (inquam) non mutaret, vt ecce. Sunt Iura, quę de feudis extant, & quorum pars maxima ad consuetudines pertinet; & quãuis ab Oberto, & Gerhardo fuerint descripta, cum iam moribus inualuissẽt, attamen tantum abest, vt consuetudinum appellationem amiserint, vt potius cunctorum Interpretum opinione eandem ad hæc vsque tempora retinuerint, immo & Imperatorum quorũdam constitutiones de feudis promulgatas in sui societatem traxerint.
5 Liquet iam, ni fallor, aliam, atque aliam esse debere acceptionem loci huius, nec nisi hanc. Discrimen illud est legis, & consuetudinis, vt illa a suffragio populi sit, seu ab expressa Principis destinatione, & iussione, hæc a rebus ipsis, & factis; vnde Iulian. *in l. de quibus. ff. de ll. Quid interest* (ait) *suffragio ne populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?*
Connanus[d] differentiam eam facit legis, & consuetudinis, quod legis constitutio certa fuit, & tempus, quo lata, certum, & qui eam tulit non ignotus, & habens eius rei authoritatem. At consuetudinis, & principium ignoratur, & author certus nullus citari potest, sed imprudentibus se se nobis insinuat, uoluntatesque nostras obscure primum, tum etiam aperte ipsa sibi conciliat; postremo tantum acquirit authoritatis, uel gratiæ, ut regnet, & dominetur lege potentius. Hęc ille totidem uerbis.
Re-

6 Recte itaque Herman.[ε] docet, ius scriptum intelligi non illud, quod donatum scripturæ est, sed quod *præscriptum*, sancitumque publica iussione; Et contra ius non scriptũ esse, non quod literis mandatum, & scripturæ est, sed quod expresse non fuit præscriptum, & sancitum, vt pro Iure seruetur, quod (inquam) tacite, & moribus vtentiũ absque sanctione receptum, comprobatumque. Hinc M. Tull.[ζ] *Est hæc non scripta* (hoc est, non præscripta) *sed nata lex, &c.* Nec desunt Iura. *Vide l. sed & ea ff. de ll.* ibi *quæ scripta sunt Iura*, hoc est, præscripta, & tradita. Et §. *singulorum. Instit de rer. diu.* ibi *Et leges scribi cœperunt. Et princ. Auth. vt fac. no. constit.* ibi, *si scripta fuerit huiusmodi lex. &c.*

α Sac. Iu. contr. dissert. 1. c. 6. Et in prælect. ad Rub. de Constit.
β Ibid. in prælect. & d. dissert. 1. c. 7.
γ lib. 1. cap. 10. n. 3.
δ Ibid. n. 5.
ε d. §. constat.
ζ Pro Milone.

Quale ius illud sit, quod *moribus*, nõ legibus introductũ dicit Pompon. *in l. libertinus. ff. de Ritu. nup.* Cap. CLXXXIX.

1 *Libertus an matrem, sororem ve ducere vxorem queat. 4.*
2 *Seruus de Iure Ciuili nihil est.*
3 *Seruus manumissus nouus homo est.*
5 *In contrahendis matrimonijs valet plurimum naturæ ius.*

QVęrit ibi Pompon. an libertinus posit matrem, sororem ve, quę libertinę etiam sint, ducere vxores. Et
1 negat posse ea ratione, *quia hoc ius moribus, non legibus introductum est*. Addit Paul. *in l. sororis. ff. eod. Si quis ex his*

quas

quas moribus prohibemur vxores ducere, duxerit, incestum dicitur committere. Æstimo, quod vtrobique de moribus dicitur, ad gentium ius pertinere; nam & sic pulchre examinat Alciatus rem. Sciendum (inquit) quod ad ius
2 Ciuile nostrum attinet, seruos pro nihilo semper habitos. *l. quod attinet ff. de Reg. Iur.* adeoque existimatum, nullam inter eos cognationem. *l. is qui. ff. Vnde Cogn:* nullum con-
3 iugij ius esse; quod si manu a Dominis mitterentur, nouos homines censeri, & ad id, quod in seruitute fuissent, nihil attendi. Merito ergo potuit dubitari, an posset Libertinus matrimonio iungi cum Matre, aut Sorore, quasi illa cognatio, quæ ante manumissionem fuit, non attenderetur, sed nouus homo etiam hoc respectu censeretur. Negat id I.C. quasi nouus homo censeri dumtaxat debeat quantum ad ea pertinet, quæ Iure Ciuili sunt inducta. *l. eas. ff. de cap. minut.* non autem resepctu Matrimonij, quod a moribus gentium, iureque naturæ plurimum pendet, quo apparet *morum* appellationem ad naturalem rationem, & gentium ius omnino referri.

Nec dubium, si addis Paulũ *in l. adoptiuus. §. 1. eod. de Ri-*
4 *tu Nupt.* h.v. *Seruiles quoque Cognationes in hoc iure obseruãdæ sunt. Igitur suam Matrem manumissus non ducet vxorẽ. Tantundem iuris est in sorore, & sororis filia. Idem e contrario dicendum est, vt pater filiam non possit ducere, si ex seruitute manumissi sint, & si dubitetur, patrem eum esse; Vnde nec vulgo quæsitam filiam pater naturalis potest vxorẽ ducere.* Sed quæ ratio? Vide, an bene explicetur, quod
6 de moribus dicebatur, hoc est, gentium Iure. *quoniam* (inquit Paul.) *in contrahendis Matrimonijs naturale ius, & pudor*

dor

dor inspiciendus est. Adde Cuiac.[β]

α *Lib. 4. Parer. cap. 21.*
β *l. ius Ciuile. ff. de Iust. & Iu.*

Bella quando iusta, vel iniusta, summatim explicatum. *Ad cap. iustum. & cap. seq. 23. q. 2.* Cap. CXC.

1 *Bellum iustum definitur.*
2 *Neque iustum est, nisi edicto fiat, aut prædicto.* 4.
3 *Bellator Princeps quasi Iudex.*
5 *Causæ gerendi belli quæ.*
6 *Bellum non est iustum, nisi necessarium.*
7 *Bella iniusta quæ.*
8 *Populi bellorum expertes ex Plinio qui.*

TRia sunt, quibus honestari bellum videatur, intentio, modus, causa. Intentio scrutatorem habet Deum, & fori interioris iudicium sequitur. Modum exprimit, simulque causam Isidor. in *d. c. iustum.* dum bellum, quod
1 legitimum est, definit, *quod ex Edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa.* Legunt alij *ex prædicto,* nec male vtrumlibet.
2 Ex *Edicto* itaq; fieri bellum debet, vt. n. iustum sit, necesse est, vt publico consensu decernatur. Hinc Vlp. *in l. hostes. ff. de Capt. Hostes sunt* (ait) *quibus bellum publice Populus Romanus decreuit, vel ipsi Populo Romano. Cæteri latrunculi, vel prædones appellantur.* Quinimmo tenebitur ille maiestatis, qui iniussu Principis bellum gesserit, delectum ve habuerit, exercitum comparauerit. *l. 3. ff. ad l. Iul. Maiest. c. quod culpatur. 23. q. 1.* Vide Caiet.[α] Fundamen-
3 tum veritatis huius est, quod Princeps, qui bellum indixerit,

rit, aut fecerit, personam gerit Iudicis criminaliter procedentis. Nec dubium, nam bellum iuste factum est actus Iustitiæ vindicatiuæ, quæ propria virtus est Principis, & iudicantis, eius (inquam) qui potestate fungitur Dei, scriptum enim est, *mihi vindictam, &c.* Actum vero Iudicis criminaliter procedentis multa præfigurant, videlicet, hostium cędes, seruitutesque, & in rebus damna. Nec nouũ videatur, Principem, qui bellum infert, hostium suorũ Iudicem quasi esse, nam ij delinquẽdo se quasi iniuriato Principi subdiderunt, & pęnis, & quasi perturbatores bene repelluntur, ac reprimuntur.

4 Ex *prædicto* etiam bellum fit, vt alii legunt ex Codicibus Isidori manuscriptis, videlicet, vt nisi denunciatum sit, indictum ue, aut de repetitis rebus, iustum quoque esse non possit. Sic olim per Fęciales prędicebatur bellum, qui & *Caduceatores* dicti. Addit Cuiac. iure etiam Ciuili id effici, vt prius quam vocetur Reus in ius ad solutionem eius, quod debet, condemnandus, denunciatio præcedat, seu actionis editio. *l. 1. ff. de Eden.* Cernis vndique in bello quasi Iudicij speciem. Quam bene idem Author? *Cogimur* (inquit) *manu, & viribus agere, quod non possumus Iure, Iudicioque Ciuili; nam, vbi licet experiri iure Ciuili, sane non licet bello, aut duello, sed vbi non licet Iure Ciuili, & iudicio, & æquitas interuenit aliqua, sane licet vi, & armis. Duo sunt decertandi genera, vnum per disceptationem forensem, alterum per vim, & ferro. Decernimus ferro, quod in Iudicio disceptando decernere non possumus, & in eos vis iniusta non est, qui ad Ius æquabile cogi non possunt, nam & Iudex in priuatis iudicijs, si quid Ciuiliter exequi non*

po-

poteſt, vtitur manu militari.l.2.ff.ne vis fiat ei,&c.l.qui reſtituere.ff.de rei vendic.

5 Percipis, quæ ſint belli cauſæ; videlicet, ſi repetendum aliquid eſt, ſi propulſandus hoſtis.*d.c.iuſtum.l. vt vim.ff. de Iuſtit.* ſi vindicanda iniuria; ſic namque Auguſtinus poſt Iſidor. *Iuſta bella* (inquit) *definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, vel Ciuitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per iniurias ablatum eſt.*

6 Sic tamen, vt fixum ſit Principi, præſertim Chriſtiano, quod olim Pontius ille Samnitum dux penes Liuium.γ *Iuſtum eſt bellum Samnites* (inquit) *quibus neceſſarium, & pia arma, quibus niſi in armis nulla relinquitur ſpes*. Nam & Ius omne gentium vſu exigente, & humanis neceſsitatibus inſtitutum *eſt.* §.*ius autem gentiũ.Inſtit.de Iu. nat. gen. & Ciu.* Reſtat ſuſcepta bella ex mala voluntate, hoc eſt, ex mera nocendi cupiditate, aut ex dominandi libidine, aut ex rebellandi feritate iniuſtiſsima ſemper eſſe.*c. noli.*

8 *c.quod.culpatur.23.q.1.* Velim ego hodie, cum nulla in Orbe terrarum pars relicta videtur, quę non fuerit armis, & bello laceſsita, fieri Chriſtianos Principes quaſi Gamphaſantes illos (Æthiopiæ populus eſt) quos præliorum ſuorum expertes ſemper fuiſſe, ſcribit Plin.δ

α *In ſumma.*
β *Ad l.ex hoc Iure.ff.de Iuſtit.& Iu.*
γ *Lib.9.*
δ *Lib.5 Hiſtor.cap.8.*

Moderatio inculpatæ tutelæ quæ, aut qualis in Iure.
Ad l.1.C. Unde Vi. Cap. CXCI.

1 *Vltionis nomen æquiuocum.*
2 *Signa inculpatæ tutelæ quæ ex communi ſententia.*
3 *Vim vi repellere ex interuallo non licet.*
4 *Arma armis repellere fas eſt.*
5 *Et numquid neceſſaria armorum paritas.*

INculpata tutela dicitur, quæ naturalis æquitatis fines minime excedit; excedit autem, ſi non tuitio, ſed vltio eſt.
1 Scio, ſępius in Iure naturalem hanc defenſionem *vltionis* nomine appellari, vt in *Rub. C. quã. lic. ſine Iud. ſe vind. & in l. 1.* ibi. *Veſtram igitur vobis permittimus vltionẽ, &c. & in l. deuotum. C. de Metat. & Epidem. lib. 12.* ibi, *cum ſibi arbitrium vltionis ſuæ ſciat eſſe conceſſum.* & tamen a naturali iſta defenſione longiſſime recedit cauſa vltionis, qui namqui vltionem dicit, is moderationem negat tutelæ inculpatæ. Hinc Paul. *in l. ſcientiam. §. 1. ff. ad l. Aquil. Sed* (inquit) *ſi defendendi mei cauſa lapidem in Aduerſarium miſero, & non eum, ſed prætereuntem percuſſero, tenebor lege Aquilia; illum enim ſolum, qui vim infert, ferire conceditur, & hoc, ſi tuendi duntaxat, non etiam vlciſcendi cauſa factum ſit.* Vltionis ergo nomen æquiuocum in legibus eſt, nec minus in Tull.[a] dum ait, *naturam duas habere partes, cautionem ſui, & vlciſcendi ius.* Vlciſcendi (inquit) hoc eſt, moderate tuendi ſe.
2 Videamus, an ſigna ſint, quibus dijudicari poſſit, exceſſus ne fuerit vltionis, vel moderatio defenſionis. Nihil forte tã arbitrarium, vt & Coraſius docet:[b] Solẽt tamen afferri duo. Alterum, ſi vis incõtinenti reijcitur, non ſi ex interuallo. Alterum, ſi paribus armis res fit. Si itaq; vis in conti-

nenti propulsatur, defensio est, si ex interuallo, vltio est. Rem bene definit Vlp. *in l. 3. §. eũ igitur. ff. de ui, & ui arm. h. v. Eum igitur, qui cum armis uenit, possumus armis repellere, sed hoc confestim, non ex interuallo, dũmodo sciamus, nõ solũ resistere permissum, ne deijciatur, sed & si deiectus quis fuerit, eundẽ deijcere, non ex interuallo, sed ex cõtinenti.* Adde *l. sed & partus.* ibi. *mox ego eũ coegero. ff. quod met. cau. &c.* Et bene, nã, qui ex interuallo rem agit, non tã propulsare dicitur, quã, vindex sui ipsius sine lege esse, neq; id, quod agit, pręsens dolor extorquere potest, aut excusare.

Sed nec sufficere omnino volũt, si cõfestim res fiat, nisi &
4 paribus armis contendatur, idq; *ex d. §. eũ igitur.* vbi arma
5 armis repelli posse, idẽ Vlpianus docet. Subsisto, non. n. *paribus armis* dicit, propterea nõ satis ad rẽ est Iurisconsulti authoritas; maxime cũ fieri possit, aggressorem ita superare corporis robore, vt vix possit se tueri vim passus, nisi armis superior aggessore sit. Hinc absolute Florentinus in *l. 3. ff. de Iust. & Iu.* id iure inquit euenire, *vt, quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur.*

Addit Cuiac.γ signũ hoc moderationis, quod de armorũ paritate est, si priori iungatur, vt vulgo faciũt, risu dignũ videri, cũ in paribus armis requirendis cõsilio opus sit, atq; electione, quæ non potest nisi ex interuallo fieri; quare, &c.

α *In Top.* β *l. 3 ff. de Iust. & Iu. n. 8.* γ *Ibid.*

An præscriptio, hoc est, exceptio procedens ex tempore sit contra Ius naturę. *Ad l. 1. ff. de Vsucap.* Cap. CXCII.

1 *Nemo cum alterius iactura locuples fieri debet.*

2 *Dominium absque consensu, & facto Domini non transfertur.*

3 Tem-

3 *Tempus non est modus acquirendorum dominiorum.*
4 *Vsucapio bono publico introducta est.*
5 *Et, vt esset litium finis.*
6 *Præscriptio valet in causa dotis.*
7 *Et de Iure Pontificio.*
8 *Et in foro animæ.* *(do-*
9 *Ius Ciuile minuere aliquid potest ex lege naturali, et quomo-*
10 *Vsucapionum Iura dicuntur Iura nocentia.*

AFfirmant Glosatores,[a] quia naturalis æquitas dictat, ne quis cũ alterius iactura locuples fiat. *l. nã hoc natura. ff.*
1 *de Codict. indeb. l iure succursũ. ff. de Iure dot. c. locupletari. de*
2 *Reg. Iu. in 6.* Et, quia post distincta dominia rerum ea semper fuit ratio Iuris gentium, quod naturale dicitur. § *singulorum. Instit. de rer. diu.* vt dominiũ quæreretur voluntate, & facto Domini rẽ suam transferre volentis. *l. si ager.*
3 *ff. de rei vendic. §. per traditionem. instit. de rer. diu.* cum tamen acquisitio, quæ præscriptione fit, solá temporis causã habeat, temporis (inquã) quod mensura simplex est reliquarũ rerũ, neq; aptitudinem habere potest a natura, vel a lege, vt dominium tradere, vel auferre queat.

Sed recessum ab hac sententia est cõmunibus Scribentiũ votis, nam quod ex Ciuiũ bono est, id ex ratione naturali esse omnino oportet, iuxta protritum illud. *Salus populi su-*
4 *prema lex.* At (inquit Gaius *in l. 1. ff. de Vsucap.*) *bono publico Vsucapio introducta est.* Cur ita vero? Addit ille bene. *Ne scilicet quarundam rerum diu, & fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret Dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatiũ.* Quasi diceretur, authore Couarr.[b] Cessante

ſante per vſucapionẽ acquiſitione incertus ſemper poſſeſſor eſſet, an res, quã ab alio forte emiſſet, ſua eſſet, vel nõ, quapropter, & curam illius abijceret, eamq; ſineret interire, veritus, ne quãdo ſibi auferretur, vero Domino superueniente; at hercle id vergeret in maximum Reip. detrimentũ. Iungit Nerat. peropportune *in l. vlt. ff pro ſuo.* ideo conſtitutã vſucapionem fuiſse, vt aliquis eſset litium finis,
5 quod & olim Tull. [γ] At dubitare quis poſsit, congruum eſse naturali rationi, vt lites dirimãtur in Repub. & Ciues ſumma illa tranquillitate lętentur, ob quam, & creati Magiſtratus, & conditæ Vrbes, & ſcriptę leges ſunt? Sic præſcriptio, quæ temporum, dominiorumq; confuſionẽ tol-
6 lit, lites minuit, res Ciuium conſeruat, in cauſa etiam dotis obijci poteſt. *l. in rebus. §. omnis. C. de Iure. dot.* quæ tamen
7 ex bono, & ęquo eſt. *l. iure ſuccurſum. in fi. ff. eod. tit.* Et iure Pontificio recipitur. *t. t. de præſcript.* quod tamen æquitati per omnia ſeruit. *cap. dilecti. de Iudic. cap. 1. de pact.*
8 *cum not.* Et in foro conſcientiæ itidem valet, vt omnes docent [δ], licet forus dicatur æquitatis, & bonitatis. *cap. nouit. de Iudic.*

Vides, pugnare inter ſe ſe rationes naturales; quapropter reminiſci te oportet, quod alibi ſcribo, [ε] eam eſse Ciuilis legis poteſtatẽ, vt de Iure naturæ aliquid minuere poſsit,
9 atq; excipere. *l. ius Ciuile. ff. de Iuſt. & Iu.* quod vbi facit, nõ eſt id tribuendum Ciuili rationi, quæ corrumpere non poteſt ius naturale. *§. penul. Inſtit. de Iu. nat.* ſed naturali ipſi rationi, cui ipſum Ius Ciuile innititur, & quæ præiudicare poteſt contrariæ illi rationi, quæ itidem a natura eſt. Nunc idem replico, volo enim poſse

eſ-

esse duas naturales rationes pugnantes inuicem, sed eam,
quæ superior est, vere naturalem esse, aliam vero, quæ
vincitur, desinere esse naturalem, Et ecce exemplum in
præscriptione. Suadet ius naturæ, neminem cum alte-
rius incommodo, aut ignorante Domino ditari oportere,
1 ovnde & Vsucapionum iura dicuntur iura nocentia. *l.* 1. *C.*
de Vsucap. transfor. Suadet & lites minui, & ratione so-
lius temporis nihil patitur acquiri. Verumtamen Ius Ciui-
le præscriptionem introducit, & iuri isti naturali præiudi-
cat quidem, sed alia naturali ratione contraria, quæ bo-
ni publici ratio est, vt dixi. Igitur rationes illæ naturales
contrariæ, quæ vincuntur, hac parte desinunt esse natu-
rales, quia desinunt esse secundum rectam rationem, &
præscriptio subsequenter non tantum naturæ contraria
esse non potest, sed omnino secundum naturam est, cũ,
si iniquum aliquod contineret, non valeret præscriptio-
nis lex. *c. erit. 4. dist.*

α *In c. ius generale. in gl. vni. dist. 1. & in l. 1. in gl. 1. ff. de Vsucap. Adde Bal. in l. Ancillæ. n. 11. C de furt. & quod Plato. 12. de ll.*
β *Reg. possessor. §. vn. n. 5.*
γ *Pro Cecin.*
δ *Vide Salon. 2. 2. D. Tho. q. 5. art. 7.*
ε *Sup. c. 101.*

De eadem re; & sententia Iustin. *in §. habeat itaque.*
Auth. Vt Eccl. Rom. &c. Cap. CXCIII.

1 *Aduersus Ecclesiam præscriptiones quæ.*
2 *Præscriptio quatenus iniqua.*

NOn est itaque præscriptio naturali iuri contraria. Sed obstat grauiter Iustinian. *in d. §. habeat itaque.* dum

antiquiores leges emendat in obsequium Ecclesiæ Ro-
1 manæ; cum enim illæ pro Ecclesijs triginta, & quadraginta annorum præscriptiones aduexissent, statuit Imp. aduersus Romanam Ecclesiam non aliam valere prescriptionem posse, quam centum annorum, additque sui motus causam h. v. *Vt sit Deo omnipotenti dignum donariũ, diuinarumque rerum tuitio, nec iniquis hominibus impium remaneat præsidium, & tutus peccandi locus etiam scientibus relinquatur, sed ille seruetur innocens, qui re vera innoxius sit, nec improba temporis allegatione se se tueatur, tempus pro puritate prætendens*. Colligis, iniquum esse eum, qui præscribat, noxiumque, & peccantem; itemque præscriptionis auxilium impium esse, allegationemque temporis improbam. An itaque ex naturæ, iure esse possit, quod ex iniquitate, peccato, impietate, atq; improbitate exoritur? Fely.[a] authenticam hanc legem accipit de longi temporis præscriptione, quæ cum mala fide est, cum neque peccatum esse in bona fide, neque iniquitas possit, aut improbitas vlla. Sed contrarium Felyno est, quia præscriptionem omnem remouet Imperator, quæ centenaria non sit, sique de malæ fidei prescriptione intelligendus locus ille esset, eueniret, vt, qui bonam fidem haberet, posset 30. vel 40. annorum exceptione aduersus Ecclesiã Romanã vti, quod ab oppositæ legis sententia procul est. Alij præscriptionem, quæ priuato noceat, rationem naturalem habere existimant, qua contrariam naturalem vincere possit, sed eam, quæ Romanæ Ecclesiæ preiudicet nullam habere naturalem rationem, & ideo iniquam appellari, impiamque, & cum peccati labe. Aut verius

eo

eo modo Iustinianum loqui, qui non tam Ciuilem legislatorem, quam Religiosum, & Romanæ Ecclesię obsequiosum Principem deceat.

2 Præscriptionem ego iniquam, atque ex peccato dixerim esse, si spectetur is, qui solo temporis cursu, & non sua voluntate damnum patitur; adeoque plus iniquam, si contra Ecclesiam, præsertim Romanam; sed valde ęquá ratione publici boni, vt litibus obuiam fiat. Dixi alibi γ, vsucapionem ab æquitate illa esse, quæ Ciuilis dicitur, & ius ipsum naturale temperat, vbi opus est. Plato δ rerum immobilium præscriptionem non valde commendat, licet mobilium vsucapionem iustissimam credat.

α *Rub. de præscrip. n. 2.*
β *Alciat. ibid. n. 9.*
γ *sup. cap. 4.*
δ *12. de ll.*

De etymo Vsucapionis sententia Gellij explosa. *Ad l. nunquam. §. vlt. ff. de Vsucap.* Cap. CXCIV.

1 *Pignoris capio quæ.*
2 *Vsucapionis quasi notatio elegans ex Tull.*
3 *Capio quid.*
4 *Vsus nomen æquiuocum.*
5 *Vsus pro possessione.*

GEllius α legit *Vsuscapio*, non, vt nos loquimur, *vsucapio*; æstimat enim vsuscapionem dici quasi capionem,
1 hoc est, captionem vsus, sicut pignoris capio dicitur quasi capio, hoc est, captio, & ablatio pignoris.
Sed viro vsquequaque optimo, atque erudito, & ratio obstat, & lex. Ratio ex Connano, β quia pignoris captio appellatur, cum pignus capitur, quod, cum corporalis

res sit, non repugnat capi posse. At vsus capi non potest quasi incorporeum quid, vnde non dicimus *capere vsum*, cum captio vsus nulla esse possit, sed *capere vsu*, hoc est,
2 per vsum, quapropter & M. Tull.[γ] vsucapionem vocat *vsus authoritatem*.
Obstat & lex, nam vsucapiendi verbum quandoque a Iurisconsultis diuiditur aliquo interiecto. Hinc Paul. *in d. l. nunquam. §. vlt. ff. de Vsucap. Si* (inquit) *defunctus emit, hæres autem putat, eum ex donationis causa possedisse, vsu eum capturum Iulianus ait.* Ecce interijcitur, *eum*, simulque patet, verum omnino id esse, quod dicebatur, non vsum ipsum capi, sed per vsum rem.
3 Rectius Conna.[δ] & Cuiac.[ε] Capio (inquiunt) est acquisitio; est enim capere nihil aliud, quam in suum dominiũ capere, & acquirere. *l. aliud est capere. l. cepisse. ff. de Verb. sig. l. Prætoris. ff. de dam. inf.* Capere vsu est per vsum acquirere, & vsu suum facere. Vsus autem quid hic significet,
4 videamus. Est *vsus* nomen quasi æquiuocum, de quo videndus ad rem Cuiac.[ζ] Capitur vero inter cętera pro possessione, vt habet Iauolen. *in l. quæstio. ff. de Verb. sig.* fuitque hęc definitio penes Gall. vt & Festus prodidit. *Possessio est vsus rei quidam.* Quia vero vsucapimus ex longa possessione, propterea credendum, vsus nomine nihil aliud
5 venire, quam possessionem, credendum (inquam) cum sæpe in Iure eadem sint vsu capere, & possessione capere, adeoque pro vsucapione sumatur nomen possessionis. *l. quamuis. l. non solum. § si dominus. ff. de Vsucap. l. emptor fundi. l. qui fundũ. §. seruus. ff. pro Empt.* Reliqua apud Cuiac.[η]

[α] *Lib. 7. cap. 10.* [β] *Lib. 3. cap. 11. n. 1*

[ζ] In

γ In Topic. ε l. 3. ff. de Vsucap.
δ Sup. ζ Sup.

An definitio Vsucapionis ex Modestino possit hodie præscriptioni conuenire. *Ad l. 3. ff. de Vsucap.* Cap. CXCV.

1 *Vsucapio quid.*
2 *Præscriptionis definitio.*
3 *Vsucapio ex l. 12. Tab. quæ.*
4 *Et quæ eiusdem suppletiones a legibus iunioribus.*
5 *Præscriptio an possit videri legitima.*
6 *Et an, vel quando dominium adijciat.*

1 VSucapio (inquit Modestin. *d. l. 3.*) *est adeptio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Sic adeptionem dominij, seu (vt alij legunt) adiectionem Vsucapio facit. Non eodem modo definitur præscriptio
2 a Glosatore, [a] sed, vt sit *exceptio ex tempore substantiam capiens, &c.* Et licet huius definitionis veritatem controuertere Scribentes soleant [β], attamen sub exceptionis genere præscriptionem nemo non collocat; & sunt, qui dixerint, vsucapionem esse acquisitionem dominij, præscriptionem vero esse exceptionem illam, quæ ex vsucapione competit, quapropter eam recte definiri *adeptionem dominij*, hanc bene *exceptionem*.
Sed (quicquid olim de hac re fuerit) hodie certum est, non minus præscriptione dominium, quam vsucapione acquiri. Videamus, cuiusmodi hæc res sit. Ait Iustin. *in princ. Instit. de Vsucap.* iure Ciuili fuisse constitutum, vt res mobilis anno, res autem immobilis biennio vsucaperetur. Iure Ciuili (inquit) hoc est, lege 12. tab. quam con-

constat per eminentiam Ciuilis Iuris nomen accepisse, & in qua sic scriptum legimus. *Vsus, & authoritas fundi biennium esto; cæterarum rerum vsus annuus esto.* Iuxta hæc verba vsucapionem definiuit *Vlp. in fragm. tit. 19. §. Vsucapione.* vt sit *dominij adeptio per continuationem possessionis anni, vel biennij, rerum mobilium anni, immobilium biennij;* vnde credimus, id, quod habet in sua definitione Modestinus (*temporis lege definiti*) accõmodasse Tribunianum ad hæc nostra tempora, quibus anni Vsucapionum, vel præscriptionum aliter, atque aliter pręfiniti sunt, vt bene conijcit Vult.[γ]

4 Porro inuēta, vt diximus, vsucapione ex *l. 12. tab.* erat opus suppletione legis duplici ex causa. Altera, quia extra solum Italicum non erat vsucapio, vt Iustin. ibidem testatur; altera, quia multa erant, quæ vsucapi non possent, vt iura realia, hoc est, ratione rei competentia. Et quia iniquum videbatur, fraudari eos, qui longo tempore possedissent, vel quasi, propterea, vel interpretatione prudentum, vel æquitate Prætorum factum fuit, vt ex longo tempore exceptio daretur, quę pręscriptio deinceps appellata est, & nunc in Iure exceptionis, nunc præscriptionis nomine nuncupatur, *l. an vitium. l. creditor. ff. de diuer. & tempor. præscript.*

At in casibus, quibus acquiri dominium potest, erat valde dubium, an hæc exceptio dominium sapere videretur, an (inquam) dici posset, dominium præscriptione acquiri; immo ante Antoninum Imp. dubium semper
5 fuit, an hæc exceptio, hoc est, præscriptio legitima videri posset. Hodie vtrumque habemus expeditum; Nam si

quæ-

si quærimus, an exceptio hæc legitima videri possit, rem dirimit Martian. *in l. 9. ff. de diuer. & tempor. præscr.* Si du-
6 bitamus, an hęc exceptio dominium adijcere videatur in ijs causis, quibus acquiri dominium potest, rem absoluit Iustin. *in l. si quis Emptionis. in princ. C. de præscrip. 30. vel 40. ann. Si quis* (inquit) *emptionis, vel donationis, vel alterius cuiusque contractus titulo rem aliquam bona fide per decem, vel viginti annos possederit, & longi temporis exceptionem contra dominos eius, vel creditores hypotecam eius prætendentes sibi acquiserit, posteaque fortuito casu possessionẽ eius rei perdiderit, posse eum etiam actionem ad vendicandũ* (nota) *rem eandem habere sancimus, hoc enim, & veteres leges, si quis eas recte inspexerit, sanciebant.* En, qui præscribit, vendicare potest, qui autem vendicat dominus est. Hoc ipsum & leges veteres sanxisse ait, si eas quis recte inspexerit. Ergo in vetustis legibus aliqua erat ambiguitas. At quæ? forte, quia exceptionẽ, hoc est, præscriptionem dabant temporis, quasi dominum non darent. Tollitur ambiguitas, nam, qui excipit, simul dominus rei fit, si corporalis est res, si vero incorporalis est, videtur saltem quasi dominus, vti is, a quo nulla actione euinci res potest.[δ] Denique præscriptione dominium acquiri, satis docet Iustin. *in d. princ. Instit. de Vsucap. & l. 1. C. de Vsucap. transfor. &c.*

α *16. q. 3. in summa.*
β *Vide Abb. n. 1. Alciat. n. 4 ad. Rub. de præscript. Couar. ad reg. possessor. par. 1. n. 4.*
γ *In princ. Instit. de Vsucap. n. 8.*
δ *Vide Conna. lib. 3. c. 11. n. 4.*

An dominium, quod vsucapione acquiritur, directum sit, vel vtile. *Ad eand. l. 3.* Cap. CXCVI.

1 *An Vſucapio contra Iuris regulas ſit. 9.*
2 *Vſucapionis lex dicitur lex authoritatis.*
3 *Vſucaptus fundus proprio poſſeſsionis nomine appellatus.*
4 *Quod noſtrum eſt abſque facto noſtro non transfertur.*
5 *Lex de dominio loquens intelligitur de directo.*
6 *Vſucapio traditioni comparata.*
7 *Definitionis verba in ſenſu integro capienda.*
8 *Quiritiarius, & bonitarius dominus quo differrent.*
10 *Vſucapio an ſolum Ciuile dominium transferat.*

1 VTile videbatur, quia contra Iuris regulas [α]. Nec du-
2 bium, nam lex Vſucapionis vocatur plerumque *authoritas*, vel *ius authoritatis*, vt penes Tull.[β] & Gell.[γ] ſic enim (ait iſte) lex Atinia, quæ de prohibita vſucapione rei furtiuæ lata eſt, vſucapionem ſimpliciter appellat authoritatem; & fundum per authoritatem vſucaptum ſim-
3 pliciter antiqui appellabāt poſseſsionem, quo pacto etiā poteſt intelligi, quod obſcure Iauolen. *in l. quæſtio. ff. de Verb. ſig.*

Et propius ad rem noſtram firmat eandem propoſitionē
4 id, quod generali Iuris regula habemus, *id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro transferri ad alium nequaquam poſſe. l. id quod noſtrum. ff. de Reg. Iur.* cumque huic regulę contradicat vſucapio, manifeſtum eſt, hanc ſola Iuris authoritate fulciri.

5 Sed pro directo ſunt communia ſcribentium vota, [δ] cum enim lex de dominio loquens, niſi aliud repugnet, non de vtili accipi debeat, ſed de directo (quippe dominus utilis appellatur non dominus. *l. 1. ff. ſi ager. Vectig.*) & di-

dicant leges, dominiũ Vsucapione acquiri. *l. 1. de acquir. rer. dom. §. 1. Instit. de Vsucap. §. vlt. Instit. de Vsu, & habit.*
6 *l. vlt. C. de Edi. D. Hadr. toll.* vnde & traditioni comparatur, *l. traditionibus C. de Pact.* qua dubium non est directũ dominium dari. *l. clauibus. ff. de contr. Empt. §. per traditionem. Instit. de rer. diu.* denique, cum definiatur vsucapio
7 per Dominium. *l. 3. ff. de Vsucap.* & traditum sit, definitionum verba in sensu integro, atque completo accipi oportere[e], iam dominium acquiri directum, non vtile, iudicari opus est.

8 Puto etiã, iam iam innotuisse differentiam Quiritiarij, & bonitarij Domini, quæ vigebat, priusquam exiret a Iustiniano *tit. Cod. de nudo. Iure Quirit. toll.* Dicebatur dominus *Quiritiarius* is, qui dominium acquisierat per modos a Iure Ciuili inuentos, vt mancipationem, in Iure cessionẽ, vsucapionem, &c. Qui vero per modos Iurisgentium dominium aliquod nanciscebatur, is *bonitarius* dominus nuncupabatur. Hanc vero differentiam sustulit Iustin. *d. tit. C. de nudo Iu. Quirit. toll.* Ergo Vsucapio erat ex modis Iuris solemnibus, queis dominium acquireretur, vt videre est penes Vlp. *in fragm. tit. 19.* & bene explicat Vult. nec credebatur olim dominium esse plenum, aut satis cõstabilitum, nisi per modos Iuris Ciuilis confirmatum esset, inter quos, vt dixi, vsucapio erat.

9 Neque vrget opposita ratio. Quod enim dicebatur, dominium translatum contra Iuris regulas vtile, non directum esse, si concedendum forte est, non illud tamen æque admittimus, vsucapionem esse contra Iuris regulas, cum potius sit modus acquirendi dominij approbatus a

Iu-

Iure veteri, & vendicationem olim tribueret per ea verba solemnia. *Hanc rem ex Iure quiritum meam esse aio.* Erit ergo contra regulas Iuris gentium, quibus sola traditione dominium transfertur, sed non Iuris Ciuilis, & quasi Ius a Gentiũ Iure eiusq; regulis omnino extraneũ bene appellabitur *ius authoritatis*, vti sola legis authoritate suffulctũ.

10 Crassius rem distinguebat Vacon.[η] eum scilicet, qui vsucapit, dominum esse solo dominio Ciuili, priori vero domino remanere dominium naturale, quasi non potuerit istud abeo recedere, nisi facto suo, putabat .n. posse duos esse dominos in solidũ, alterũ naturaliter, alterum ciuiliter, sicut dantur duo possessores in solidum, alter, qui naturaliter possideat, alter, qui ciuiliter.[ϑ]

Sed vtrobique fallitur, nam duos, vel in solidum esse dominos, vel posidere in solidum posse, negauimus alibi[ι] cũ veriori sententia, & distinctio hęc naturalis, ac Ciuilis dominij in causa Vsucapionis commentitia est.

α *Vide gl. vlt. in auth. donationem. C. de Iu. dot. cum relatis per Alciat. ad Rub. de præscript. n. 24.*
β *In Topic.*
γ *Lib. 17.*
δ *De comm. Bero. Rub. de præscrip. n. 15.*
ε *Omnes ad §. 1. Instit de Action.*
ζ *In princ. Instit de Vsucap. n. 1.*
η *Declar. Iur. cap. 43. n. 21.*
ϑ *Adde Barbos. ad l sicut. n. 210. C. de præscript. 30. ann.*
ι *Sup. cap. 69. & passim.*

An ex præscriptione directum acquiratur, vel vtile dominium. *Ad eand. l. 3 ff. de Vsucap.* Cap. CXCVII.

1 *Præscribens exceptionem habet contra dominum.*
2 *Exceptio est actionis exclusio.*

3 Non

HIc de præscriptione loquimur longi temporis, quæ decem, aut viginti annorum est, & post legem 12. tab. inducta fuit.

Videbatur autem de vtili dominio respondendum cum Baldo, [a] & communi Scribentium schola, [b] quam fouet Gratian. *in c. placuit. §. potest. 16. q. 3. Qui* (inquit) *bona fide, & iusto titulo rem præsentis per decennium, absentis vero per vicennium tenuerit, perpetua exceptione tutus erit, nō solum aduersus alios, sed etiam aduersus Creditores, quibus res ipsa obligata fuerat, etiam aduersus verum dominum. Si vero aliquo casu a possessione ceciderit, etiam aduersus dominum vtiliter rem vendicare poterit.* At hercle, qui utiliter uendicat, is solum utile dominium habet.

Et certe, si præscriptio ita bene definitur, ut sit *exceptio ex tempore substantiam capiens, &c.* [c] sique uerum illud est, quod pleræque enuntiant leges, præscribenti exceptionē dari etiam contra dominum, *vt l. si pupillus. ff. de adm. tut. l. vlt. C. de Edi. D. Hadr. toll. l. super longi. C. de præscript. lon.*
2 *temp.* utique Domino actio competet, cum exceptio sit actionis exclusio. Sed actio competere nequit Domino, quin directum ius penes eum remanserit. *l. in rem. ff. de rei vend.* quo fit, ut præscribens solum utile habere uideatur

tur, nam duo insolidum eodem respectu eiusdem rei domini esse non possunt. [d] Confirmaturque hæc ratio peropportune *ex l. 1. § cum prædium. ff. de pignor.* vbi non valet vsucapio ad perimendum pignoris ius, quia (inquit Papin.) *quæstio pignoris ab intentione Dominij separatur*, cũ tamen ad perimendum ius pignoris valeat præscriptio lõgi temporis. *l. 1. & 2. C. si aduer. Credit. &c.* neque alia mehercule ratione, quam, quod vsucapione dominium acquiritur, præscriptione vero exceptio temporis.

Sed placet, quod aduersus recepta Scribentium vota tenuit Martinus glosator, [e] haud minus præscriptione directum ius, quam vsucapione acquiri. Nam, licet sola olim Vsucapio dominium adiecerit, præscriptio vero exceptionẽ dumtaxat fecerit, voluit tamen Iustinianus deinceps, ex vtraque dominium acquiri, & ex dominio actionem, vt *in princ. Instit. de Vsucap. & l. si quis Emptionis. in princ. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* vbi etiam interpretatur, sic veteres voluisse leges, si quis bene eas inspiceret. Adde *l. vlt. in fi. C. de Edi. D. Hadr. toll. l. eum, qui ædes. ff. de Vsucap.*

4 vbi male Accurs. [f] Nec discrepat testimonium Vulteij, [h] distinctionem hanc scilicet directi, atque vtilis dominij non fuisse notam tempore Iustiniani, sed ex Longobardorum fęcibus in scholas venisse.

Nec contrarium probat Gratian. *in d. § potest.* nam (si deferendum aliquid ei est) quod ait *vtiliter.* intelligere debes *efficaciter*, ac *proficue*, vt per Gl. bene. [g]

Minus obstant ratio, & iura, quæ opponebantur.

Nam, si eo modo definienda pręscriptio est, vt sit *exceptio ex tempore, &c.* valere definitio potest, quia talis olim

erat,

erat, qualẽ nunc ſinimus, & ſic nomen retinuit, licet mutata ſubſtantia fuerit.

Gloſator autem ſic diſtinguit. , Aut intentio Actoris ipſo Iure tenet, & tunc Reo cõpetit exceptio, quę dicitur *actionis*. Aut non ipſo Iure, & tunc exceptio dicitur *intentionis*, vel exceptio *facti*. Qui itaq; vel pręſcribit, vel vſucapit, eatenus excipere de facto dicitur, quatenus de facto agitur, cęterũ is, aduerſus quẽ vſucapitur, vel pręſcribitur, omni

5 Iure actionis procul dubio deſtituitur. Et pro Gloſatore facit, nã pręſcriptio, de qua loquimur cũ bona fide, & titulo, vicẽ habet ſolutionis. *d.l.ſi pupillus. ff. de adm. tut.* ſolutione vero omnis obligatio tollitur, vel actio. *Inſtit. quib.*

6 *mod. toll. oblig. in princ.* & tamẽ, ſi is, qui debitũ ſolui t, iterũ actione conuenitur, defendit ſe exceptione, quæ intentionis dicitur, vel facti, nam, ſi de Iure loquimur, exceptionem nõ habet, cum actio nulla obſtare ei poſſit ...

Addes, non valere ſequelã hanc. *Qui præſcribit, exceptionẽ habet, ergo directũ dominiũ non habet*, nam & qui vſucapit exceptionem habet, cũ tamen directũ dominiũ ſimul habeat. Vide *l. in rebus. §. omnis. C. de Iure dot. Omnis autẽ* (inquit) *temporalis exceptio, ſiue per Vſucapionẽ inducta, ſiue per decẽ, ſiue per viginti annorũ curricula, ſiue per triginta, vel quadraginta annorũ metas, &c.* Hic exceptionis nomen nõ quoad ſolam vſucapionem, vt Gloſator docet, ſed & quoad præſcriptionem improprium eſt.

Cæterum Papin. *in d. l. 1. §. cum prædiũ.* de vſucapione lo-

7 quitur rei immobilis per biennij tẽpus (vti ex lege 12. tab.) quæ quidem vſucapio ad iura incorporalia non extendebatur, adeoque nec ad liberationem pignoris, ad hanc .n.

aliaq; Iura cõsimilia fuit deinceps introducta præscriptio longi tẽporis. Vbi itaq; lex inciderit, quę de incorporali aliquo Iure decernat, statues, in rebus incorporeis, quę .s. sub dominio cadere non possunt, & ideo vsucapi nequeunt, retinere præscriptionem naturam suam, vt exceptio dicatur, & sit. Adde quæ Cuiac[μ].

α *Ad l. si duo patroni. §. 1. in fi. ff. de Iureiur.*
β *Vide Bero. in Rub. de præscript. n. 17.*
γ *Vide Gl. 16. q. 3. in sum. & quæ sup. c. 195.*
δ *Sup. c. 69. & passim.*
ε *Vide gl. in l. si quis Emptionis. ver. exceptionem. C. de præscr. 30. ann.*
ζ *Ver. mutet.*
η *In princ. Instit. de Vsucap. n. 47.*
θ *Ver. vtiliter.*
ι *In l. 2. ver. intentionem. ff. de excep.*
κ *Vide gl in l. qui se debere. vers. sed. ff. de condit. ob cau.*
λ *Ibid.*
μ *d. §. cum prædium.*

De eadem re, & de sententia Iuliani *in l. si duo patroni. §. 1. ff. de Iureiur.* Cap. CXCVIII.

1 *Actio ex iureiurando quæ, aut qualis.*

IVlianus ait, eum, qui iurauit, fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam vtilẽ actionem habere debere. Hæc Vlp. subobscure *in d. §. 1.* At hercle, si vtilem actionẽ hebere debet, ergo directam non debet: si (inquã) is, qui iurauit se dominũ, & præscriptionẽ probauit, nisi vtilẽ actionẽ cõsequi nõ potuit, cõstat ius directũ nõ habere. Multiplex est huius legis acceptio, illa autem nunc pręcipua, quæ retorquetur, si sic facti speciem mihi effingo. Iurauit Titius, fundum suum esse, ex hoc quidem iuramento non directam actionem acquirit, sed vtilem, vt alibi di-

dico, & vide *d.l. ſi duo patroni. §. Marcellus. & l. ſed & ſi poſſeſſori. §. vlt. ff. de Iureiur.* Poſtquā iurauit, pręſcripſit, cū vere dominus non eſſet, & ſic præſcriptione impleta vna cum directo dominio directam quoq; actionem cōſecutus eſt. Quæritur, an vtilē perdat ex iureiurando quæſitā, & negat Iulianus, quia ius ſuperueniens præſcriptionis nō pręiudicat iuri, quod ex iureiurando obuenerat, atq; ita agere vtraq; actione poteſt. Sic retorquetur lex, cum iſte ex præſcriptione directam actionem acquiſierit.

Vt autem videas, argumentum eſſe impertinens, memor eris, vtilem actionem ex Iuramento non eſſe quaſi ex dominio vtili, ſed quaſi ex mente, & ſententia legis.

An is, qui aduerſus debitorem ſuum præſcripit, non tantum ciuiliter obligari deſinat, quod certum eſt, ſed & naturaliter. *Ad l. ſi pupillus. in fi. ff. de admin. tut.* Cap. CIC.

1 *Lex Ciuilis quomodo nudæ pactioni detrahere potuerit.*
2 *Præſcribens ſoluenti ſimilis. 6.*
3 *Et an ipſo Iure liberetur, vel ope exceptionis. 5.*
4 *Naturalis obligatio quando parere actionem poßit.*

QVi manere putant naturalem obligationē, eo maxime ſuadentur, quod præſcriptio a mero Iure eſt Ciuitatis, quo mutari ius naturę nequaquam poteſt. *§. ſed naturalia. Inſtit. de Iu. nat. gen. & Ciu.* propterea enim ius authoritatis appellatur, vt alibi dico.[a]

Sed confunduntur ex his, quę ſupra[b], cum poſſit Ius Ciuile aliquid de Iure naturæ excipere, idq; non a ſe ipſo, ſed
1 a ratione illa naturali, qua ducitur. Et nunc addo exem-

plum, nam Ius Ciuile detrahit pacto nudo, eique nullam obligationem relinquit, licet naturalẽ (vt frequentius æstimant) nec tamen inuidia vlla est, quin valeat Ciuilis lex ex consimili ratione, vt lites minuantur, &c.

2 Restat argumentum *ex d.l. si pupillus. in fi. Is autem* (inquit Paul.) *qui tempore liberatus est, non est similis ei, qui nihil habet, sed ei, qui satisfecit, habet enim, quod obijciat petitori*; idest, quod excipiat contra petitorem. Liquet ex Paulo, eum, qui præscripsit debitum, non ipso Iure liberari, sed ope exceptionis, ergo & actione teneri posse, quę obligationem aliquam præsupponat, vnde ortũ ducat, hoc est, naturalem; cumq; inauditum videretur, ex naturali obligatione oriri actionem posse, occurrunt, non esse id tam nouum, quando semel naturalis obligatio cum ciciuili obligatione coniuncta fuit.

3 Sic itaque decernunt, neque, vt opinor, satis bene. Scio quæstionem Scribentium esse, an præscribens ipso Iure liberetur, vel ope exceptionis, & scio etiam, pro exceptione frequentius causam dici, sed olim id valuisse existimo, cum pręscriptio non conferebat dominium, sed exceptionem dumtaxat. Postquam vero ex Iustiniani lege æquata vsucapioni præscriptio fuit, iam præscriptio non pura exceptio est, vti neque vspiam vsucapio.

4 Est etiam nonnihil, quod communibus placitis obuersetur. Aiunt, naturalem obligationem in tantũ subcreuisse, vt parere actionẽ posit, si calorẽ semel habuerit ciuilis obligationis, cui iũcta esset; & deinceps docẽt, manere quidẽ obligationẽ naturalẽ aduersus pręscribentẽ, sed omnino elisã, inefficacẽq; & nullius effectus, ita, vt dici vtrumq;

pos-

possit, videlicet, & manere obligationem, & cessare. At quî fieri obsecro possit, vt actionem obligatio illa pariat, quæ sine effectu, inefficax, & nullius omnino roboris, aut momenti est?

5 Verius forte, præscribenti nullum omnino vinculum manere obligationis, seu ciuilis illa sit, seu naturalis, sic enim passim loquuntur leges, completa demum præscriptione actiones non viuere, extingui, sopiri, excludi, plenissimam munitionem præscribenti dari, &c. *l. omnes. l. sicut. C. de præscript. 30. ann. c. ad aures. de præscript.*

6 Quod autem obijcitur ex *d. l. si pupillus*, aut facile profligatur, aut solide retorquetur, nam præscribentem similem facit ei, qui debitum soluit, seu (vt Paulus loquitur) qui satisfecit; at solutione omnis tollitur obligatio, seu naturalis ea sit, seu Ciuilis, *vt in princ. Instit. quib. mod. toll. oblig.* quapropter non potest de alia exceptione Paulus intelligi, quam facti, seu intentionis, vt sup. [δ]

Addit Cuiac. [ε] verbum illud *tempore.* aut redundare, aut tráslatum esse ex lege seq. ibi, *tempore curæ.* quod si verum est, iam locus Pauli de præscriptione non est.

α *Sup. cap. 196. & passim.*
β *cap. 192.*
γ *Abb. ad Rub. de præscript. n. 5. vbi Alciat. n. 44. Bero. 43. Paris. 21. Balb. de præscript. par. 1. princ. q. 6. n. 1. &c.*
δ *cap. 197.*
ε *d. l. si pupillus.*

An hodie aliqua suppetat inter Vsucapionem, præscriptionémque differentia. *Ad l. 2. C. in quib. caus. cess. lon. temp. præscr.* Cap. CC.

1 *Seruus quanto tempore præscribatur.*

MIhi protrita quęstio Centuriam claudit; cũ enim cõmuni olim Scribentiũ consensu recepta differẽtia illa esset, vt rerum mobilium, ac se mouentium vsucapio, immobilium vero, atque incorporalium præscriptio sit, displicuit tamen iunioribus, & maxime Transalpinis, cũ præcipue huius differentiæ author fieret Iustin. *in princ. Instit. de Vsucap. & l. 1. C. de Vsucap. transfor.* qui verius vtrobique pro re tum mobili, tum etiam immobili sumpsit nomen Vsucapionis, vt Alciatus monet [α].

1 Neque allegari pro vulgari eo discrimine debuere Impp. *in l. 2. C. In quib. caus. cess. lon. temp. præscr.* h. v. *In seruorum proprietatis negocio cum Vsucapio locum habeat, ad quæstionem longi temporis præscriptionis superfluo peruenitur.* Nam bene respondet Alciat. [β] non fuisse illic dubitationem in vi verborũ, sed in tempore, cum enim vellent aliqui, seruum nõ præscribi, nisi longo tempore, decisum esse pro opposito, vt biennij vsucapio locum in eo habeat; Immo retorqueri legem posse, quasi quę vsucapionem cum pręscriptione confundat.

Restat discrimen aliud, quod & si omnis vsucapio simul & præscriptio dici potest, non tamen omnis præscriptio est vsucapio, sed ea dumtaxat præscriptio vsucapio etiam dicitur, quæ consistit in rebus corporalibus, nam si in rebus, quæ corpus non habeant, tunc præscriptio dicitur, & bene, sed vsucapio nullo modo. Vide Vult. [γ] & quæ sup. [δ]

α *Ad Rub. de præscrip. n. 2. & 15.*
β *Ibid. n. 3.*
γ *In princ. Instit. de Vsucap. n. 10.*
δ *cap. 197.*

LÆ-

LÆLII MANCINI POLITIANI GENIALIVM, &c.

CENTVRIA TERTIA.

Valeat ne in Municipijs lex, qua certum aliquod tempus sic præfigatur agenti, vt deinceps non admittatur. *Ad cap. vlt. de Præscript.* Cap. CCI.

1 *Præscriptio cum mala fide damnata.* 5.
2 *Actionum tempora, & durationes a quo Iure.*
3 *Iudex an possit agenti tempus præstituere.*
4 *Valet arg. a pacto ad statutum.*
6 *In iudicijs quasi contrahitur.*
7 *Pactio per consensum definitur.*
8 *Lex quid possit absoluta potestate.*
9 *Lex quamuis dura seruari debet.*
10 *Aperte vero iniqua non est lex.*

IN hac re Bart.[a] sibi ipsi contrarius est. Communis autem conclusio negat,[b] eiusmodi statutum valere, cum, si ita
1 fiat, debitor in bona fide esse non possit, & omnis cum mala fide præscriptio a Pontificio Iure damnetur. *d. c. vlt.*
2 Sed tunc dubitant. Nam, vt spatio aliquo temporis, aut perpetuo actiones durent, totum id a Iure positiuo est; cũ enim perpetuæ primo essent, certos deinde fines habuere, vt 30. vel 40. annorum. *l. sicut §. penul. C. de præscript.* 30.

vel 40. ann. & Instit de perpet. & tempor. act. & actiones quædam introductæ, quæ certo breui tempore finirentur, vt Redhibitoria, Quanto minoris, & de dolo actio. *l. quod si nolit §. si quid ita. ff. de ædil. edi.* Quin & Iudex interdum pronunciat, vt nisi intra tempus aliquod petitio fiat, admitti deinceps petitor non debeat, quod ipsum pactionibus interdum fit inter priuatos contrahentes. *l. si quis postquam. ff. de fideiuss. l. vlt. in fi. cum Bart. ff. rem rat. hab. l. cum decem. §. 1. ff. de solut. fac. l. eum qui ita. §. qui ita ff. de Verb. oblig.* At quæ, obsecro, inuidia est, vt fieri per statutum possit, quod & per Magistratum, & per legem
4 pactionis potest? Nam vulgare est argumentum a pacto ad statutum. *l. non impossibile. ff. de pact. l. neque pignus. ff. de reg. Iu.*

Respondét, maximi referre, an verba statuentium in actionem ipsam concepta sint, an in personas. Nam si in actionem, vt, si dicant, certo aliquo tempore extingui, perimi, sopiri, ac finiri debere, tunc quiescere Pontificiũ ius, non enim tunc ab aliquo pręscribi actionem, sed ipsã suapte natura interire, cum perducta ad exitum fuerit, vel exitium sui.

Si in personam Creditoris, tunc cessare etiam Pontificiæ legis sanctionem, cum debitor tunc non proprie pręscribere dicatur mala fide, sed magis creditor a statuto mulctetur quasi desidiosus, ac negligens in pęnam debitori iustissime luendam.

Si in personam debitoris (cui scilicet præscribendi ius detur, si certo aliquo tempore creditor siluerit) valere tunc
5 pontificiam constitutionem; hoc est, non aliter præscri-

bere

bere debitorem posse, quam, si bonam fidem habeat, vtp. si fuerit debitum a Procuratore contractum, atque ipse ignoret. *arg. d. c. vlt. &c.*

Neque obstare ea, quæ nunc de Iudice statuente tempus, nunc de contrahentium pactione objiciuntur; Nã vtrobique esse partium consensum, quæ & perdere rem suam possent, si ita vellent; consensum (inquam) in facto Iudicis, quia contestando coram eo litem quasi contrahe-
6 re intelliguntur. *l. 3. §. idem scribit. ff. de pecul.* consensum
7 etiam in pactione, quia per illum pactio definitur. *l. 1. in princ. ff. de Pact.*

8 Æstimo, absolute parendum statuto esse. Nam, si causa statuendi fuit publica aliqua necessitas, vel vtilitas, potuerunt vtique statuentes absoluta quadam potestate, vt alibi dico, [ε] cum & priuatorum dominia interuertere,
9 possint, & auferre, si ratio id postulet communis boni. Si vero dubitetur, obtinet tunc lex, quæ quamuis dura, seruanda tamen est. *l. prospexit. ff. qui, & a quibus, &c.* Nam,
10 si statutum esset manifeste iniquum, nostram hanc disputationem non ingrederetur. *c. erit autem. 4. dist. &c.*

α *In l. sequitur. §. si viam. n. 4. ff. de Vsucap. et l. omnes populi. n. 24. ff. de Iust. & Iu*
β *Vide Alciat. ad Rub. de præscript. n 5.*
γ *gl. in l. vn. C. ne quis in sua causa Iud. in l. diffamari. C. de Ingen. de comm. Bero d. Rub. de præscript. n. 53.*
δ *Vide Castr. d. §. si viam. n. 6.*
ε *Sup. cap. 173.*

An præscriptio impediri per pactum posit. *Ad l. 1. ff. de Vsucap.* Cap. CCII.

1 *Præscriptio cum mala fide cur introducta.*
2 *Renunciari Iuri non potest, quod in alterius odium statutũ sit.*

3 *Ius*

3 *Ius publicum priuatorum pactis non mutatur.* 5.8.
4 *Negligens non est, qui scit, ius suum durare.*
6 *Legibus an renuncietur.*
7 *Vsucapionis decernendæ causa quæ.*

AN suo pacto teneatur, qui promisit, non præscripturum se, quæritur. Est autem communis resolutio a, præscriptioni, quæ cum mala fide est, renunciari non
1 posse, cum introducta fuerit in odium negligentis. *c. vi-*
2 *gilanti. de præscrip.* renunciare autẽ nemo possit iuri, quod alterius odio statutum est. β Secus, si de ea præscriptione agatur, quæ cum bona fide esse debet, hanc enim directo per pactum auferri non posse, indirecto posse. Directo (inquam) non posse, quia bono publico introdu-
3 cta est. *l. 1. ff. de Vsucap.* quod priuatorum pactis non remittitur. *l. ius publicum. ff. de pact. c. si diligenti. de fo. compet.* Indirecto autem posse, nam qui ita paciscitur, eo ipso, quo spondet non præscripturum se, malam fidem habet. Sed recessit Alciat. γ Nam, si de præscriptione loquimur (ait ille) quæ cum mala fide est, bene ei per pactum renun-
4 ciare possumus quasi odiosæ rei. *arg. c. odia. de reg. Iu. in 6.* nec præterea negligens dici is potest, qui pactus est, cum sciuerit, ius suum sibi durare per pactum, sibique eo modo consuluerit. *arg. l. sicut. §. non videtur. ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol.* Si vero de præscriptione agimus bonæ fidei, nihil etiam repugnat, renunciari ei posse, cum, si renun-
5 tietur, non præcipue, aut principaliter ius publicum lædatur, sed per consequentias; alleg. *l. seruum. §. publice. ff. de Procur. §. vlt. Instit. de his, qui sui, vel alien. iu. sunt.*

quin

6 quin ipsis quoque legibus renunciari possit. *l. si quis in conscribendo. C. de Pact.* quæ tamen communi vtilitati necessario conscribuntur. *l. 1. & 2. ff. de ll. c. erit autẽ lex. 4. dist.*
7 Immo nullatenus offendi bonum publicum videtur; cũ enim in eo totum sit, vt rerum dominia non maneant in incerto, huic certe rei per euidentiam habitæ pactionis bene consulitur, & forte (inquit) plus læditur publica vtilitas per violationem pactæ fidei, *arg. l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de constit. pec.* quam prosit certitudo illa dominij penes Modestin. *in d. l. 1.*
Hæc bonus author; nec desunt aliorum quorundam peruicaces nugæ, cum tamen duo certa sint. Alterum, sic paciscentem necessario malam fidem habere, quam Pōtificia lex vndecumque condemnat. Alterum, non posse hoc pactum negligi, aut violari, nisi publico bono præcipue noxium reperiatur, seu iuri publico contrariũ. Dixi alibi, [d] introductæ vsucapionis causas in eam vnam omnes collineare, vt sit litium finis. *l. vlt. ff. pro suo.* quapropter, & publice, & priuatim vsucapionem prodesse.
8 Est autem, qui dicat, non posse tunc renunciari, cum publicum ius sic priuatæ vtilitati coniungitur, vt separari non posint; *arg. l. de die. cum seq. ff. de pact. dotal.* Ego aliã ingredior viam, & pactum nullatenus valiturum credo. Etenim qui promisit, non præscripturum se, is non iuri, quod in præsentiarum ei competit, renunciare videtur, sed pactione sua cauere intelligitur, ne leges, quæ de præscriptione sunt, in suo negocio locum habere posint, id autem fieri prohibet Papin. *in d. l. ius publicũ.* [e] Sic prorsus communibus votis hærendum censeo, nam pactum

qui-

quidem ſeruandum non eſſe exiſtimo, verumtamen eũ, qui pactus eo modo fuerit, præſcripturum nego, cum bonam fidem habere non poſsit. Atque vtinam non hęc quæſtio perperam proponi, atque inutiliter diſputari videatur.

α *Vide Alc. ad Rub. de præſcr. n. 60. vbi Bero. n. 65. Paris. n. 23.*
β *Vide ſcripta ad l. filiusfam. ff. de Maced.*
γ *Sup. num. 61.*
δ *Sup. cap. 192. &c.*
ε *Vbi Fab. in Ration.*

De ſententia Aureliani Imp. *in l. cum in te. C. de donat. ante Nupt.* Et numquid donatio facta nuptiali die quaſi a ſponſo videri poſsit, vel quaſi a Marito. Cap. CCIII.

1 *Matrimonium quando perfici olim crederetur.*
2 *Vxoris nomen vnde.*
3 *Indiuidua vitæ conſuetudo inter coniuges quæ.*
4 *Matrimonium a conſenſu.*

VErba Aureliani hæc ſunt. *Cum in te ſimplicem donationem dicas factam eſſe die Nuptiarum, & in ambiguum poſſit venire, vtrum a ſponſo, an a marito donatum ſit; ſic diſtinguendum eſt, vt, ſi in tua domo donum acceptum eſt, ante nuptias videatur facta eſſe donatio, quod ſi penes ſe dedit ſponſus, retrahi poſsit; vxor enim fuiſti.* Ita donatio, quæ nuptiali die facta eſt, valet quaſi donatio ſponſi, ſi in puellæ domo fecerit eam ſponſus, ſin autem penes ſe, hoc eſt, in ipſius ſponſi, vel mariti domo, tunc quaſi a marito facta creditur, nec valet.

Qui de præparatorijs, & præparatis vulgares quæſtiones ſequuntur[a], rationem deciſionis exiſtimant eſſe, quia, ſi in

in domo puellæ, tunc ſponſalia a Matrimonio valde remota ſunt, & ideo contractis ſponſalibus contractum æque matrimonium ęſtimari non poteſt; ſin autem in Mariti domo, ad quam ducta mulier ſit, tunc ſponſalia Matrimonio proxima ſunt, quare & matrimonium pro perfecto haberi debet.

Ridebis, ſed tibi interea negocium faciet Aurelian. ſi oppoſuero, quod ſcribit Scęuola *in l. penul. ff. de donat int. vir. & vx.* h. v. *Seia ſempronio cum certa die nuptura eßet, antequam domum deduceretur, tabulæque dotis ſignarentur, donauit tot aureos; quæro, an ea donatio rata ſit. Non attinuiſſe, tempus, an, antequam domum deduceretur, donatio facta eſſet, aut tabularum conſignatarum, quæ plerumque & poſt cõtractum matrimonium fierent, in quærendo exprimi.* Non eſt itaque requirendum (ait Scæu.) an traducta fuerit in domum viri puella, vel minus, ſed omnimodo retrahi donatio debet, ſic enim ſubiungit. *Itaque niſi ante matrimonium contractum, quod conſenſu intelligitur, donatio facta eſſet, non valere.* Denique, vt donata reuocentur, certa die nupturam fuiſſe donatricem ſat eſt, vt ibi; *cum certa die nuptura eſſet, &c.*

1 Hæc vt diſſoluas, ſtatues, fundamentum deciſionis in eo ſtare, quia perfici olim matrimonium credebatur tunc, cum deducta erat mulier in domum viri, quod effici ſolebat nuptiali die. Vide Connan.[k] & quæ alibi ego.[y] Hinc Vlpian. *in l. cum fuerit. ff. de condit. & dem. Cũ fuerit* (inquit) *ſub conditione legatum (ſi in familia nupſißet) videtur impleta conditio ſtatim atque ducta eſt vxor, quamuis nondum in cubiculum Mariti venerit.* Et quidem, au-

thore

thore Sigonio.[δ] matrimonij solemnia olim partim in spõsæ, partim in Mariti domo, & postibus celebrabantur, proptereaque, antequam traducta mulier in domum, & quasi domicilium viri esset, contractum matrimoniũ non videbatur. Sed postquam ducta erat, & aliquid ei donatum, tunc quasi Vxori donatum æstimabatur, vti consummatis sponsalibus, & perfecto iam iam matrimonio. Idque omnino est, quod Aureliano placuit *in d. l. cum in te.* ibi. *quod si penes se* (hoc est, in domo sua) *dedit sponsus, retrahi poßit, vxor enim fuisti*. Nota hæc. *Vxor enim fuisti*, & bene, nam vbi ad mariti limen peruenerat sponsa (ait Sigon.) tunc postes oleo perungebat, eosdem-
2 que laneis vittis exornabat, vnde *vxorem* veteres appella-
3 tam putarunt. Hæc autem deductio faciebat indiu iduã illam vitæ consuetudinem, quæ in Nuptiarum, seu Matrimonij definitione exprimitur, quasi ex duabus familijs vna fieret, eaque omnia consequerentur, quæ scripsimus abunde alibi[ε].

Quamuis autem perfici tunc nuptiæ dicerentur, cum in mariti domum perducta iam Mulier erat, nihil tamen prohibebat, ne, antequam duceretur, matrimonium esset, si sic contrahentes voluissent; & id omnino est, quod determinat Scæuola *in d. l. penul.* non enim docet, aut docere potuit, matrimonium videri contractum, si certa dies conficiendis Nuptijs statuta fuisset, sed quærendũ
4 esse ait, an cõsensus quasi in Matrimonium præsens fuerit præstitus, sique is appareat, donationem non valere. Itaque, vt vides, Aurelianus loquitur in ambigua causa, quando scilicet nõconstat de consensu præsenti, tunc .n.

si

ſi ipſo Nuptiarum die facta donatio fuerit, requirendum putat, an in ſponſi domo, vel mariti donatum ſit. Scæuola autem definit, ſi certus de Matrimonio conſenſus haberi poſſit, tunc nuptiali die factam donationem non valere, licet ducta mulier non fuerit in domum viri. Vide Accurſ. ζ

α *Ad Rub. C. de Eden.*
β *Comment. Iu. Ciu. lib. 8. c. 3. n. 6. & c. 4. n. 1. Pet. Fab. & Cuiac. in l. Nuptias. ff. de Reg. Iu. Ant. Fab. Papin. Iuriſp. tit. de Nupt.*
γ *Sac. Iu. contr. diſſert. 10. c. 6. n. 48. & 49. & ſup. c. 92.*
δ *Lib. 1. de antiq. Iu. Ciu. Rom. c. 9.*
ε *d. cap. 6.*
ζ *d. l. penul. ver. conſenſu.*

Iuriſiurandi ſedem in intellectu eſſe contta Cynum. Cap. CCIV.

1 *Iuramentum ex Cyno quid.*
2 *Iuramentum, & Oratio collata.*
3 *Interior Deo facta pollicitatio interiori iuramento firmatur.*
4 *An Iuramentũ valeat, ſi verba iurantis percepta non ſunt.*
5 *Iuramentum duplex, & quid vtrumque ſit.*
6 *Finis Iuramenti.*
7 *Maligne periurus quis.*

CYnus α ſic iuramentum olim finiebat, vt ſit *affirmatio, vel negatio verbis expreſſa cum vera Religione.* Quaſi
1 vero abſque verbis iurari non poſsit. Quærat ille, vnde cauſam ſuam tueatur, cum Theologi de hac re melius, vt opinor, ſtatuentes, doceant, iuramentum non conſiſtere in ea promiſſione, quæ iuratur, ſed in inuocatione diuini nominis, quæ ad eam promiſsionem confirmandam fit, quæque in mentali, ſeu intellectuali cum

2 Deo locutione tota eſt, prout de Oratione dici ſolet. [β] Vt tamen intelligas, diſsimilem Iurijurando eſſe Orationẽ, nã qui iurat, nõ inuocat diuinũ teſtimonium per modum orantis, aut precantis, ſed per modum teſtantis, ſicut inuocare dicitur teſtimonium Principis, aut Populi, qui ita loquitur. *Teſtor Principem, Teſtor populum*; hoc enim nõ proprie deprecari eſt, vel orare, ſed teſtem appellare, &, quantum in inuocante eſt, ad teſtificandum mouere. Sic cum dicimus. *Volo Deum mihi Iudicem, Vindicem, Patronum, &c.* exprimimus affectum illum, quo Deum ad hæc, quantum in nobis eſt, mouemus abſque vlla deprecatione. [γ] Cum itaque Iuramentum poſsit ſolo intellectu, ſolaque interiori voluntate perfici, ac cõſummari, neque, vt in actum exteriorem prodeat, neceſſe ſit, (prout de voto dicere etiam ſolemus, quod pure mentale interdum facimus) non eſt, cum verba eſſentialem partem facere in iuramento debeant.

3 Firmanturque hæc rurſus, nam, ſi Deo licet interius promittere, vt certe licet, licebit etiam factam Deo promiſſionem interiori Iuramento firmare, vt ſic maiorem firmitatem ſuæ promiſsioni adhibeat is, qui iurat. Quin
4 hoc ipſo planius demonſtrãtur; nam, ſi alicui iuret quis, & verbis loquatur, quę intelligi non poſsint ab eo, cui iurat, ſeruare iuramentum tenetur; at hæc locutio ei, qui Iuramentum recipit, quaſi pure intellectualis eſt.

5 Sed ſtatim dubitant. Res, quas iuramus, in triplici ſunt tempore, aut enim præteritæ, aut pręſentes, aut futuræ. Quæ pręteritę, aut pręſentes ſunt, eæ ſimpliciter aſſeruntur, & Iuramentum ſuper his interpoſitum *aßertorium* di-

citur

citur, seu *assertiuum*. Futuræ etiam promittuntur, vnde & Iuramentum, quo iurantur, *promissiuum* appellatur, seu *promissorium*. Promissorium illud est, quod sola mente diximus consũmari posse. Assertorium vero perfici intellectuali locutione posse, negant Theologi, cum finem
6 non habeat Iuramenti. Probant ex D. Tho. nam finis Iuramenti est confirmare veritatem tanta, ac tali certitudine, vt definiendæ cuilibet controuersiæ valere possit. At si quis intus, & sola mente asserat, aliquid sic esse in præsens, aut sic fuisse in præteritum, eiusque assertionis Deũ inuocet in testem, æque est, ac si velit Deum ipsum certum facere illius veritatis per testimonium ipsius Dei, quod est ridiculum; adeo enim certus est Deus de omni veritate, & de omni conceptu hominis ad ipsum loquentis, vt certior fieri non possit, maximeque sui ipsius testimonio.
7 E quidem Iuramentum suspicabar dici posse, si in sua mente quis aliquid assereret, illudque inuocato Dei testimonio verum in sua mente facere vellet; nam & periurum pene dixerim illum esse, quin, & maligne periurum, qui mendacium sibi aliquod in sua mente effinxerit, & deinceps in sua quoque mente pro illius mendacij veritate diuinum testimonium diabolice inuocarit, neque ex alio, quam ex maligna peccandi voluntate.
Denique quasi Iuramenti sedem constituo cum Theologis intellectum iurantis.

α *In auth. sacramenta puberum. C. si aduer. vendit.*
β *Vide Suar. lib. 1. de Iuram. c. 1. n. 5.*
γ *Vide Less. de Iuram. c. 42. lib. 2. dub. 1. cap. 2.*

An verbis iurans absque voluntate iurandi obligetur religione Iuramenti, & conciliatus Gregor. cum Isid. *in cap. quacumque.* & *c. humanæ aures.* 22.q.5. Cap. CCV.

1 *Artificiosi iuramenti ratio plenius explicata.*

INualuit sententia, quæ negat. [a] neque enim secus videtur esse (inquiunt) ac si dormiens, vel amens verba proferret Iuramenti. Denique consensus requiritur, & voluntas iurantis, ne non valeat Iuramentum. *cap. ad nostram.* 21. *de iureiur. l. vlt. C. de non num. pec. l. si libertus. de oper. lib. l. vlt. ff. qui satisd. cog.* Est autem, qui rem in puncto definit, Gergor. *in cap. humanæ aures.* 22. *q.* 5. iuramentum scilicet ex intentione eius, qui iurat, non eius, cui iuratur, accipi oportere. *Humanæ aures* (inquit) *verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant; diuina vero iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Certe nouerit ille, qui intentionem, & voluntatem alterius varijs explicat verbis, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* Quocirca ad rem Gratianus. *Si ergo diuina iudicia verba nostra talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur; si intentio non debet deseruire verbis, sed verba intentioni, patet, quod Deus non accipit sic Iuramentum, sicut ille, cui iuratur, sed potius sicut, qui iurat, intelligit, cum recipienti non ex intimis, sed ex his, quæ præferuntur foris, verba nostra sonent.*

1 Sed contrarium (hoc est, a Deo sic accipi iuramentum, sicut ille, cui iuratur, intelligit) docet Isid. *in c quacumque. ibid.* h. v. *Quacumque arte verborum quisque iuret, Deus tamen,*

men, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia, & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Hæc ille; a quo tamen nihil est, quod veritati repugnet; non enim periurum eum facit, qui artificiose iuret ad deceptionem proximi sui, sed duplicis peccati reum; peccat (ait fere Isid.) quia Dei nomen in vanum assumit, dũ scilicet per fictionem testimonium perhibet diuini nominis, quod non licet, peccatque etiam, quia proximum dolo capit, & ideo, ne Dei nomine abutatur, ne ve proximum fraudet suum, pro iurante gerere se debet coram Deo. Non itaque iurat, qui artificiose iurat, nec periurus est, si non seruat, sed promissum instar sacramenti custodire iubetur, ne Deo aliter iniuriosus sit, cuius scilicet nomine per mendacium abutitur, ne ve proximo captiosus. Denique, quod ait Isid. Deum accipere Iuramentum eo modo, quo is, cui iuratur, intelligit, bifariam accipi potest. Vel, vt Deus verba capiat Iuramenti quasi ex vero, sicut ille capit, cui iuratur, & hoc quidem impossibile, nã, nec decipi Deus potest, nec velle creditur ex ficto verum. Vel, vt Deus verba iurantis capiat quasi ex ficto, sed dolosum iurantem satisfactioni obliget, & hoc verissimum, nam duplicem reatum incurrit, qui ficte, dolose, artificiose ve iurat coram Deo (inquit Isid.) quod *Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Itaque ex artificioso hoc iuramẽto & Deus offenditur, & homo; vtriq; autem fit satis, si seruetur id, quod artifici ose iuratũ est, quasi factum ex animo esset. Si aliter Isidorum intelligas, obstabit ei, quod magistraliter Paul. *in l. 3. ff. de reb. dub.*

α D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. cum quo Caiet. Panor. post gl. in cap. veniens num. 4. de Iureiur. Couarr. de pact. par. 1. §. 5. n. 2. & 3. Omnes teste Suar. de Iuram. lib. 2. c. 7. n. 2.

An verba sint de essentia Iuramenti, & explicatus Greg. 9. Pont. *in cap. penul. de Iureiur.* Cap. CCVI.

1 *Verba quando in actu aliquo necessaria.*
2 *Iuramentum semel præstitum non augetur, vel minuitur vltra effectum naturalem, quem habet.*
3 *Verba ad fauorem promittentis, ac proferentis interpretationem capiunt.*
4 *Iuramentum nihil aliud quam probatio est.*

NIhil est, in quo plus dissidere videantur Scribentium sententiæ, & eæ quidem tres, duæ extremæ, altera media, singulæ autem communes. [α] Negatiua pręualuit, quam & Couarr. recepit [β], & sibi placuisse, & in praxi seruatam dixit Alciat. [γ] & quasi veriorem, nec non frequentioribus votis comprobatam disputãdo tenuit Suar.
1 [δ] Et certe tunc necessaria verba sunt, cum solemnitatem habent requisitam expresse a lege; iuramentum vero obligationem parit, quæ verborum non tam solemnitate, quam Religione contrahitur, vt pulchre docuit Caius *Lib. 2. Instit.*

Sed omnia turbat salebrosus locus Gregorij Pont. *in c. penul. de Iureiur.* Iurauerat ibi Clericus, statuta seruaturum se Ecclesię suę, quæ tunc erant, fuitq; deinceps nouum quid constitutum in Ecclesia, illudque promisit Clericus seruaturũ se *per idem Iuramentum*, quod ante præstiterat. Consultus Pontifex, nũquid Clericus ad nouæ constitutionis ob-

obſeruantiam, quaſi ex iureiurando obligaretur, reſpondet, non Religione Iuramenti, ſed promiſsionis fędere obligari h.v. *Clericus, qui iurauit, ſe ſtatuta in Eccleſia ſua edita ſeruaturum, promittens per idem Iuramentum ſtatutũ, quod poſtmodum ſubſecutum eſt, fideliter obſeruare, licet trãſgredi non debuerat, quod promiſit, non tenetur ad illius obſeruantiam ex debito præſtiti Iuramenti.* At cur ita? quia Clericus (inquiunt) per idem Iuramentum promiſit quidem, ſed verba non protulit Iuramenti.

Reſpondet Couarr.[l] potuiſſe Clericum denuo iurare, ſed iuramentum primo pręſtitum extendere non potuiſſe, quod & Suar.[m] confirmat, & Cuiac.[n] Nam iurare, & nõ iurare eſſe quidem in poteſtate hominis, ſed poſtquam præſtitum Iuramentum in cauſa aliqua ſit, non eſſe tunc in hominis voluntate efficere, vt Iuramentum illud maio-
2 rem, vel minorem habeat obligationem, ſuum enim eſſe Iuramento iam emiſſo effectum naturalem, quem augere homo non poſsit, vel minuere. Hæc ille.

Explicatio itaque difficultatis non tam ex verbis ſumenda eſt, quam ex alio; &, vt æſtimo ego, ab intentione promiſſoris. Nam, vel promittere *per idem Iuramentum* Clericus voluit, hoc eſt, eodem, ſed repetito Iuramento, vel *per idem Iuramentum* non repetitum, nõ renouatum, ſed in ſuo eſſe conſiſtens. Si priori modo, certe non tam extendere voluit Clericus, quod non potuit, quam ſe eodem, hoc eſt, pari iuramẽto denuo religare, quod potuit. Si poſteriori, tunc aliter conſtitui rẽ oportet; fuerat enim de ſtatutis iam editis præſtitum Iuſiurandum, quorum finibus circumſcribebatur, nec protendi aliquo modo po-

terat ad edenda, quaſi ad incogitata. Reſponſum itaque fuit, non obligari Clericum, nam tenor primi iuramenti reſtringebatur in legibus ante editis, & quoad nouas legum conſtitutiones nullum denuo prolatum iuramentũ fuerat. Aut ergo Clericus errauerat, putans ſufficere Iuramentum primo præſtitum, & tunc detecto errore ceſſauit obligatio quaſi erroneæ conſcientiæ; ϑ Aut non errauerat, ſed decipere eos voluerat, quibus iuraturus erat, & tunc idem, nam deceptorium Iuramentum nõ fuit Iuramentum, vt ſup. ι Sic autem debuit Pontifex definire κ,
3 maxime, quia diſputabatur res in foro externo, vt opinor, vbi verba ad fauorem proferentis, & promittentis interpretationem omnem capiunt. *l. quicquid. ff. de Verb. oblig. l. ſi quis intentione. ff. de Iudic.* κ

Cur autem extendi non poſſet antecedens Iuramentum, primus fortaſſe explico ad mentẽ Pontificis. Iuramentum
4 nihil aliud, quam probatio, eſt. *cap. 2. de probat. cap. mulieri. de Iureiur. l. vlt. § licentia. C. de Iu. delib. l. vlt. C. de fideic. l. ſi quis iusiurandum. C. de reb. cred. l. tutor. ff. de Iureiur.* λ Probatio autem ſui natura in eo ſtringitur, quod probatur. Sicut ergo inauditum eſſet dicere, probationem per teſtes ad cauſam protendi poſſe, quę probata non eſſet, ita & probationem per Iuramentum.

Dixeram paulo ante, μ Iuramentum ſolo animi intellectu conſiſtere poſſe, nec tamen inutilis hęc diſquiſitio fuit, nunc enim de Iuramento diſputauimus, prout recipi ab eo debet, qui illud in contractu, ſeu actu aliquo Iudiciali præſtiturus eſſet. Et quia iurans non poteſt niſi ſigno aliquo ſe ſe homini explicare, opportune quæſitũ eſt, quale

hoc

hoc ſignum eſſe deberet, & num opus ſit verbis, vel ſigna alia ſufficere poſſint, quibus iurantis animus arguatur, & ſic, &c.

α *Teſte Cæuall. pract. q. 406.*
β *De pact. in princ. n 4.*
γ *Rub. de Iureiur. n. 21.*
δ *De Iuram. lib. 1. c. 11.*
ε *Sup. n. 5.*
ζ *Sup.*
η *d. c. penul.*
θ *Suar. ſup. n. 9.*
ι *c. 205.*
κ *Dixi de relax. c. 2. n. 10.*
λ *Dixi Sac. Iur. contr. diſſert. 4. c. 14.*
μ *cap. 204.*

An per alienos, & commentitios Deos, hoc eſt, per Idola iurari poſſit. *Ad c. mouet te. 22. q. 1.* Cap CCVII.

1 *Qui per dæmones iurat, nec deinceps ſeruat, bis peccat.*
2 *Iuramentum per falſos Deos quo pacto obliget.*
3 *Infidelis, qui per Deum ſuum iurat, & ad fidem venit, an teneatur Iuramento.*
4 *An peccet is, qui iuramentum recipit a fideli per falſos Deos.*
5 *Periurij nomen pro quolibet iurandi abuſu interdum eſt.*

VIdebatur affirmandum ex Auguſt. *in d. c. mouet te.* h. v. *Mouet te, vtrum eius fide vtendum ſit, qui, vt eam ſeruet, per dæmonia iurauerit; vbi te volo prius conſiderare, vtrum, ſi quiſpiam per Deos falſos iurauerit, ſe fidem ſeruaturum, & non ſeruauerit, non tibi videatur bis peccaſſe? Si enim tali iuratione promiſſam ſeruaret fidem, ideo tantũ peccaſſe iudicaretur, quia per tales Deos iurauit. Illud autem nemo reprehenderet, quia fidem ſeruauit. Nunc vero, quia & iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis vtique peccauit, ac per hoc qui vtitur fide illius, quem conſtat iuraſſe per falſos Deos, & vtitur non ad malam rem, ſed ad licitam, & bonam, non peccato eius*

se sociat, quo per Dæmonia iurauit, sed bono pacto eius, quo
1 *fidem seruauit.* Hic Augustinus (quicquid Glosator [a] dicat) de fideli loquitur, qui per Dęmones iurat, hoc est, falsos Deos, & quærit, num alteri liceat eius fide vti, qui ita iurarit. Respondetque, eum, qui per Dęmones iurarit, nec deinceps iuramentum seruarit, bis peccasse, & quia sacramento non stetit, & quia fidem violauit. Valuit ergo Iusiurandum. Confirmatque id satis Augustin. dũ ait deinceps. *Quanto enim per quod iuratur magis est sanctum, tanto magis est pœnale periurium;* quasi omnino velit, periurium esse frangere Iuramentum, quod præstitũ fuerit per Idola, aut falsos Deos, licet non sit adeo pęnale.
2 Canonistę [β] dant manus. At Suar. [γ] diuidi Scribentes docet in explicanda re; esse enim qui dicant, stare Iuramẽtum, quia licet versa fuerit intentio iurãtis ad falsos Deos, iuratum tamen ex intentione fuit, quod satis. Et esse rursus, qui id negent, neque aliter obligare Iuramentum velint, quam ratione fœderis, pactionis, & humanæ fidei. Sed neutrum credit; retinet vero, quod docuit Sot. [δ] iuramentum per falsos Deos non obligare a se ipso, hoc est, a vi, & potestate sacramenti, quasi non, vt oportet, elicitũ a virtute Religionis, non coniunctum infallibili veritati, honorique, & venerationi veri Dei, obligare tamen ex conscientia erronea iurantis, nam communi Theologorum placito erroneam conscientiam vim obligandi habere ea ipsa ratione, sub qua concepta sit. De hac itaq; aberrante conscientia Augustini locum accipiendum putant, [ε] & ex hac disputationem illam dirimunt, quæ
3 quotidiana est; *an, si iuret infidelis per Deum suum, exindeque*

deque conuertatur ad fidem, teneatur Iuramento eiusmodi. Nam (inquiunt) si iuramentum non plus valuit, quam ex conscientia erronea, non eo tenebitur conuersus ad fidem; idque ea ratione, quia vbi primum depellitur erronea conscientia (depellitur vero, si lumen illucescat fidei) illico cessat obligatio. Arctabitur quidem infidelis, sed sola promissione, & fide, non Iuramento, quia sola suppetet obligatio pacti, fœderis, sola (inquam) obligatio iustitiæ, non Religionis.

Sed vim patitur Augustinus; Mihi autem Augustini litera duas habet partes, seu quæstiones. Vna est, an peccare videatur is, qui iuramentum recipit a fideli per Dæmonia, vel falsos Deos. Altera, an & peccati reus ille sit, qui Iuramentum ab infideli exigit per falsos Deos quidẽ, sed quos colit, ac veros putat infidelis. Prima quæstio ijs, quæ nuper rescripsimus, verbis continetur. Posterior ibi.
4 *Alia autem quæstio, &c.* Primæ respondet, non peccare eum, qui per alienos Deos iusiurandum recipit a fideli, quia dum recipit, non se Iurijurando sociat male iurantis, sed pacto, & datæ fidei bene promittentis, Qui autẽ iurauit (inquit Aug.) si fidem non seruat, peccat bis, non quia simul, & iuramentum violarit, & fidẽ promissæ rei, vt male dicitur in argumento, sed quia iurauit per falsos Deos, quod est peccatum primum, & deinceps violauit pacti fidem, quod est secundum. Ergo hucusque impertinens Augustini locus est. Secundæ quæstioni respõdet, non peccare eum, qui iuramentum exigat ab infideli per falsos Deos, non enim propterea Dęmonum Religionem, & cultum sequitur, aut commendat, sed cau-

tio-

tionem ſibi ſuam a conſcientia erronea eiuſdem infidelis exquirit.

5 Minus obſtát verba illa. *Quanto enim per quod iuratur, etc.* Nam, ſi ſtare nomen periurij debet in ſuo naturali ſignificatu, trahetur in abſurdum, cum per falſos Deos veraciter iurare non periurium ſit, ſed *Idolatria.* Probo itaque, quod Gloſator habet [ζ], ſumptum fuiſſe periurij nomẽ pro quolibet iurandi abuſu, vel, vt ipſe loquitur, pro temerario Iuramento, quaſi dixerit Auguſt. eum, qui iurat fallaciter per Deum verum, plus iureiurando abuti, quia ſanctum Dei nomen per vanum adſumit, quam abutatur is, qui per Deos alienos iurat, licet veraciter.

At (inquies) [ε] ſic ille loquitur ibi, *magis eſt ſanctum, &c.* vt ſanctum eſſe velit iurare per falſos Deos.

Æſtimo, non eum fuiſſe ſenſũ Auguſtini, vt per dictionem illam *magis* comparare aliquid vellet, cum bene ſciret, Dæmones non eſſe ſanctos; quapropter non comparatiue ſumendam eſſe, ſed (quod aiunt) abnegatiue; in eum ſcilicet modum, vt ſanctitatem omnem abroget in falſis Dijs. Vide gl.„

Concludes, nullatenus valere iuramentum, vel cum Ethnicis ipſis Legumlatoribus, nam & Vlp. *in l. noŋ erit. in fi. ff. de Iureiur. Sed ſi quis* (inquit) *illicitum iuſiurandum detulerit, ſcilicet, improbatæ publicæ Religionis, videamus, an pro eo habeatur, atque ſi iuratum non eſſet. Quod magis exiſtimo dicendum.*

α *Ver. ſociat.*
β *In c. & ſi Chriſtus de Iure Iur. vbi Abb. n. 13.*
γ *De Iuram. lib. 2. c. 5. n. 5.*
δ *De Iuſt. q. 2. art. 5.*

Vi-

ε *Vide Sot. ibid. Couarr. de pact. par. 1. §. 1. n. 10. Suar. sup. n. 6.*
ζ *Ver. periurium.*
η *Ver. magis.*

An Iuramentum valeat per creaturas, & lumen Augustino additum *in cap. Ecce dico. 22. q. 5.* Cap. CCVIII.

1 *Iuramentum per lapidem.*
2 *Periurij nomen varie acceptum.*
3 *Iuramenta per lapides, &c. quando valcant.*
4 *Iuramentum testimonium est fidei.*

IVrare per Creaturas cum exhibitione reuerentiæ, & Latriæ, quę vni debetur Deo, non tantum licitum non esse, sed blasphemum, impietatem denique esse Idolatriæ, dixi cum alijs alibi α Et tamen valere Iuramentum, quod per lapidem præstitum fuerit, non obscure docet Augustin. *in d. c. Ecce dico.* h. v. *Ecce dico charitati vestræ, et qui*
1 *super lapidem falsum iurat, periurus est. Unde hoc dico? Quia multi & hoc fallũtur & putãt, quia nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum non putas, falsũ iuras. Si tu illud sanctũ non putas, sanctum puta, cui iuras, non enim quando iuras, tibi iuras, aut lapidi iuras, sed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem, sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem.* Hæc ille; qui si mendose legitur, vt ęstimat Couarr. β frustra est labor omnis. Sin interpretatione dignus est, si pudica litera est, procurare oportet, ne prauo aliquo sensu corrumpatur. Couarr. γ erudite explicat Augustini sensum de Ioue lapide. δ Sed Iouis lapidis commentum non probat Suar. ε quasi

quasi Augustini verbis obluctātem, & lapidem pro Idolo reponit, quod claudebatur in Templo, concludens, iurantes per Lapidem non reprehendi a Sanctissimo Episcopo quasi periurij, sed quasi iniustæ deceptionis reos, sic enim loquitur. *Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem.* Non ergo peierantem, sed fallentem. Vel ad summum vocari periurij reos non vere, sed per speciem, & scandalum, quasi doloso Iuramento vtentes, quod alij vti verum recepissent iuxta ea, quæ ex Isidoro diximus sup. §

Si lapidē sumis, vt par est, pro creatura super qua iuratur,
2 tunc periurij nomen duo indicat. Vnum est abusus Iuramenti, quia per creaturam exhibetur Idolatrarum more, quo sensu non semel acceptum periurij nomen. Vide eundem Augustin. *in cap. mouet te. 22. q. 1. ibi Verumtamen, &c.* Alterum est dolus in iurando, & cum eo scādalum ex infidelitate Iuramenti resultans, seu acceptio Iuramenti ex intentione illius, cui iuratur, is enim fractionem iuramenti sibi dolo exhibiti periurium vocat. Hæc Augustinus manifeste; nam vbi primum de eo, qui super lapidem falsum iurat, sic dixit. *Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum non putas, falsum iuras.* statim subiūgit. *Si tu illud sanctum non putas, sanctum puta, cui iuras, non enim quando iuras, tibi iuras, sed proximo iuras.* En periurium dicitur dolus ille, qui erga proximum iurando committitur. Sequitur deinceps. *Homini iuras ante lapidem, sed numquid non ante Deum?* Ante Deum quomodo? Numquid iuratum est Deo? Non hercle, nam concludit statim. *Non te audit lapis loquentem, sed punit te*

Deus

Deus fallentem. Fallentem itaq; non peierantem, quasi dixerit. Non valuit Iuramentum per lapidem, quia lapis non audit; nec valuit per Deum, quia inuocatus nõ fuit Deus, sed Deus pro Iuramento haberi, quod ita iuratum est, iubet, & quasi periurum eum habet, qui proximum interceperit specie Iuramenti, punitque eum, si minus peierantem, saltem Iurisiurandi specie decipientẽ.

3 Noueris, iurare per lapidem, vt sic, Idolatriam esse. At, si consideretur lapis, prout diuina virtus, quantum capere res potest, in eo nitet, si (inquam) in lapide honoretur Deus, tunc, & per lapidem, & per aliam quamlibet creaturam recte iurari. » Iurari itaq; per creaturas non absolute spectatas, & a se ipsis, sed vt ad Deum relatas, vel iurari tunc per Deum ipsum, quatenus in creatis a

4 se rebus existit, elucet, &c. Iuramentum (inquit Sot. [δ]) testimonium est fidei, qua Deum optimum maximum veritatis fontem profitemur. Licet autem fides primo, ac principaliter de Deo sit, qui prima veritas, porrigitur tamen ad Creaturas, quas agnoscimus opera esse Dei, & in quibus per essentiam, potentiam, præsentiamq; est Deus. Eodem itaque modo & Iuramentum quamuis in Deum primo, præcipueq; quasi in primã veritatem referatur, protenditur tamen ad Creaturas, vti in ipsis tanquam operis Dei diuina etiam veritas existit, lucetq; &c.

α *De relax. Iur. c. 2. n. 18.*
β *De pact. par. 1. §. 1. n. 8. cum quo & Suar. de Iuram. lib. 2. c. 5. n. 4.*
γ *Sup.*
δ *Vide Alex. ab Alex. Genial. lib. 5. c. 10. Coras. ad l. Admonendi. n. 2. ff de Iureiur. Rauard. Varior. lib. 5. c. 5. to. 1. Sot. de Iustit. lib. 8. q. 2. art. 7. Suar. sup. Me ipsum d. c. 2. n. 22.*
ε *Sup.*

cap.

ζ Cap.205.
η Dixi de relax. Iur. d. c. 2. n. 25.
θ Sup. q. 1. art. 6.

An iurasse putetur is, qui in[a] fide promisit sua. *Ad cap. ex rescripto. de Iureiur.* Cap. CCIX.

1 *In dubio pro Religione.*
2 *In dubio iurasse nemo præsumitur.*
3 *In dubio pro promittente, & proferente.*
4 *Verbi*, similiter, *quæ vis.*
5 *Non refert, si in fide dicatur, aut per fidem.*
6 *Aut si proferens sit nobilis, vel ignobilis.*
7 *Aut si contactus accedat rei sacræ, vel minus.*
8 *Fides ex vero quid, & vnde dicta.*
9 *Fides Christi an proprie dicatur fides.*
10 *Fidei, & iuramenti discrimen est.*

ET videtur affirmatum communibus votis.[a] Præmoneo autem, fori Iudicialis disquisitionem hanc esse; nam in foro Cęli ęstimare vnusquisq; apud semetipsum potest, & debet, an voluerit iurare, potuit enim sic facere, si respectum habuit diuini Numinis. *arg. l. qui per salutem. ff. de Iureiur.* si humanam fidem, hoc est, fidelitatem respexit quasi participationem diuinæ bonitatis, aut veritatis; si quasi creaturam, in qua reluceat Deus; si quasi Christianā fidem, quæ sacrosancta res est, &c.

Affirmant itaque, iurasse eum, qui per fidem promisit suam, quod, & ratio suadere videtur, & Canonum au-
1 thoritas. Vide *cap. ad aures. de his, quæ vi, met. cau. cap. 2. de fideiuss. cap. constitutus. de Trans. cap. cum tempore. de*

Ar-

Arbitr. cap. querelam. Ne Præl. vic. su. cap. ex rescripto. de Iure Iur. Est autem præcipuum id, quod postremo hoc cap. continetur. Abbas Tremen. pro ciuili debito Monasterij obsides dedit, qui de seruanda conuentione iurarunt, &, vt ipsis deficientibus in eorum alij locum sufficerentur, sique neque hi quidem fidem seruarent, fideiussores addidit, qui *similiter* (inquit Pont.) *fidẽ præstitisse dicuntur*. At fidem præstitisse nihil aliud præterea est, quam iurasse, sic enim Pontifex statim. *Ideoque mandamus, quatenus tam Abbatem, quam Monachos, quam V. & vxorem ipsius* (hi duo fideiussores dati erant) *moneatis, vt, sicut iurarunt, eandem conditionem faciant adimpleri.* Et hi quidem, qui fidem præstitisse paulo ante dicebantur, nunc iurare dicuntur, quasi vnum, idemque sit præstare fidem, & iurare.

Sed non eius momenti hęc erant, vt *in fide* promittentibus laqueos inijci oporteret. Nam recepta illa positio, quę Religioni fauet in ambigua causa, *arg. l. sunt personæ. ff. de Relig. & sumpt. fun.* in causa iurantis exceptionem habet
2 valde insignem, scilicet, in dubio neminem iurasse præ-
3 sumi. *cap. penul. de Iureiur.* & iure quidem, cum in dubijs interpretatio omnis sit pro eo, qui promittit. *l. quicquid. ff. de Verb. obl.* neque aliter intelligi verba debeant in ambigua causa, quam ex mente, & declaratione proferentis. *l. si quis intentione. ff. de Iudic.* & quidem absque discrimine vllo fori.

Nec mouere nos debent, vel alij Canones, qui corruunt ex se se, vel quod præcipuum fuerat ex *d. c. rescripto.* Nam,
4 quod ait Pont. *Qui similiter fidem præstitiße dicuntur*, quod (in-

(inquam) ait *similiter*, iuratoriam fidem repetit anterioribus verbis expressam, in eadem paritate, & facti, & modi. [δ] Sensus itaque est, Abbatem, & fidem præstitisse, & iurasse, similiterque egisse, & fideiussores, & reliquos, vt scilicet interposita fide iurarent. Sic retorqueretur Pontificis authoritas, non enim sic acciperemus seclusa declaratione Legislatoris.

5 Itaque in mediam sententiam venit Sot. [ε] cum docuit, aliud esse, si dicatur *in fide* aliud, si dicatur, *per fidē*, vt priori modo Iuramentum non sit, posteriori secus. Sed hæc nec suo quidem Authori deinceps placuit. [ζ]

6 Alij censuere, [η] si promiserit nobilis in fide sua, non esse Iuramentum; At si ex plebe sit, qui promisit, tunc iuratū videri in fide Christi, cum ignobilis ex propria conditione non habeat fidem; sed perperam, cum & plebeius affirmare aliquid se posse existimet in fide verbi, maxime, si bonus vir. [θ]

7 Plurimi iudicarunt, [ι] iuramentum censeri, quod sacræ rei contactu præstitum est, fidem vero, quæ citra contactum. Sed commentitium esse hoc, ea, quę statim sequitur, quæstio explicat.

8 Pręualuit, vt opinor, [κ] quod & verius est. Nam fides nihil aliud ex vero est, quam dictorum, & conuentorum constantia, & veritas, dicta a *fiendo*, vt videlicet fiat, quod *fieri dictum* est. [λ] Hinc Terent.

Tristis seueritas inest in vultu, atque in verbis fides.

Atque ita statuimus, vel ipsa legum acceptione. *l. 1. ff. si cer. pet. l. 1. ff. de constit. pec. §. venditæ. Inst. de rer. diu.* vel communi tam loquentium, quam audientium vsu, nemo

mo enim iuratum sibi id putat, quod promissum in fide est, sed pro morali quadam fide recipi ab vnoquoque solet, maxime, cum hunc loquendi morem fideles cum infidelibus parem habeant. Et reuera, vt fidei nomine significetur Christi fides, improprium est, nam plus a Græco verbo, quam a Latinorum probato loquendi more dicitur *Christiana fides*, & melius Christiana persuasio appellaretur, quam fides, vt docuerunt viri doctisimi Valla, & Budæ.[μ]

10 Maximi autem referre potest, quid sequare; nam licet apud Deum non sit maior obligatio sacramenti, quam fidei; *c. Iuramenti. 22. q. 5.* maior tamẽ Iurisiurandi, quam fidei Religio est, atque ideo potestas maior. Vide *cap. debitores. de Iureiur.* & quæ alibi ego[ν].

α *Vide Fely. ad Rub. de Iureiur. n. 6. & ad c. querelam. n. 7. eod. Sanch. de Matrim. lib. 7. disput. 79. n. 28. & lib. 3. decal. c. 2. n. 32. Gayl. pract. obs. 61. n. 1. lib. 2. Surd. decis. 224. n. 3. & quos ego de relax. c. 2. n. 3.*

β *Vide Alc. d. Rub. de Iureiur. n. 5.*

γ *Caiet. 2. 2. D. Tho. q. 89. art. 7. Couarr. de Pact. par. 1. §. 2. n. 2. Suar. de Iuram. lib. 2. c. 33. n. 3. &c.*

δ *Dixi de relax. d. c. 2. n. 12.*

ε *De Iust. lib. 8. q. 1. art. 6.*

ζ *Suar. sup. lib. 2. c. 5. n. 11. & c. 13. n. 9.*

η *Mendoz. disput. de pact. lib. 1. c. 6. q. 3.*

θ *Suar. d. c. 13. n. 12.*

ι *Vide Alex. ad l. si quis maior. in fi. C. de Trans. Alc. sup. n. 29.*

κ *Vide Azor. Instit. Moral. to. 1. lib. 11. c. 3. Less. de Iustit. lib. 2. c. 42. dub. 1. n. 4. Sanch. sup. & quos ego d. c. 2. n. 6.*

λ *Adde Moli. de contract. disp. 262. n. 4.*

μ *Penes Calu. in Lex.*

ν *Sac. Iu. contr. dissert. 10. c. 13. & d. c. 2. n. 13.*

Tactum scripturæ non esse Iurijurando essentialem. *Ad l. generaliter. §. vlt. C. de Iu. delib.* Cap. CCX.

1 *Iuramentum quid.*
2 *Iuramentum in intellectu.*
3 *Neque indiget verbis.*
4 *Episcopus ex prærogatiua scripturas non tangit, cum iurat.*
5 *Nec præsbiter.*
6 *Tactus scripturæ in quibus, aut quando requiratur.*
7 *Voti in solemne, & simplex distributio qualis.*
8 *Omißio solemnitatis an irritum faciat Iuramentum.*
9 *Leuis solemnitatis defectus non vitiat.*
10 *Solemnis Iuramenti bona.*

1 SIc resoluunt,[a] cum aliud non sit Iuramentum, quam *Dei in testem aßumptio*, totumque in intellectu, seu
2 intellectuali locutione sit,[b] nec indigeat verbis quidem,
3 [c] ne dum tactu aliquo. Quocirca bene Chrisost. *in cap. si aliqua. 22. q. 1.* ridet eos pleno ore, qui contactus forte causam sequentes plus esse dicunt per Euangelia, quam per Deum ipsum iurare.

Obstant tamen omnium gentium mores, atque exempla[d]; quin & Iura. Vide *d. l. generaliter. §. vlt.* ibi. *siue sacris scripturis tactis. l. 1. C. si aduer. vendit.* ibi *corporaliter, & c. cap. quoties. 1. q. 7. c. hortamur. 3. q. 9. cap. quoties. §. porro. de purgat. can. cap. Venerabili. de sent. excom. cap. vt circa, de*
4 *Elect. in 6. clem. 1. §. porro. de hæret.* Hinc speciale in Episcopo, vt propositis tantum iuret, sed non tactis Euangelijs. *cap. vlt. de Iuram. calum. cap. testimonium in fi. 11. q. 1. Auth. sed Iudex. C. de Epis & Cler.* & in quolibet
5 etiam præsbitero, ne manum iurando admoueat. *cap. si quis præsbiter. 2. q. 5.* ibi *Manus enim, per quam corpus, &*
san-

sanguis Christi conficitur, polluetur? &c.
6 Æstimo, a se ipso Iuramentum nullo egere contactu scripturæ, aut rei; verumtamen esse casus in Iure, quibus requiratur tactus quasi extrinseca solemnitas quædam.
7 Sic votum in solemne, et simplex distribui solet, cum tamen ex communi Scribentium placito nullum inter hæc sit essentiale discrimen. Ergo & Iusiurandum, si contactus accesserit rei sacræ, solemne erit, nec tamen a sim-
8 plici differet per essentiam. Si quæris, an omisio solemtatis irritum facere iusiurandum possit, affirmabo vtique.
9 Nec sit, qui obijciat, leuem esse solemnitatem, quæ vitiare actum non possit, arg. *l.* 1. §. 1. *ff. de Vent. inspic. l. cum hi.* §. *si Prætor. ff. Transact.* Nam, si deliberatum
10 oportet esse Iuramentum, cum emittitur, si incorruptũ, cum emissum est, vtrumque bene agitur, si solemne est; deliberationem quippe auget solemnitas, prçstatque simul, vt Iuramentum, quod eius munere publicum fit, nisi cum scandalo violari non possit. Crescit per eam fides, & reuerentia Sacramenti præstiti, & cum his timor, ac terror iurantis, peccatumque, & pœna. Per eandem quasi regitur obedientia Magistratus. Denique huius solemnitatis talis, tantaque haberi ratio solet inter homines, vt & in priuatis Iuramentis partem eius aliquam adhiberi procurent; vnde Chrisost. *Cum* (inquit) *super mensam adiuras sacram, & vbi Christus positus est immolatus, ibi fratrem tuum immolas.* Et infra. *Saltem librum istũ reuerere, quem in Iuramento porrigis.*
Statues, absque præscripta solemnitate iurantem in foro animæ obligari, extrinsecus vero nullam sentire obligationem posse.

α Vide Alc. ad Rub. de Iureiur. n. 29. Cauall. in pract. q. 407. Couarr. de pact. par. 1. §. 1. n. 1. Suar. de Iuram. lib. 1. c. 12. n. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 108. n. 14. & decal. lib. 3. c. 1. n. 3.
β Sup. c. 204.
γ Sup. c. 206.
δ Vide Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. c. 10. Couarr. & Suar sup.
ε Vide Gl. d. clem. 1. §. porro. ver. tacta. & d c. vt circa. Alciat. Rub. de Iureiur. n. 31. Couarr. sup. num. 2. Sanch. d. disp. 108. num. 14. Suar. sup. n. 6. Merill. 2. obs. cap. vlt.
ζ Vide Alc. sup. n. 32.
η Homil. 15. ad Popul.

De virtute Iuramenti. *Ad cap. debitores. de Iureiur.* Cap. CCXI.

1 *Iuramentum olim accessionis vice.*
2 *Quod deinceps secus.*
3 *Iuramento promissorio inest assertorium.*
4 *Iuramentum non aliud est, quam probatio.*
5 *Iuramentum cur valeat de Vsuris soluendis. 7.*
6 *Iuramentum cum peccato præstitum quando seruari oporteat.*

1 ERat iure Digestorum iusiurandum accessionis vice; nec valere aliquid poterat, si actus non valeret, cui interpositum esset. *l. Iurisgentium. §. si paciscar. ff. de Pact. l. si quis inquilinos. in fi. ff. de leg. 1. l. si quis pro eo. ff. de fideiuss.* [α] Idque & Iure Codicis obtinebat; *l. non dubium. C. de ll.* nisi quod impedire poterat in integrum restitutionem. *l. 1. C. si adu. vendit.*

2 Cœpit autem Iuramentum a se ipso, independenterque (vt loqui solent) obligare, licet actus non valeret, ex nouissima constitutione Friderici *in Autentica Sacramenta puberum. C. si adu. Vendit. si communis interpretatio vera est.* [β] *Quod ipsum iure demum Pontificio* fir-

firmatum fuit, quo clarius proditum, omne iuramentũ seruari oportere, quod in dispendium non vergeret æternæ salutis. *cap. cum contingat de Iureiur. c. 2. de pact. in 6.*
3 Nam iuramento promissorio inest assertorium, cui non potest deesse materia aliqua, quæ subijciatur; qui enim promittens iurat, daturum se, facturum ve aliquid, eo ipso asserit, & iurat, verum illud esse, quod promittit, seq. habere in præsens voluntatem, & propositum dandi, faciendi ve r.

Hæc cum non satis religiose aduerterent Ethnici Legũlatores, crediderunt, non posse Iuramentum stare, si a-
4 ctus deficeret, cui interpositum illud esset; forte, quia Iuramentum nihil aliud, quam probatio, est; hanc autem euanescere omnino oportet, si nihil est, quod probetur; sed male, nam si actus corruat, assertio tamen nõ
5 corruit, quæ probari iureiurando possit. Non itaque satis mirum videri cuiquam potest, si Iuramentum valet de soluendis Vsuris, cum tamen Vsurarum promissio non valeat. *d. cap. debitores*; nam suam a se ipso obligationem Iusiurandum habet, & is, qui promisit, vsuras se soluturũ, simul asseruit, verum esse, quod promisit, quo circa verũ eum facere oportet, quod sacramento firmauit.

At (inquies) quomodo Iuramentum valet de soluendis Vsuris, si peccati nutritiuum est, neque absque turpitudi-
6 ne præstari etiam potest? Resp. valere Iuramentum, licet fuerit cum peccato præstitum, si seruari potest absque peccato. *cap. & si Christus. de Iureiur. ibi. & quamuis per*
7 *creaturam* Enimuero Iuramentum de soluendis Vsuris, & seruari sine peccato potest, & præstari. Præstari (in-

quā) nisi debitor vsurarum creditorem allexerit alioqui non facturum, seq. eo modo criminis socium fecerit. Vide D. Tho. ζ

α *Vide Coras. ad l. admonendi. n. 25. ff. de Iureiur. Pet. Greg. synt. lib. 50. cap. 5. Omnes ad d. l. si quis pro eo.*
β *Vide Coras. sup.*
γ *Dixi de relaxat. c. 13. n. 16. cum relatis ibid.*
δ *Vide Sac. Iu. contr. differt. 4. c. 14.*
ε *Late Suar. de Iuram. lib. 2. toto. cap. 24.*
ζ *2. 2. q. 78 art. 4. in corp. & quæ ego Sac. Iu. contr. differc. 10. c. 2. n. 22.*

An ex Iureiurando acquiratur homini obligatio. *Ad l. si quis pro eo. ff. de fideiuss.* Cap. CCXII.

1 *Naturali obligationi accedere fideiussor potest.*
2 *Iuramentum olim quasi accessio.*
3 *Nec debere operas potest, nec iurare, qui libertus non est.*
4 *Soli Deo ex Iureiurando obligatio oritur, & quæ.*
5 *Iuramentum est testimonium.*
6 *Et species probationis.*

NEgauit Bart.[α] cum magis communi sententia, de qua plene Coras.[β] & pro Bartolo videntur Donel.[γ] & Cuiac.[δ] satisque euidens pro hac re visum illud est, quod arguitur ex d. l. *si quis pro eo.* vbi Paul. *Si quis pro eo, qui libertus non esset, & operas præstaturum se iurasset, fideiussor*
1 *erit, non tenebitur.* Igitur huic Iuramento fideiussor non accedit, cum tamē naturali obligationi accedere fideiussor possit. *l. fideiussor. ib. §. fideiussor. ff. de fideiuss.* quo satis liquet, obligationem naturalem ex Iuramento minime oriri.

Vereor, ne quid, vel minimum, de hac re Paulus probet; non enim ideo accedere fideiussor non potest, quia non oritur

tur ex Iuramento naturalis obligatio, ſed, quia Iuramentum illud omnino nullum eſt, quaſi nec præſtitum fuiſ-
2 ſet; nam perpetuum illud fuit in Iure Pandectarum, & Codicis, vt Iuramentũ acceſſio quaſi eſset alterius principalis rei, eaq; corruente ipsũ quoq; corrueret Iuramentũ. *l. Iuriſgentium. §. ſi paciſcar. ff. de Pact. l. ſi quis inquilinos. in*
3 *fi. ff. de leg. 1. l. non dubium. in fi. C. de ll.* Quia igitur debere operas nõ poterat, qui libertus non eſſet, ideo nec iurare. *Vide l. penul. ff. ſi a paren. quis manum. l. nullum. ff. de Obſeq. l. vt Iuriſiurandi. ff. de oper. libert. l. vlt. ff. de liber. cau. l. ſeruum teſtamento. ff. de manum. teſt. l. 1. cum gl. 1. C. de oper. libert.*

Æſtimo tamen, veriſſimam eſſe Bartoli, & communis ſententiæ poſitionem, immo, quod alicubi receptum legimus, ex Iuramento Deo primum, ac præcipue, deinceps verò homini obligationem quæri, quaſi ſomnium
4 puto eſſe male affecti hominis; dico enim, ſoli Deo ex Iureiurando obligationem quæri, neque aliam eſſe obligationem hanc, quam Religionis, & cultus, hoc enim eſse, quod ſcriptum habemus *in c. debitores. de Iureiur. cogendi ſunt Domino reddere Iuramentum*. Domino (inquit)
5 quod not. Hoc ita explico. Iuramentũ eſt aſſumptio diuini nominis in teſtimoniũ rei illius, quę homini aſseritur, vel promittitur. Eſt (inquã) Iuramentũ nihil aliud, quam teſtimoniũ, ergo non ex genere obligationis, ſed ex gene-
6 re probationis, nam & ſpeciẽ probationis Iuſiurandum eſſe, dixi cũ alijs alibi. Teſtimonij vero nõ obligare eſt, ſed probare, & ſidem facere, quapropter, ſi hominem adhibeo teſtem alicuius veritatis, nulla inter me, & eum

obligatio oritur, qui probationem a me recipit. Sin Deũ testem exhibeo, obligor quidem Deo, sed sola, atque ea quidem circumstantiali (sic loqui liceat) obligatione, Religionis, cultus, & reuerentiæ; esset enim iniuriosum Deo maxime, si in testem nuncuparetur falsitatis. Est itaque obligatio quidẽ a Iuramento, sed Religionis, quę soli Deo deberi potest; hoc enim est Domino reddere Iuramentum. *d.cap.debitores.* hoc Religionem seruare Iuramenti, si cui aliquid iurato promiserimus. *cap.commissum. de sponsal.*

α *Ad l si quis pro eo n.3.ff.de fideiuss.*
β *Ad l.si admonendi.n.17.ff.de Iureiur.*
γ *Comment.lib.24.c.9.*
δ *22.obs.7.*
ε *Vide, Coras.sup.& d.l.si quis pro eo.*
ζ *Pulchre Coras.ad d.l.admonendi.n.25.*
η *Coras.ibid & d.l.si quis pro eo.*
θ *Vide, quæ Sacr.Iu.contr.dissert.10.c.2.n.20.*
ι *D.Tho.2.2.q.89.art.1.Vide quæ ego de relax c.2.*
κ *Sac.Iu.contr.dissert.4.c.14.& sup.c.206.*

De eadem re, & conciliatus Greg. 3. *in cap.* 1. *de Iureiur.* Cap.CCXIII.

1 *Relaxatio præsupponit vinculum relaxabile.*
2 *Quo pacto Vsurarius Creditor Iuramenti vinculum laxare dicatur.*

M*Andamus* (ait Gregor.) *quatenus Creditores ad Iuramenta super Vsuris sibi soluendis præstita relaxãda Ecclesiastica districtione cogatis.* Atqui (inquiunt) si constringi Creditor debet ad relaxandum Iuramentũ, palam est, ius aliquod obligationis ex Iuramento Creditori acquiri, qui enim ius habet relaxandi, is & retinendi ius ha-

1 habere non ambigitur, quippe relaxatio præsupponit Vinculum relaxabile. *l. decem. ff. de Verb oblig. cap. ad dissoluendum. de despons. impub.*

Existimo, nihil obesse, quod opponitur; obligatio enim ex Iuramento soli Deo quidem acquiritur, vt, dicebam, sed ad fauorem hominis, cui iuratur, vnde fit, vt remit-
2 tente homine, remittat & Deus. Igitur Creditorem adstringere ad relaxandum Iuramentum aliud profecto nõ est, quam eundem compellere, vt dimittat, quod eo dimittente simul dimissurus Deus sit. Ita fit, vt relaxatio vinculum supponat, quo Deo religemur, non homini, sed laxante homine laxet quoque Deus. Quid enim tũc probetur Iuramento, si nihil pro se probari creditor velit? Aut, si nihil est, quod probari Iureiurando debeat, an non tunc cessare etiam Iuramentum oporteat, & cũ eo Religionem quoque, seu obligationem Religionis?

Alius fortasse dixerit, suppetere Creditori ius, non quidẽ agendi contra reum quasi obligatum, sed conquerendi, aut querelandi aduersus iurantem vti periurij reum, cum eius intersit, periurium non admitti; Aut Euangelice denunciandi ad præscriptum Romani Pont. *in cap. nouit. de Iudic.* Hoc itaque esse, quod Vsurarius Creditor relaxare iubetur. *in d. cap. 1.*

De eadem re, & de Iuramento confirmatorio quæstio sopita. *Ad cap. cum contingat. de Iureiur. &c.* Cap. CCXIV.

1 *Rei dotalis alienatio cum iuramento valida.*
2 *Iuramentum olim accessionis vice.*
3 *Legem Ciuilem quando irritare Pontifex soleat.*

4 *Quo*

4 *Quo sensu dicatur actus iureiurando firmari.*
5 *Iuramentum de genere est probationis.*
6 *Iuramentum promissorium non est sine assertorio.*

ERat forte, qui prædictis obijceret Iuramentum confirmatorium actus inualidi, eius (inquam) actus, qui natura licitus est, sed solo Ciuili Iure illicitus, qualis alie-
1 natio rei dotalis a muliere, &c. *vulg. cap. cum contingat. de Iure Iur. cum simil.* Est enim seruandum tale Iuramentum, vt ibi, cum tamen in re irrita frustratorium sit probandi munus, quid enim proficit actum probare, si probatus non releuat? Igitur non eo casu probat Iusiurandũ, sed confirmat, obligationemque adijcit; nam, si aliter dicas, si (inquam) nihil est, quod iuramento firmetur, nihil etiam, quod eodem vtiliter probetur, euanuerit certe Iusiurandũm quasi subtractione materiæ, quod absurdũ.

Ego actum inualidum iureiurando confirmari, impatienter audio, quicquid de hac re fuerit communius creditum [α], aut quicquid dixerit Couarr. [β] non esse in Tribunalibus de hac communi opinione controuertendum, scio enim, non defuisse, qui contrarium verius æstimauerint [γ], inter quos haud facile dignosci posse, quæ communior opinio sit, ex Alciato respondent Couarr. [δ] & Suar. [ε] qui ab hac sententia non recedit; quam eandem seruari in Regno Galliæ testatur Faber. [ζ]

Et ducuntur hi quidem, nam nullibi in Iure cauetur, eã esse Iurisiurandi vim, potestatem ve, vt confirmare actũ possit, quem ciuilis dispositio irritum fecerit; immo Iure
2 Digestorum, & Codicis erat Iuramentum quasi acces-

sio-

sionis vice, & naturam actus sequebatur, cui interponeretur. Neque aliquid contrarium probant, vel constitutio illa celebris Friderici Imp. *in auth. Sacramenta pube-*
3 *rum .C.si aduer.Vendit.* vel Canonum censura; non enim solent Pontifices, aut certe non possunt (inquit Suar.) directo legem Ciuilem irritare, præterquam ex necessitate spiritualis boni. *cap. nouit.de Iudic.cum simil.* quæ tamen necessitas nulla est in specie nostra, nam, manente integra dispositione Iuris ciuilis, possunt Iuramenta etiam integra, illibataque seruari; & hoc est, quod præcipitur *in d.auth.sacramenta puberum. d.c.cum contingat. cap. 2. de pact.in 6.* Et quoties alicubi expressim legeremus, iureiurando pactum, quod est irritum, confirmari posse, nō referret, qui enim iurat, adeo velle tenetur id, quod iurat, vt velle etiam debeat omnem effectum, quem haberet
4 contractus initus, si irritus non esset, & hoc sensu firmare contractum diceretur. Denique Iuramentum non
5 de genere obligationis est, sed probationis, cuius est fidē facere, non obligare, seu irritam obligationem confirmare.

6 Nec valet, quod paulo ante opponebatur, dixi enim, nō esse Iuramentum promissorium sine assertorio, in assertorio autem non posse deesse materiam, quæ sacramento subijciatur; qui enim promittēs iurat, daturum se, facturū ve aliquid, eo ipso asserit, & iurat, verum esse illud, quod promittit, seq. habere in præsens voluntatem, ac propositum dandi, faciendi, atque exequendi. Igitur, si promissio deest, si irrita est, assertio tamen firma remanet, quæ Iuramento probatur, hoc est, testimonio Dei, & ex

eo

eo Religionis, & cultus obligationem parit. Sic Iurijurando proprium ſuum remanet probandi munus, neque aliquid tamen ex inutili illa promiſſione confirmat.

α *Vide gl. in d. Auth. ſacramenta puberum. ver. contractibus. vbi Bar. num. 3. cum alij prope innum. quos refert. Tho. Sanch. decal. to. 1. lib. 3. c. 12. n. 11. Abb. d. c. cum contingat. n. 8. vbi Alc. n. 116.*

β *De pact. par. 1. §. 1. n. 7.*

γ *Ant. d. c. cum contingat. Cuman. l. ſi quis pro eo ff. de fideiuſſ. Mancin. cum relatis de Iuram. par. 4. eff. 1. q. 3. n. 10.*

δ *Sup. n. 7.*

ε *De Iuram. lib. 2. c. 28. n. 3.*

ζ *De err. dec. 28. err. 6. n. 7.*

η *Vide ſup. c. 211.*

θ *De quibus Suar. ſup.*

ι *d. c. 211.*

De eadem re, & reiecta vulgaris illa poſitio, quæ habet, *Iuramentum facere vale e actum eo modo, quo poteſt. Ad l. cum pater. §. filius matrem. ff. de leg. 2.* Cap. CCXV.

1 *Iuſiurandum olim acceſſionis vice.*

AGere Iuramentum poſse, vt valeat actus eo meliori modo, quo valere poſſit, adeo receptum eſt inter omnes, vt pro indubitato haberi videatur [α]. Hinc oriri ex Iureiurando obligationem poſse ad fauorem eius, cui iuratur, credidit Coras.[β] Argumentum eſt omnium Papiniani authoritas *in d. §. filius matrem*. Filius matrem inſtituit; ab eaque fideicommiſsum relinquit; ſciens autem nullo Iure teſtamentum factum eſse, matrem Iureiurando onerat. Iurat mater, fideicomiſsum daturam ſe, quęritur, an Iureiurando obligetur, cum obligari non poſſet teſtamento. *l. eam. l. ſi veritas. l. ex teſtamēto. C. de fideic.* Affirmant Papin. obligari Matrem, vt ab inteſtato præſtet,

ſtet, quod præſtituram ſe iurauit. Agit itaque Iuſiurandum, vt, quod teſtato valere non poteſt, ab inteſtato obliget, adeoque actum valere facit eo meliori modo, quo poteſt.

Miror, Coraſium in hanc ſententiam deſcendere potuiſſe cum reliquorum grege, nam perpetuo Digeſtorum Iure ſeruatum fuiſſe, & nouit ipſe, & alijs tradidit, vt Iuramē-
1 tum quaſi acceſſionis vice eſſet, & cum ſuo principali infirmaretur; γ nos autem eam Iurijurando vim non eſſe, vt validare aliquid poſsit, ſatis ſuperque demonſtrauimus. Neque obſtare Papin. poteſt in oppoſita lege; non enim Iuramentum facit, vt fideicommiſſum ab inteſtato ſolui debeat, ſed enixa voluntas, enixæ (inquam) filij preces, quibus fit, vt filius ſciens, non poſſe ex teſtamento fideicommiſſum deberi, voluerit extra cauſam teſtamenti omnimodo præſtari. Verba Iuriſconſulti hæc ſunt. *Nihilominus matrem legitimam hæredem cogendam præſtare fideicommiſſa reſpondi, nam enixæ voluntatis preces ad omnem ſucceſsionis ſpeciem porrectæ videbantur.* Enixa igitur voluntas id facit, vt ab inteſtato præſtare fideicommiſſū debeat, cuius enixæ voluntatis argumentum optimum eſt Iuriſiurandi exactio, non enim poterat Filius maiori vinculo adſtringere parentem ſuam, quam Religionis, & pietatis.

α *Vide Oſaſc. decis. 75. n. 7. Seraph. de Iuram. priuil. 98. vbi de comm. n. 1. Mancin. de eod. par. 4. eff. 9. n. 1. & 2.*
β *Ad l. admonendi. n. 4. de Iureiur.*
γ *Vide ſup. cap. 211.*

Qui vſuras iurauit ſe ſoluturum, an teneatur, & conciliatus Gregor. cum Alex. *in c. 1. &* 6. *de Iureiur.* Cap. CCXVI.

1 *Re-*

1 *Remediũ duplex aduersus Creditorẽ vsurarũ, si iuratũ ei sit.*
2 *Iuramentum valet de vsuris soluendis, non promissio, & cur.*

Creditores ad Iuramenta super vsuris sibi soluendis præstita relaxãda Ecclesiastica districtione compelli iubet Greg. 3. *in d. c. 1.*

Sed longe diuersum est, quod definit Alex. 3. *in. d. c. 6.* debitores scilicet ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debere, si vero de ipsarum solutione iurarint, cogendos esse domino reddere Iuramentum, & cum solutæ vsuræ fuerint, creditores ad eas restituendas esse Ecclesiastica seueritate (si necesse fuerit) compellendos. Quid est hoc, nunc relaxari Iusiurandum oportere, nunc vsuras solui, & solutas repeti?

1 Quantum capio, habent duo hi Canones remedium duplex. Alterum, priusquam dies veniat soluendæ vsuræ, adiri enim potest Ecclesiasticus Iudex, eiusque officium implorari, vt Creditorem constringat per Censuras ad remittendum Iuramentum de Vsuris soluendis præstitum. Alterum, cum dies aduenerit solutionis, non enim potest debitor negare vsuras, quin periurium incidat, sed dare eas debet, & Iurijurando satisfacere; postquam vero soluerit, per Ecclesiasticas Censuras repetere eas potest.

2 Habes, valere Iuramentum de soluendis vsuris, licet spõsio non valeat de ijsdem, vti contra leges. *l. pacta, quæ contra. C. de ll.* Est enim Iuramento singulare quoddam à Iure Pontificio, quod supra satis explicatum [a].

[a] *cap. 211.*

De Iuraměto litis deciſorio, & de obligatione, ſeu actione, quę ex ipſo eſt. *Ad l. Actori. C. de Reb. cred.* Cap. CCXVII.

1 *Iuramentum non eſt de genere obligationis.*
2 *Actio ex Iuramento datur quaſi ex cauſa veteri, &c.*
3 *Et an directa, vel vtilis actio iſta ſit.*
4 *Vtilis, & in factum actio idem ſunt.*

CRedidit Bart.[a] ex Iuramento litis deciſorio obligationẽ naſci, & actionem, quod & Abbas verum cenſuit [b]. Nam Diui Principes *in l. Actori. C. de reb. cred. Actori* (inquiunt) *delato, vel relato Iureiurando, ſi iurauerit, vel ei remiſſum ſit ſacramentum, ad ſimilitudinem Iudicati in factum actio competit.* Igitur in factum actio datur ex Iureiurando, nec ſecus, ac ſi iudicata res ſit. Fac. *l. ſi duo patroni. §. ſi quis iurauerit. l. nam poſteaquam. ff. de Iureiur. §. itẽ ſi quis poſtulante. Inſt. de Act.*

1 Sed contradicit principium illud, quod ſtatuebamus, iuramentum non eſſe de genere obligationis, ſed de genere probationis; quod ipſum ſatis abunde explicant in ſpecie noſtra *l. 5. ff. de Iureiur. l. ſed ſi poſſeſſori. §. vlt. ff. eod.* Et in *d. l. nam poſteaquam.* non tantum qui iurat actionem acquirit, ſed & is, cui remittitur Iuſiurandum, cum paratus eſſet iurare. Sic remiſſio æque agit, ac ſi iuratum omnino fuiſſet, cum tamen non fuerit iuratum. Denique qui probat, non a probatione facta actionem nanciſcitur, ſed ab eo, quod probat. Quocirca Vlp. *in d. §. ſi quis iurauerit.* docet, acquirere ex empto actionem ex Iuramento ſuo eum, qui iurauerit, ſibi Titium vendidiſſe aliquid; ergo non ſimplex actio ex Iureiurando datur,

ſed

2 ſed ex empto, & ſic ex veteri cauſa, quæ cum antea nulla legitima probatione conſtare poſset, deinceps Iuraméto probata vtilem fecit actionem. Ita pro ſocio, pro dote, & pignoratitia actio ex Iuramento dantur *in d. §. ſi quis iurauerit. & §. Marcellus.* adeoque ex cauſa veteri, quæ Dei teſtimonio comprobata eſt.

Sed ſtatim oppoſueris. Si actio datur ex veteri cauſa, vtp. ex empto, pro ſocio, pro dote, &c. quid eſt, quod dicũt Impp. *in d. l. Actori.* actionem in factum dari?

3 Reſp. Actio, quæ ex veteri cauſa competit, non directa eſt, ſed vtilis, vt *d. §. Marcellus. & d. l. ſed ſi poſſeſsori. §. vlt.* non enim ex verbis legis eſt, ſed ex ſententia. *arg. §. vlt. Inſtit. de Lege Aquil.* quippe, ſi verba legis ſequimur, ex empto actio ſoli illi tribuitur, qui emit. *l. ex empto. ff. de Act. Empt.* at is, qui iurauit, ſe emiſſe, non idcirco emit, neque idcirco agit, quia emit, ſed quia iurauit, ſe emiſſe. *d. l. nam poſteaquam. d. §. item ſi quis poſtulante.* Igitur ex ſententia legis actionem reparat, non ex verbis, & ſic vti-
4 lem, non directam; atqui vtilis, & in factum actio idem ſunt. *l. 1. cum ſeq. ff. de præſcr. Verb. iun. l. cum mota. C. de Tranſact.* Et vide *d. §. vlt. Inſtit. de l. Aqu. iun. l. boues. ff. eod.* Hæc Donel. γ reprobata ſententia Bartoli.

α *Ad l. ſi quis pro eo. n. 4. ff. de fideiuſſ.*
β *Ad c. cum veniſſent. n. 4. de Inſtit. Adde Mantic. de tacit. lib. 24. tit. 5. n. 8.*
γ *d. l. Actori. n. 5.*

An lex poſitiua infirmare Iuramentum poſſit. *Ad l. vlt. ff. ad Municip.* Cap. CCXVIII.

1 *Princeps laicus an, & quo pacto relaxare Iuramentum poſſit. 3.*

2 *Iuramentum accumulat forum foro.*
4 *Princeps gratiam facit Iurisiurandi.*
5 *Iuramentum non valet, quod vel publice nocet, vel priuatim (alteri.*

MAxima fuit de Iurisiurandi Religione Ethnicorum licentia, quam sancte, & pie coarctarunt Romani Pontifices. Potest tamen Laicus Princeps eo casu Iura-
1 mentum infirmare lege condita, quo & relaxare potest. An ergo relaxare Iuramẽtum possit Laica potestas? Vtiq; nõ tamen dispensando, absoluendo, seu habilitando, vt loquuntur, nam hæc spiritualis sunt Iurisdictionis, sed indirecta quadam laxatione, quæ eo spectat, vt ex Iuramẽto præiudicium non inferatur Regiæ potestati; nihil enim tunc fit ad Ecclesiasticæ Iurisdictionis æmulationem, vel ad eam quoquo modo impediendam, sed ad conseruationem Regij Iuris; cumque Iuramentum accumulet forum foro, cum (inquam) iureiurando fiat, vt ad Ecclesiasticum Tribunal laica Iurisdictio deuoluatur. *cap. vlt. de foro compet. in 6.* potest iure Princeps subditis suis prohibere, ne alterius Superioris imperium Iureiurando proro-
3 gent. Nec dubium, nam potest Laicus Magistratus sibi subditum constringere, vt Iuramentum relaxet, si pręstitum in graue pręiudiciũ fuerit Iurisdictionis temporalis, ergo & ipse potest recto tramite sacramenti præstiti vinculum disrumpere, cum hæc paris authoritatis esse videãtur.[a]

4 Addit Couarr.[b] id suasum videri ex *l. vlt. ff. ad Municip.* vbi Papir. *Impp. Antoninus, & Verus rescripserunt, gratiã se facere Iurisiurãdi ei, qui iurauerat, se ordini* (Decurionũ scili-

cet) *non interfuturum, & postea Duumuir creatus esset*. Ergo remittit Iuramentum Laicus Princeps, cum enim posit subditum constringere ad subeundos Magistratus ex causa publicę necessitatis, iuramentum mehercule eam recipit conditionem in præsenti casu; *Nisi aliud Princeps iusserit*; & sic non tam remitit Princeps, quá declarat, cum in vnoquoque Iuraměto excepta semper intelligi debeat Superioris authoritas.[γ] Hęc Couarr.[δ]

5 Sed non tam vere, quam subtiliter. Noueris, consueuisse Imperatores Iurisiurandi gratiam facere, etiam si Iuramentum tale esset, vt publicæ vtilitati, Iurisdictioni ve Principis non præiudicaret; sic Suet. de Tyberio, qui Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vxorem in stupro Generi compertam vt dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante iurauerat.[ε] Quærebam ego, an etiam valeret iuramentum præstitum, quod, vel Principis authoritati noceret, vel communi Ciuium bono. Et valere negat Coras.[ζ] authores simul memorans, legumque exěpla. Mihi vnum satis, non valere Iuramentum, si in priuati hominis detrimentum fuerit pręstitum. Quanto minus, si, vel Principi officiat, vel publico Ciuitatis bono? Non itaque laxat aliquid Princeps, sed declarat.

α *Vide Couarr. de pact. par. 1. §. 3. n. 10. vers. principaliter. Suarez. de Iuram. lib. 2. c. 41. n. 15. Sanch. decal. vol. 1. lib. 3. c. 22. n. 2.*

β *Ibid.*

γ *Not. ad c. constitutus. de Rescript.*

δ *Sup.*

ε *Vide Rauard. Varior. lib. 5. c. 2.*

ζ *Ad l. admonendi. n. 33. ff. de Iureiur.*

De eadem re extra causam communis boni.

Cap. CCXIX.

1 *Do-*

1 *Dolus Iuramentum irritat.*
2 *In foro animæ excluduntur præſumptiones.*
3 *Præſumptio præſuppoſitionis, vel facti quæ.*
4 *Iuramentum nutritiuum peccati non obligat.*
5 *An ſeruare Iuramentum debeat qui cum peccato iurat.*
6 *Si Vſuras promittens iuret, an obligetur, vel quando.* 11.
7 *Princeps condonare ius non poteſt priuati hominis.*
8 *Scire leges vnuſquiſque tenetur.*
9 *Iuramentum non porrigitur ad incogitata.*
10 *Matrimonium qua via poſsit irritari.* 12.
13 *Præſumptio definitionis, aut moralis periculi quæ.*

EXtra cauſam publici boni, aut laicæ Iuriſdictionis requiri non inutiliter poteſt, an poſſit ſtatutum, ſeu lex infirmare Iuramentum.
Bar.[a] docet, poſse Iuramentum contemni, ſi ſtatuentes præſumant, maiorem dolo fuiſſe allectum ad contrahendum; hæc enim præſumptio quaſi Iuris, & de Iure, vt lo-
1 quuntur, indubitatam rem facit; dolus autem irritat Iuramentum, vt preſupponit in ſua queſtione idem Bar.[β] & cum temperamento aliquo probat Suar.[γ] Egit Bartoli authoritas, vt paſſim per vrbes reciperentur huius generis ſtatuta; ſed tutius egerit circumſcriptus Minor, ſi relaxationem petierit, probaturus exinde læſionem coram Iudice ſuo,[δ] nam ſi Iuramentum non poteſt ſubijci diſpoſitioni Iuris Ciuilis, vtique nec præſumptioni eiuſdem.
2 Denique in foro animæ de ſola veritate contenditur excluſis præſumptionibus. Alleg. *c. is qui fidem. c. tua nos. de ſponſal.* Et hæc præſumptio forte ex ijs eſt, quas Theologi

 ap-

appellant *præsuppositionis*, vel *facti*, quapropter & deficere eam oportet, si facti veritas & ipsa deficit.
Est, qui dicat, infirmari Iuramentum posse, si prohibeat actum lex, suæque prohibitioni simul reatum addat le-
4 thalis culpæ, nam Iurisiurandum erit tunc nutritiuum peccati, adeoque non obligatorium. Sed perperam, nã
5 qui cum peccato iurat, Iuramentum tamen seruare absque peccato potest, tenetur vtique. *cap. & si Christus. de Iureiur.* Sic qui iurat, soluturum se Vsuras, obligatur Iuramento. *cap. debitores. de Iureiur.* & tamen interdum
6 iurat cum peccato, creditorem scilicet alliciens, vel inuitans, aut saltem absque necessitate aliqua, vel rationabili causa recipiens oblatum fœnus.
Alij docent, adimi posse Iurijurando vires, si Princeps, aut legislator condonet iuranti debitum, nam subtracto debito subtrahi quoque vinculum Iuramenti. Sed male,
7 non enim cõdonare potest ius priuati hominis Princeps, nisi publica aliqua necessitate cogente, vt dicebam. Qui etiam sciens, donatum sibi debitum a lege esse, iurat tamen, is donationi renunciat, & iuri pro se quæsito, quod potest. *l. si quis in conscribendo. C. de Pact.* neque enim prohiberi a Principe potest suæ rei arbiter, quin rem suã donet, ac perdat. Quid (rogas) si donatum sibi nesciat quis, & iuret? Resp. Adhuc Iureiurando tenetur in foro
8 externo, quia legibus renunciasse creditur, quas scire debuit. In foro autem interno potest excusari, quia Iuramentum non porrigitur ad incogitata. Denique hodiernis moribus non valde conuenit, vt ablata per donationẽ
de-

debito ablatum quoque Iuramentum videatur, nam tenetur omnimodo qui iurauit verum illud facere, quod iurauit. *d.cap.debitores.* Et re vera quando promiſsionem lex irritat, eam ſatis debitori condonat, & tamen iuſiurãdum ſeruare debitor debet, vt *ibi* [t].

Vltimi volunt, impediri poſse Iuramenti vim per legem, priuſquam præſtitum illud fuerit. Sicut enim (aiunt) nõ
10 potuit directo, immediateque Eccleſia matrimonium clam factum irritare, quatenus Sacramentum eſt, at indirecto potuit, & remote, deſtruendo humanum contractum, quo deſtructo veluti fundamento matrimoniũ quoque ipſum conſequenter deficeret; ita quamuis Laicus Princeps nequeat ſua lege Iuramentum alicubi præſtandum directo, immediateque irritum facere, quaſi quod vinculum ſpirituale eſt, adeoque limites excedens laicæ poteſtatis, poteſt tamen indirecto, & remote, nempe irritando contractum, priuſquam lineatur, quo deſtructo, Iuramentum quoque, quod ei innititur, deſtrui neceſse ſit. Atque ita quidem æſtimat Sanch. [x] quaſi vero, vt olim Iure Digeſtorum, & Codicis, ita & hodie ſtet
11 Iuramentum acceſsionis vice. An non promiſsio de Vſuris irrita a lege ſit, & tamen ſeruandum eſt Iuramentum de ea præſtitum? Vide *cap. 1. & d.c.debitores.* [^] Neque eſt
12 ſimilis Matrimonij cauſa, nam iſtud ſtare non poteſt abſque humano contractu, quo perinde corruente ipſum quoque corruit, at Iuramentum ſine promiſsione ſtare poteſt. *d.cap.debitores.* nam promiſsioni includitur aſſertio, quæ manet ſemper, & quam facere oportet veram, ſi Iuriſiurandi Religio ei acceſserit.

13 Vides, quam difficile ſit legi, irritum poſſe facere Iuramẽtum. Et fortaſſe probabilior eſt ſententia Bartoli in ijs ſaltem cauſis, quibus præſumi dolus iure poſſit, vt mulierum, minorum, ruſticorum, &c. nam verius fortaſſe eſt, eam doli præſumptionem non præſuppoſitionis, & facti eſſe, ſed definitionis, & moralis periculi, vt Theologi loquuntur. μ At ſtatuta quædam indiſcreta, & paſſim in omnibus perſonis eandem cauſam præſumentia vix patior, licet praxi recepta. Cum itaque ſtatutum in Vrbe ſit, quod & alibi viget, vt nulla donatio abſque inſinuatione ſtare poſſit, nec Iureiurando ſuppleri inſinuatio queat, ſique præſtitum iuramentum aliquod fuerit, metu, aut dolo præſumi extortum debeat, non dubitaui, cũ integræ ætatis, atque integri iudicij quidam abſque inſinuatione donaſset, iuraſsetque, pro iureiurando contra ſtatutum iudicare, erat enim in eiuſmodi homine præſumptio non definitionis, & moralis periculi, ſed præſuppoſitionis, & facti, quæ deficere omnino debuit, ſi facti veritas deficere poſset, vt vere poterat.

α *Ad l. omnes populi. n. 25. ff. de Iuſt. & Iu.*
β *Ibid.*
γ *De Iuram. lib. 2. c. 11.*
δ *Dixi de relax. Iur. c. 14. n. 3.*
ε *Dixi in prælect. ad c. 1. de Conſtit. par. 3. pag. 177. n. 10. & 13.*
ζ *Suar. de Iuram. lib. 2. toto c. 24.*
η *Vide D. Tho. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp. Suar. ſup. n. 1.*
θ *Sup. c. 173.*
ι *Dixi ſup. cap. 211.*
κ *Decal. lib. 3. de Iuram. c. 22. n. 10.*
λ *Dixi ante. et latius ſup. c. 211.*
μ *Vide quæ ego d. c. 1. de conſtit. &c.*

An de eſsentia legis ſit, vt communitati feratur. *Ad l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* Cap. CCXX.

1 *Præ-*

1 *Præceptum Adæ factum veram ne habuerit rationem legis.*
2 *Lex quid.*
3 *Lex generaliter constituitur.*
4 *Personalis constitutio lex est. 6.*
5 *Lex est præceptum, &c.*
7 *Lex an differat a præcepto.*

LEx naturalis, vel cunctis animantibus, vel cũctis hominibus instillata est. Lex diuina vetus Iudaico populo, recens Vniuersæ Ecclesiæ præscripta est. Et obserua in diuinis literis præceptũ duplex. Prohibet Deus Adæ, ne
1 de ligno edat; Abrahęvero præcipit, vt filium immolet. De vtroque requirunt, præceptum ne sit, aut lex. Respondebis, præceptum Adæ factum veram habere rationem legis, quia non Adæ pro sua tantum persona iniunctum aliquid est, sed vt capiti totius naturæ, atque omnes perpetuo obligaturum; Hinc Euam potuit obligare, priusquam formaretur. *Genes.* 2. *&* 3. At præceptum Abrahæ factum mere personale fuisse, adeoque non legem, sed uere, & proprie præceptum, palam est.
2 Ciuiles quoque leges generales sunt. Arist. [a] legem esse docet *Rationem communi consensu Ciuitatis definitam*. Papin. *in l.* 1 *ff. de ll. commune præceptum* dicit, & *communem Reip. sponsionem*. Martian. *in l.* 2. *ff. eod.* eam esse ait, *cui omnes obtemperare conuenit*. Et paulo inferius *iustorum, et*
3 *iniustorum regulam*. Vlp. *in l.* 8. *ff. eod.* iura non in singulas personas, sed generaliter constitui docet. Igitur nullam esse legem, quæ non communitati feratur, elegans hæc inductio probat, stantque cum hac sentẽtia Theolo-

gi, Philosophi, & Iurisperiti frequentius β.

4 Dubitauit tamen Glosographus; γ cum personalis constitutio, seu fauorem nutriat, seu pęnam irroget priuatim δ, lex, & dicatur, & sit. *d.l.1.ff.de const.Princip §.sed et quod Principi.Instit.de Iu.nat.&c.* Seu (inquam) fauorem tribuat. *l.neque Dorothæum. l.Doctitij. C. de Decur. lib.* 10. seu pęnam. *l.amißione. §. 1.ff.de cap.minut.* Addunt, legem nihil aliud re ipsa, quam præceptum, esse. Atqui præcepto contingens esse, vt vni fiat, vel multis, sicut calori euenit contingenter, vt vni inhæreat, vel pluribus, & orationi, vt vni dicatur, aut publice.

6 Sed hæc veritati non detrahunt. Nouum non videbitur, quod argumento olim respondimus, nec sine Authore, leges illas personales, de quibus, aut nominatim, aut generaliter proposuimus aliquid, generales dici posse. Omnem quoque legem, vel constitutionem, vtcumque ad certam aliquam personam dirigatur, sẽper tamen quodammodo generalem esse. Etenim, si priuatæ personæ scripta fuerit, vel odium contineat, & pęnam. *d.l.amißione.* §.1. vel fauorem. *d.l.neque Dorothæum. l. Doctitij.* formaliter quidem (ita loquor) ad eam personam pertinere, virtualiter autem multos obligare. Finge, lata lege Sempronium fuisse Reip. suæ hostem iudicatum, atque ita intellige *d.l.amißione.*§.1. eum vtique omnes habere quasi hostem debent; vni igitur Sempronio lex dicitur, sed cũctos deuincit. Adde *cap.1.§.omnem.de Schism.in 6.* Finge rursus, alia lege lata vni Dorothæo priuilegium aliquod fuisse indultum. *d.l.neque Dorothæum.* omnes vtique prohibentur impugnare. Veræ igitur fuere leges de reditu

ditu

ditu Ciceronis, de cęde Clodij, veræ leges omnes, quæ priuatis conduntur, & virtute ligant vniuersos. δ

7 Minus valet, quod a præcepto arguitur, nam lex quidem præcepti in genere sumpti species est, sed differt specifice a præcepto in specie sumpto, cui vel vni; vel multis fieri contingens est.

At etiam in re morali inquiri tam anxie non oportet, an lex, & præceptum essentiali discrimine segregari videantur, esto enim physice, & secundum species actuum naturales non distinguantur, moraliter tamen, & (quod aiunt) in esse artificiali omnino disgregantur; est enim lex artificiale quoddam, quod circumstantias habet, conditionesque, & habitudines sibi proprias, quæ præcepto non communicantur.

α *In proem. Rhetor.*
β *Vide Abb. ad Rub. de constit. n. 1. Fely. 6. cum omnes. n. 5. eod. Ias. cum Fulgos. & alijs ad l. 1. ff de ll. Suar. de ll. lib. 1. c. 6. n. 6. Salas. de ll. disput. 1. sect. 7. n. 44. Becan. sum. Theol. par. 2. c. 1. tract. 3. q. 6. n. 2.*
γ *l. 1. gl. 1. circa fi ff. de ll.*
δ *Salas sup.*

An a lege liceat appellare, si priuati hominis læsionem velit. *Ad l. 1. in fi. ff. de doli except.* Cap. CCXXI.

1 *Aduersus leges an excipi de dolo possit.*
2 *Indultũ Principis an stare possit in dubio, si tertio præiudicet.*
3 *Salus populi suprema lex.*
4 *Lex non iusta non est lex.*
5 *Intentio legislatoris non inficit legem.*

AFfirmant omnes α, cum nihil minus affirmare debuerint; nam neque aliquid afferre ad causam suam possunt,

ſunt, quod non extraneum, æquiuocum, aut impertinens valde ſit, & vbique præceptum, lex, ac Iudiciale, decretum confunduntur. Vide *l. 1. §. ſolent. ff. quan. appell. ſit. l. ſi conſtet. ff. de appell. l. 6. in fi. ff. de pollic. l. ſi priuatus. ff. qui, & a quib. l. qui grauatos. C. de Cenſib. lib. 11. &c.* Sed neque ſolidum aliquid eſt in Paulo *in l. 1. in fi. ff. de do. except.* dum ait, *dolo fieri tam in contractibus, quam in teſtamentis, quam in legibus*, quaſi vero aduerſus leges doli
1 exceptioni locus ſit. Nam ſententia Pauli diuerſa eſt, nõ enim voluit, aduerſus leges excipi de dolo poſse (quod abſurdum) ſed aduerſus eum, qui doloſe verſetur circa leges, ſcilicet, ſi ſcriptus hæres in fraudem legis Iuliæ, & Papiæ tacitam adcommodauerit reſtituendæ hęreditatis, legatiue præſtandi ei, qui capere non poſsit, voluntatem. Aut, ſi interpretationem legum circumueniat quis. *l. ita fidei. ff. de Iu. fiſ.* legeſue calumnietur, & verba earum captare ſtudeat. *l. penul. ff. ad exhib.* Vide Cuiac.[a] Neque explicari aliter res poteſt, vt, quod de legibus dicitur, conueniat ei, quod de contractibus, & de teſtamentis præmittitur, & quidem in eum ſenſum, vt excipi de dolo aduersus eum poſsit, qui doloſe in contractibus, teſtamẽtis, legibuſque verſetur.

Magis eſt, vt dicamus, non eſse a lege prouocandum. *l. 2. § exactis. ff. de Orig. Iu. l. 1. ff. a quib. appell. non lic. l. ſi qua pœna. ff. de Verb. ſig. l. vlt ff. de appell. recip. &c.* cum non ſit appellatio, niſi a ſententia. *l. 1. §. 1. ff. de appell.* Aut (ſi diligentius explicanda res eſt) contingere multifariam poteſt, vt priuati hominis læſionem velit lex, nec dubito, de veriori ſententia probatum iri, ſi percurramus ſingula.

Eſt

2 Est itaque primus modus, si cui priuilegium aliquod concedatur cum læsione aliqua, & præiudicio alterius. Et constat, si sit dubia Principis mens, ita præsumendum, ne voluerit tertio præiudicare. At, si certa sit lædendi volũtas, nullius tunc roboris priuilegium esse, cum non possit facto Principis cuiquam hominum ius suum detrahi, prędterquam ex publica aliqua necessitate, vel causa γ. Denique, si inualidum priuilegium est, frustra est de appellatione quęstio.

Alter modus est, si priuato homini legislator nocuisse dicatur ob publicam aliquam necessitatem, aut commune bonum Ciuitatis, & tunc nulla prouocatio est, cum nihil
3 non iustum habeat dispositio Principis, & valeat, quod vulgo dicitur. *Salus populi suprema lex.*

Tertius, si lata fuerit specialis aliqua lex in detrimentum priuatæ alicuius personæ nominatim, tunc enim, si eiusmodi illa sit, vt virtute obliget plurimos, δ valebit vtique quasi generalis constitutio, si iusta erit, adeoque non ap-
4 pellabitur ab ea. At si iniusta, non valebit, quare neque appellatione opus quidem erit. Exemplum habui supra. ε Si lege lata pronunciatus fuerit Titius hostis Reip. ea certe cunctos obligat, vt eũ pro hoste habeant, valet itaq; distinctio, iusta ne, vel iniusta lex sit. At, si talis fuerit lex, vt virtute non obliget plurimos, sed absque publica aliqua necessitate, vel vtilitate priuatum aliquem damno afficiat, hæc vtique lex non erit (quia lex vni non dicitur, vt ante ζ) sed præceptum, quapropter quasi a præcepto appellabitur, non quasi a lege, vtp. si absque causa publicę necessitatis, vel vtilitatis aliquid lata lege Titio iusserit

Le-

Legislator, quod ſit in priuatam Principis vtilitatem, & ſubdito officiat.

Quartus, & mihi vltimus, ſi generaliter ſcribatur quidē lex, ſed legislatoris animus priuati alicuius hominis offenſionem velit, nam nec tunc prouocabitur, ſi alioqui lex ſua habuerit requiſita. *cap. erit autem lex. 4. diſt.* intentio
5 enim legislatoris extra rem eſt, neque afficit legem, ſicut praua intentio Iudicis ſententiam non inficit, quæ alioqui iuſta ſit. Quapropter nec morari te oportet ineptum illud philoſophantium Iuriſtarum, iſtiuſmodi legem generalem non eſſe ob id, quod vnius ſpeciei genus pro ſpecie habendum, non pro genere eſt. *l. 1. & 2. vbi ſcriben. ff. de lib. & poſt.* immo enim ſola intentio facere non poteſt conditoris, vt ſpecialis lex illa fiat, quæ, cum lata generaliter ſit, ſeruari ab omnibus debet.

α *Vide ſcripta ad Rub. & c. cum omnes. de Conſtit. c. conſuluit. de appell. l. omnes populi. ff. de Iuſtit. & Iu. & paſſim.*
β *d. l. 1. in fi.*
γ *Dixi ſup cap. 173.*
δ *Vide c. anteced.*
ε *Ibid.*
ζ *Ibid.*

De eadem re, & conciliatus Innoc. *in cap. cum omnes. de Conſtit.* Cap. CCXXII.

1 *Quod quiſque Iuris in alterum ſtatuerit, &c.*
2 *Canonici veras leges non faciunt inter ſe.*
3 *Veræ legis conditiones ex Iſid.*

CAnonici Trecenſis Eccleſię ſibimet conſulere volentes, & non his, qui ad Canonicatus, & Præbendas venturi poſtea eſſent, conſtitutionem fecerant inter ſe ſe,

inqua duo firmata erant. Alterum, vt ipsi, vel præsentes, vel absentes ex integro redditus percipere beneficiorum suorum possent, at, qui post eos venirent ad Canonias, non aliter eos perciperent, quam si residerent. Alterum, vt cum vineæ quædam præbendis singulis iunctæ essent, ipsi eas, quoad viuerent, possiderent, nec tamen ad successores eodem modo transirent, sed earum prouentus in singulos distribuerentur. Verisimile autem est (inquiũt) successores Canonicos, quibus ex hac constitutione præiudicabatur, appellasse Pontificem, qui ita rescribit.

1 *Cum igitur quod quisque Iuris in alterum statuit, ipse debeat vti eo, & sapientis dicat authoritas. Patere legem, quam tu ipse tuleris; mandamus, quatenus antiquos Canonicos iunioribus, & iuniores in perceptione fructuum tam præbendarũ, quam vinearum coæquetis antiquis secundum priorem consuetudinem vsque ad tempus prædictæ constitutionis seruatam, vel secundum rationabilem institutionem in posterum obseruandam.*

Sed nihil inuerisimilius forte est, quam succesores Canonicos aduersus legem appellasse, nam quo pacto id fecerint, si quo tempore lata constitutio fuit, nondum Canonici erat? At nec de vera quidem lege intelligi id po-
2 test, quod Canonici illi statuêre, non enim veram condere legem potuere, cum neque Iurisdictionem haberẽt, neque imperium, aut omnino legislatiuam aliquam potestatem; Valuit itaque cõstitutio illa Canonicalis in vim pacti, & conuentionis, non legis, vt ex se notum satis. Quod si vera fuisset lex, inutilis tamen fuisset ex pluribus,
3 de quibus Pet. Gregor. a Tu Isidorum consule *in cap. erit au-*

autem lex. 4. *dist.* Is conditiones habet veræ legis inter reliquas, quæ huc non pertinent, vt sit iusta, secundum consuetudinem, necessaria, vtilis, & nullo priuato commodo, sed communi Ciuium vtilitati conscripta. Hæc autem iniusta erat, cum absentes percipere fructus deberent.[β] Non secundum consuetudinem, vt ibi. Non necessaria, vel vtilis, nisi per auaritiam. Non communi vtilitati, sed priuatis Legumlatorum commodis prouulgata; ergo Tyrannica; & sic, &c.
Reclamarunt igitur Canonici successores ad Pontificem, ne cogerentur inuiti legem, quę iusta non esset, seruare, vel iurare. Aut forte Diœcesanus Episcopus ad oraculũ peruenit Romani Pontificis, vt iniustos Legumlatores compesceret. Et, quicquid fuerit, non refert, dummodo prouocatum non sit.

α *d. c. cum. omnes n.* 11.
β *Ibid. cum alijs.*

An speciales Canones, seu leges, si claudantur Iuris corpore, porrigantur ad omnes. *Ad* §. *quibus.* 1. *Constit. Cod.*
Cap. CCXXIII.

1 *Clerici iurare prohibentur.* 3.
2 *Ræscripta generalia sunt, & quando secus.*

PLacuit,[α] voluminibus perpetui Iuris inserta priuilegia, nec non reliquas constitutiones, quæ certis personis, locis, causis, & temporibus scriptæ ijsdem continerentur, generales fieri, cum id totidem verbis expressum voluerit Iustin. Imp. *in d.* §. *quibus.* cui valde conuenit, quod statutum habemus *in cap.* 1. §. *legibus. de Iuram. ca-*

lum.

lum. Refert ibi Honor. Pont. edictum Marci Principis, quo Clerici iurare prohibebantur (intellige, a se ipsis absque licentia Prælatorum) & quia promulgatum fuerat
1 Edictum illud pro Clericis Constantinopolitanis, statim dubitatum erat, an ad alios Clericos porrigi deberet, etiam Occidentales, quæ quidem ambiguitas ab Imperatore Henrico primum, deinde ab eodem Pontifice Honorio explicata est, & quidem in eum modum, vt, quod de Constantinopolitanis Clericis statutum erat, ad omnes alios Clericos porrigeretur. Credere autem par est, fuisse hoc modo resolutum, quia lex illa Marci, seu Marciani Imp. in corpus Iuris fuerat relata, vt habes *in l. cum Clericis. vers. quod si lis. C. de Epis. & Cleric.*

Sed vix patior, sic ęstimari communius potuisse, cum, nec priuilegij natura. *cap. 3. dist. 3.* nec vulgares Iuris Regulę. *cap. quæ a Iure. de Reg. Iu. in 6. cap. sane. vbi. not. de priuil. c. non exemplo. 26. q. 2. l. quod vero. ff. de ll.* nec priuilegiorũ, aut personalium constitutionum exempla, quæ plurima in Iure sunt; vide *cap. 1. cap. quanto. de transl. Epis. cap. ad audientiam. cum seq. de præscr. iun. Auth. quas actiones. C. de sacros. Eccl. l. neque Dorothæum. l. Doctitij. C. de Decur. lib. 10.* communibus placitis hærere videantur; pręcipue si pęnas ingerant. *cap. 1. de schism. in 6.*

2 Nec me Iustinianus mouet *in d. §. quibus*; nam verba eius de rescriptis sunt Principum, quæ vim semper obtinent legis generalis, vtcumque determinatis quibusdam personis darentur. Neque interest, iuris ne corpore inserta sint, nam omnimodo generalia sunt. *l. vlt. C. de ll.* si scilicet signa habeant, quibus dignoscantur, vt *l. 1. & l. leges. C. eod.*

C.eod. Volo autem, ex signis esse, si fuerint inserta. *d.§.quibus.* dummodo meminerimus, non valere sequelam hác. *Ergo omnia rescripta Principum corpore Iuris insita generalia fiunt*; sic enim mihi Glossographus pulchre distinguit.[β] Aut, quod certis personis rescribitur, priuilegium vere est, quod euenit, si aduersus Ius commune speciale aliquid indulgeat, & tunc nulla fit extensio, licet iuris corpore claudatur, non enim id patitur proprium esse priuilegij, nec pugnantia velle Princeps creditur. *arg. l. ubi pugnantia. ff. de Reg. Iu.* Aut priuilegium vere non est, sed rescriptum Iuri communi hærens, & tunc, si Iuris corpori interseratur, generale ius erit, non enim repugnat tunc proprium esse rescripti, immo summe plaudit ratio eiusdem, cum ex supposito sit secundum Ius, quod est omnibus imperio subiectis commune.

Eodem quasi fœdere conciliatur Honorius Pont. *in d. cap. 1. §. legibus.* Nam ex instituto causas ibidem memorat, ob quas facta extensio fuerit ad Occidentales Clericos, & de relatione in corpus Iuris nec verbum quidem.

3 Prima itaque ratio fuit, quia Canones sanctorum Patrũ id ipsum præceperant prius, ne Clerici iurarent, qui ijdẽ canones ante Martianum vim legis obtinuerant Iustiniano authore. Quin & apud Ethnicos expressum olim sic fuerat Prætoris Edicto. *Sacerdotem Vestalem, & Flaminem Dialẽ in omni mea Iurisdictione iurare non cogã.* idq; ipsũ plebiscito confirmatũ referẽte Cuiacio,[γ] ex Gell. & Liu.

Altera, nam quod Orientalibus Clericis de iureiurando rescriptum erat, non tantum a communi lege sanctorum Patrum ante effluxerat, verum generalibus etiam verbis,

& quæ cunctos afficere Clericos possent, conceptum ab Imperatore fuerat, eratque ad omnes Clericos generalis rescripti ratio; propterea, &c.

α *De comm. Ferret. cum relatis ad Rub. de Constit. n. 37.*
β *d. c. 1. Ver. Ecclesiarum.*
δ *Ibid.*

An appellatione statuti contineatur Ius commune. *Ad cap. 1. de Constit.* Cap. CCXXIV.

1 ***Statuti nomen an Iuri Ciuili cognitum.***
2 ***Statuendi verbum generale.***
3 ***Statutum quale ius.***
4 ***Ius commune, & municipale quo differant.***
5 ***Item populus, & plebs.***

AIunt, statuti nomen nullibi legi in toto Iuris Ciuilis corpore. Credo equidem, sic nuspiam legi, vt muni-
1 cipialem legem stricte significet; sed obuius mihi fuit Dioclet. *in l. 1. C. quib. ex caus. ser. pro præm. lib. accipi.* ibi. *Senatusconsultis, & statutis Principum.* Et quid vetat, la-
2 tius patere *statuti* nomen, si *statuendi* verbum nullo tali circumscribitur fine? Vide Brisson.[a] Scio etiam, in Pontificio Iure *statuti* nomen generale esse. *d. cap. 1. de constit. c. 11. de rescript. in 6. cap. 15. & vlt. de hæret. in 6. cap. 22. de Elect. in 6. cap. 1. §. vlt. de appell. in 6. cap. 1. de Renun. in 6. cap. regula. §. porro. 3. dist.* nam, si vspiam peculiare ius notat Municipij, continuo aliquid adijcitur, quo ratio nominis explicetur, vt in *cap. 1. de Constit. in 6.* ibi, *locorum specialium, & personarum singularium. & c. 9 de hæret. in 6. ibi Ciuitatis Castri, villæ, &c.* Neq; mihi

 obij-

obijciat quis communẽ loquendi vsũ, nisi simul doceat, de eo omnes æqualiter sentire. β Puto itaq; in eã sententiã rectissime descensũ, vt possit generali statuti appellatione cõprehendi ius generale, & cõe ex proprietate sermonis γ

3 Neque officit, quod obijcere solent quidam; δ statutum. nihil esse aliud, quam ius municipale, quod specie, & forma differat a Iure communi, adeoque, vt, altero posito, alterum non ponatur, sicut (inquiunt) posita plebe non ponitur populus. §. *plebs autem. Instit. de Iu. nat. &c.* Est enim, si ita arguerint, error triplex.

4 Vnus, quia Ius Municipale, & commune, non tam forma differunt, quam latitudine Iurisdictionis. Nam & Ius Romanum, quod nunc generale est omnibus, fuit olim proprium, peculiareq; Vrbis Romæ, atque adeo propriũ, vt peregrinis, extraneisque hominibus non communica-

5 retur. *Instit. de patr. pot. in princ.* Alter, quia populus est quasi totum, aut genus morale quoddam, plebs autem quasi species, aut pars. Si itaque arguere velint *a d. §. plebs autẽ.* fateri vtique debeant, ius municipale esse veluti speciem, aut partem Iuris communis, proptereaque positione Iuris communis videri positum Ius Municipale, quod absurdum. Tertius, quia non disputamus nunc de nomine, aut forma Iuris Municipalis, sed de appellatione statuti, quã contendimus generalem esse.

α *De verb. sign.* (*verb. sig.*
β *Vide Alex. cons. 1. n. 13. et cons. 9. n. 4. lib 1. Alciat. ad l. vt Alphenus. n. 4. ff. de*
γ *Dec. ad c. 1. de constit. n. 5. post Card. Domin. &c.*
δ *And. de ex. ibid n. 44. Aug. Bero. n. 39.*

An correcta ratione legis videatur correcta lex. *Ad §. fæminæ. Instit. de Adopt. & l. vn. in princ. C. de Cad. toll.*

Cap. CCXXV.

1 *Vis legis in ratione.*
2 *Finalis causa quæ sit.*
3 *Ex fine sumuntur Regulæ agendorum.*
4 *Finis ieiunij quis.*

NIhil est, quod interdum plus prædicet Scribentiũ vulgus, quam cessare continuo legem, si ratio cesset legis vulg. *l. adigere. §. quamuis. ff. de Iu. patr. c. cum cessante. de*
1 *appell.* nam vim legis totam in ratione esse, quæ legis anima dicitur, & est; Vide *l. generali. iun. auth. ingressi. C. de Sacros. Eccl. c. miramur. cum gl. de seru. non ordin. iun. cap. a multis. de æta. & qual.* Et nihil est interdum, de quo dubitet magis.[a]

Equidem verum puto esse, quod asseritur, si ex æquo tollitur omnis ratio, quod tunc fit, cum ratio illa, quæ intercidit, finalis est. Dico autem finalem, non qua seclusa actus non fieret (nam id conuenire etiam rationi potest, quæ impulsiua est) sed quæ animum agentis mouet, excitatque ad se ipsam adsequendam; finis enim ille est, propter quem agimus, & quem omnino consequi agentes volumus, & rursus finalis causa, in quam animum intendimus, vt eam conquiramus ex Philosophis. Sumitur autem ratio legis ex intentione & fine Principis condito-
3 ris, cum in Moralibus ex fine hauriantur regulæ agendarum rerum; vnde etiam est, vt, si finis deficiat legis, simul & voluntas deficiat legislatoris. Atque ita olim cũ alijs philosophabar.[b]

Nunc paulo diligentius rem explico, vt concilientur sententiæ. Id omne, quod pręcipere valet lex, aut opus virtutis est,

adeoq; bonũ ſimpliciter, aut indifferens, vt loquũtur, hoc eſt, nec bonũ, nec malũ, ſed habens ſe ad vtrũlibet. Si bonum eſt, ſi (inquã) virtutis opus, tũc, ſi ratio ceſſat legis, aut pręcepti, refert, qualis in re, de qua agitur, mutatio fiat, nã ſi ita mutetur res, vt lex ſimul ad iniuſtitiam vergere incipiat, conſtat ceſſare legẽ; Sin adhuc iuſta eſt, manet tunc integra lex, vtcumq; ratio deſinat legis; Vt ecce. Finis ie-
4 iunij eſt maceratio Carnis. Si itaq; in hunc finẽ alicubi ieiunium indicatur, licet probetur, eius loci homines ſpirituali hoc remedio nullatenus indigere, ſeruari tamen ieiuniũ debet; nam in lege, quæ virtutis opus continet, nõ tam reſpicit Princeps, cur pręcipiat aliquid, quã quid pręcipiat, adeoque deficiente ratione non deficit honeſtas legis, in qua voluntas durat conditoris. Altero autem caſu, ſi indifferens illud ſit, quod lex iubet, tunc ſublata ratione illa, qua conſtitutũ fuerat indifferẽs in ſpecie virtutis, tollitur ſimul lex quaſi inutilis, vt hoc exẽplo. Lex eſt, ne ferrum extrahatur, quod indifferens eſt. Ratio legis, nã in propinquo eſt hoſtis, qui nos bello premit. Vtiq; ſi bellum ceſſet, deficiet quoq; lex quaſi inutilis, & de indifferẽti re, nam res indifferens, vt ſic, non eſt apta materia legis. Hæc Suar. plena manu, [γ] qui temperandum ex his docet, quod plerique cum Gloſatore, &c. [δ]

[α] *Vide ſcripta ad c. 1. de conſt. vbi Dec. n. 11. et ego in pralect.*
[β] *Ibid.*
[γ] *De ll. lib. 7. c. 10. n. 8.*
[δ] *Ad c. & ſi Chriſtus. de Iureiur. ver. ceſſante.*

De eadem re, & aperti legum obices. Cap. CCXXVI.

1 *Fæminæ an, & quomodo adoptare poſsint.* 3.
2 *Et numquid adoptiuis ſuis pupillariter ſubſtituant.*

4 *Adoptandi causæ quæ.*
5 *Fœmina familiæ suæ nomen conseruare non potest.*
6 *Qui generare non potest, non adoptat.*
7 *Legis Papiæ Poppææ ratio, & emendatio.*

NEgarunt plerique, ademptam videri legem, licet deleta ratio fuerit legis; vt ecce. Fœminæ adoptare nō possunt, quia nec naturales liberos in sua habent potestate. §. *fœminæ. Instit. de Adopt.* Abrogatur ratio. §. *sed hodie. Instit. eod.* manet tamen dispositio eadem, & hucusque nequeunt fœminę adoptare, præterquam ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum. Et, cum quæsitum esset, an fœmina, quæ largiente Principe adoptauit sibi impuberem, eidem valeat pupillariter substituere, crebrius responsum est, non posse, cum non placeret, extendi ea ad consequentias, quæ singulariter concessa essent, & pupillaris substitutio patriam potestatem omnino exigat, quam non præmittit adoptio fęminæ. Quin immo, si permissum mulieri fuerit ex indulgentia, vt adoptiuum filium in sua habeat potestate, negant tamen eidē pupillariter substitui posse, quod valde durum.

1

Est & alius casus *in l. vni. C. de Caduc. toll.* vbi Iustin. *Et nomen* (inquit) *& materiam Caducorum ex bellis ortam, & auctam Ciuilibus, quæ in se Pop. Rom. mouebat, necessarium duximus P. C. in pacificis nostri Imperij temporibus ab Orbe Romano recludere, vt, quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret.* Cessauerat ergo ratio legis, hoc est, ratio belli, sed non lex. Quare Tacit. [a] relatum fuisse memorat *de moderanda lege Poppæa, quam senior Augu-*

ſtus poſt Iulias rogationes incitandis Cælibum pœnis, & augẽdo ærario ſanxerat, &c. cumque ab anterioribus Diuis Principibus Seuero, & Conſtantino plura eius legis capita emendata eſſent, Iuſtinianus rem abſoluit. Sic, ceſſante belli cauſa, ceſſare tamen non potuit lex.

3 Sed neutrum valet. Nam primæ authoritati pene reſponderim, ſublata hodie ratione legis, adoptare fœminam poſſe, ſed non arrogare, cum de arrogatione expreſſim loquantur Impp. *in l. Mulierem. C. de adopt.* Sed occurrit nunc melior ratio. Dico, neque adoptare fœminam poſſe, neque arrogare, quia non ſola ratione poteſtatis prohibita olim fuit, ſed alijs præterea, quæ hucuſque vigent.

4 Primum vero, quia adoptio fit ad conſeruationem gentiliti j nominis, vnde pereleganter Lyricus

--------- *frater, pater adde,*
Vt cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.

5 At non eſt in fœminis familiæ nomen conſeruare, cum quos parturiunt, aſſerere nomini ſuo non poſſint, ſed gẽti, & agnationi Mariti; vnde, & quos adoptant indulgentia Principis, nec quaſi filios in poteſtate ſua habent, nec familiæ ſuæ nomine appellant, ſed vmbram quandam, ac ſpeciem filiorum in ijs recognoſcunt; Vide *d. l.*
6 *mulierem. cum ſua gl.* & quæ Connan.[b] Deinceps, nam regula eſt, eum, qui generare non poſſit, adoptare etiam non poſſe. *§. ſed & illud Inſtit. de adopt.* At non fœminæ, ſed maris generare proprie eſt, &c.

7 Alteri reſponſio colligitur ibid. ex Tacito. Lata fuerat Caducorũ lex, vt repleretur ęrariũ Principis, quod bella exhauſerat, & liberis hominibus Reſpub. augeretur quos Ci-

uilia bella extinxerãt comprimebat .n. lex illa cęlibatum. Quamuis itaque bella defeciſſent, durabat tamen ratio legis, ſcilicet, vt ærarium creſceret, & populus, neque alius fuit, quam Princeps, qui declarare poſſet, per auctionem ęrarij, & populi legem illam ab aula ceſſiſſe, declarauitque id proinde Iuſtinianus a ceſſante calamitate belli, lenitate pacis, & facto Principum, qui legis Papiæ nõnulla capita iam iam abrogauerant.

α Annal. lib. 3. *β Lib. 2. c. 15. n. 6.*

An correcta lex allegari ad cauſarum deciſionem poſſit. *Ad §. hunc igitur. C. de Iuſtin. Cod. confir. & l. 2. §. hæc igitur. C. de Vet. Iu. enucl.* Cap. CCXXVII.

1 *Infirmatis legibus robur addere ſupremæ eſt poteſtatis.*
2 *Si vinco vincentem te, &c.*
3 *Familiæ Emptor, atque hæres cur teſtis eſſe non poſſit.*
4 *Correctæ legis prudentia valet in deciſorijs.*
5 *Legem deferri in argumentum quid.*
6 *Legis virtus maior in caſu primo, quam in ſimili.*
7 *Non entis nullæ qualitates.*
8 *Plus eſt arguere a ratione legis, quam a ſimili eiuſdem.*

SI directo allegari lex debeat, negant. *§. d. hunc igitur. d. §. hæc igitur.* Si indirecto, & in argumentum, vtiq; affirmant; [α] nam & Pontifices (inquiunt) & Imperatores, & Iuriſconſulti ex abrogatis legibus ſumpſerunt argumẽta ad nouas leges ſtatuendas. *cap. authoritate. de conces. præben. in 6. §. ſed neque hæres. Inſtit. de teſtam. l. qui filium. in fi. ff. ad Trebell.*

At displicet sequela hęc. *Legislator a correctis legum statu-*
1 *tis arguere potuit, ergo & nos;* nam infirmatis legibus robur addere supremæ est potestatis, quæ priuatis hominibus non communicatur. Cur enim abrogata Iura non poterit ostendere, eorumque authoritatem reparare, aut refouere, qui mortuis vitam restituere, & nouas condere leges valeat? Qui autem protritum illud afferunt. *A boue maiori discat arare minor.* hi opportune sibi, at rei propositæ valde importune concinunt bouis carmen.

Est etiam, vnde singulis occurrere valeamus. Et Bonifacius quidem *in d.cap.authoritate.* non tam arguit a correcta lege, quam ab incorrecta ratione correctæ legis; nam dispositio *l.2.§.si sit Agnatus.ff.ad Tertyll.* quæ emendata hodie legitur *in l.vlt.& Auth.defuncto.C.eod.tit.* ea ra-
2 tione nitebatur, qua & nititur Pont. *Si vinco vincentem te, &c.* quæ quidem ratio nec correcta a Iure Ciuili fuit, vel Pontificio. *l.de accessionibus.ff.de diuers.& tempor.præscr.c.rogamus.24.q.1.* nec corrigi potuit, quasi naturalis.
3 Iustinianus quoque *in d.§.sed neque hæres.* non tam a Iure veteri argumentum sumit, quo familiæ Emptor testis esse non poterat, quam a prima illa ratione, quæ familiæ Emptorem prohibuerat, ne testimonium ferret, vt bene Fab.
x Denique ratio, cur hæres testis esse non possit, & quæ Iustinianum commouit, est, quia hodie omne id, quod agitur testamenti celebrandi gratia, inter testatorem, & heredē agi creditur, sicut olim agebatur inter testatorē, & familię emptorē, & nemo testis idoneus in propria causa.
4 Paulus denique *in d.l.qui filium.* refert, se legem Æliam Sentiam cum alijs argumētis pro ea re Imperatori suo alle-

legasse, vt annus inceptus haberetur pro completo, & secundum ea fuisse pronunciatum. Ergo Legis Æliæ Sentiæ argumentum non ideo propositum fuit Principi, vt ex eo definiret, quasi habente legis authoritatem, sed vt ex ratione, & prudentia abrogatæ legis facilius Principi suaderetur; sic enim ait. *Imperator autem noster motus, & æquitate rei, & verbis testamenti, &c.*

Communẽ itaque Scribentium sententiam me authore reijcies, quam & alij reiecere. Verum enimuero deferri
5 lex in argumentum tunc dicitur, cum a simili allegatur, eademque est in simili voluntas Principis statuentis, quæ in casu recto, & definito a lege. Si itaque infirmatur voluntas legis in casu proprio, & quasi in exemplari, non satis intelligo, quam habere vim, potestatem ve possit in
6 definiendo simili. *arg. l. in testamento. 27. ff. de condit. & dem.* Immo procul dubio maior est virtus, vigorque legis in casu primo, quam in simili, seu extenso, vt nemo inficiari potest. Si itaque nulla in ea virtus remanet post abrogationem in proprio, non video, quid valere possit in simili, vel producto; aut quomodo produci in lege vir-
7 tus posit, quam lex non habet, quia *non entis, &c.*
8 Denique plus est a ratione legis arguere, quæ anima est legis, quam a simili argumentum ducere. At, si quæris, liceat ne arguere a ratione sublatæ legis, sic, & distinguere, & loqui solent, vt si ratio partialis sit legi, tunc omnino cesset, si ablata fuerit lex. At, si generalior sit ratio lege, tunc allegari posit quidem, sed eo prorsus modo, ac si nunquam scripta fuisset lex. Non itaque, vt per eam definiri negocium debeat, quasi non aliter posit, sed, vt Iu-
di-

dici ſuadeatur, penes quem ratio illa plus authoritatis habitura ſit, ſi legi cauſam dederit, fuerit ve ſemel a Legiſlatore recepta. Vide *d.l.qui filium.*

α *Vide Dec.ad c.1.de conſtit.n.11.*
β *Vide Adden.ad gl.d.c.authoritate.ver.primam.*
γ *De Error.par.3.dec.66 err.1.*
δ *Dec.ſup.& alij cum Ferret.n.42.*

An lex conſilij vere, & proprie lex ſit. *Ad l. 7. ff. de ll.* Cap. CCXXVIII.

1 *Conſilium non obligat.*
2 *Lex ſub genere eſt præcepti.*
3 *Et præmittit imperium efficax ſui conditoris.*
4 *Legis virtus quadruplex.*
5 *Eiuſdem materia triplex.*
6 *Lex cur meretricium permittere debuerit.*
7 *Aut contrahentibus, vt ſe inuicem decipiant.*
8 *Lex Domini immaculata.*

NEgant omnes, quia legis eſt *ligare*, vnde & dici putãt legem, α conſilium vero non obligat, cum debeat
1 vnuſquiſque apud ſe æſtimare, ſibi ne expediat conſilium
2 capere. §.2. *Inſtit. de Mand.* Lex quoque ſub genere eſt pręcepti. *l.1.ff.de ll.* vnde & prædicata illa ex Demoſt. & Chryſip. vt ea ſit, *cui omnes obtemperare conuenit, decretũ prudentũ hominũ, cõis ſponſio Ciuitatis, præceptrix faciẽdorũ,*
3 *prohibitrix nõ faciẽdorũ, etc.l.2.ff.eod.* Deniq; lex in ſuo eſſe pręmittit imperiũ efficax ſuperioris conſtituentis, cũ tamen conſilium a priuato etiam homine dari poſsit.
4 Sed obſtat Modeſt. *in d l.7. Legis virtus* (ait) *eſt imperare, vetare, permittere, & punire.* Cum quo & Quintil. β *Lex omnis*

omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut vetat, aut permittit. At (inquit gl. [?]) aut addenda est noua virtus legi, videlicet consulendi, aut consulere sub *permittendi* verbo est. Sic consultiua lex vere, & proprie dicetur lex.

5 Modestini locus plures habet acceptiones. Ego illam sequor, vt, quæ sub lege sunt, triplicia faciamus; aut .n. absolute bona, aut absolute mala, aut indifferẽtia, vt appellãt, quę s. nec bona simpliciter sũt, nec mala simpliciter. Lex, quę bona sunt, iubet, atq; imperat; quæ mala sunt, vetat, ac punit, quę indifferẽtia sunt, permittit. Est tamen *permittendi* verbum aliquanto plenius; nam si quid boni sit, quod lex præcise non imperet, id tamen procul dubio permittit. Immo permittit lex plurima, quæ a se ipsis, &

6 simpliciter sunt mala, sed propterea id facit, vt arceat peiora. Sic meretricium permittit, seu lupanar, quod non dubitamus a se ipso malum esse, sed vt ea vitet, quæ deteriora sunt multo, adulteria scilicet, stupra, nefarias, atque

7 incestuosas coniunctiones, &c. Permittit quoque Emptoribus, & Venditoribus, vt decipere se inuicem possint ad dimidiam vsque partem iusti precij. *l. 2. C. de resc. vendit.* quod ipsum iure etiam Canonico comprobatur. *cap. cum dilecti. cap. cum causa. de Empt. & Vendit.* Sed an malum non est decipere hominem intra dimidiam precij partẽ? Quid enim si decipiat in triente quis? Quid si in sextante?

8 *Malum* (inquit Caiet. [d]) *quia lex Domini immaculata est, secundum quam mortale peccatum est lædere proximum in quacumque re notabili.* Verum quia futurum erat, vt omnia vndique litibus replerentur, si secus fieret (cum enim fre-

frequentissimi sint huius generis contractus, quotidianæ simul essent de læsionibus controuersiæ) propterea bene occurri posse æstimarunt Pontifices, si Ciuilis Iuris authoritatem sequerentur; maxime, cum deesse nusquam posset remedium aduersus deceptorem ex benignitate Iuris Pontificij, videlicet denunciatio Euangelica. *cap. nouit. de Iud.* quę vtinam hodie in vsu esset.

α *Vide quæ ego ad Rub. de constit. in prælect. & sup. cap. 174.*
β *Lib. 7. c. 7.*
γ *d. l. 7.*
δ *Summ. ver. Emptio.*

De eadē re, & de lege permissiua. *Ad d. l. 7.* Cap. CCXXIX.

1 *Miles peremptoriam exceptionē obijcere post sententiā potest.*
2 *Liberum cuique est consilium sequi.*
3 *Euangelica consilia leges sunt, & quo modo.*
4 *Legis nomen bifariam capitur.*

IAm si quærimus, an permissiua lex vere, & proprie lex sit, negandum statim videretur cum receptissima Scribentiū sententia, nam quid plus ista habeat, quam consilij lex? Difficultas tamen est in triplici canone; quasi enim permissio legis, vt legis, absque præcepto stare non possit, sic loquitur Innoc. *in cap. qui partem. dist. 55. præcipiunt et Clericos fieri,* hoc est, *permittunt.* Et Chrisost. *in cap. hac ratione. 31. q. 1. Apostoli præceperunt secundas adire nuptias,* hoc est (vt omnes explicant) *permiserunt*, & bene, nam id est, quod subiungitur statim ibi, *permittente Deo*, & ibi rursus, *quia Moyses hoc permisit.* Sed notandum, quod ait deinceps. *Quod enim permittimus, nolentes præcipimus,*

con

conſtat enim, legis, vt legis, permiſſionem abſque præcepto non eſſe. Et Iſid. *in cap. Domino ſancto. diſt.* 50. *redire Canones præcipiunt*, hoc eſt, *permittunt.*

Dicam, quomodo permiſſiua lex vere & proprie lex ſit, parem habiturus rationem deinceps conſultiuæ legis. Fit namque interdum, vt, quod permittit lex, ſingulare aliquod priuilegium ſit, & tunc lex eſt eo modo, quem alibi doceo.[a] Exemplum nunc habes in *l.* 1. *C. de Iur. &*
1 *fac. ignor. ibi permitto tibi.* quod Accurſio probatur.[b] cum enim Miles exceptionem peremptoriam per Iuris inſcitiã ante ſententiam non obieciſſet, permiſit ei Antoninus, vt poſt ſententiam obijcere eam poſſet. Et hoc quidem priuilegium eſt militis, quo ſubditi omnes obligantur, paſſiue tamen, ſcilicet, vt non infringant, non impediãt, non contradicant.[γ] Interdum permiſsio legis generalis eſt, vt in relatis Canonum exemplis; & tunc ſi permiſsionem refers ad eum, cui illa fit, non credam, eum quaſi lege obligatum eſſe, aut veram eſſe legem, quæ ad eum referatur, cum liberum ei fuerit non recipere, neque vlla, aut vi, aut neceſsitate compelleretur. Sin ad alios referre permiſsionem velis, qui impugnare prohibentur, ſint Iudices, aut alij quilibet, æſtimo tunc veræ legis officium in eos exerceri, neque aliter, ac de priuilegio reſponderim. Sic petere præmium forti permittitur a lege ex Iſid. cum eo ipſo, quo id permittit lex, ſimul præcipiat, ne ab aliquo repellatur, quominus petat. Et hoc ſenſu lex, quæ permittit, veriſsima lex eſt.

Habes, quid de conſultiua lege valeas iudicare, quam ſi de-

denuo ad illum refers, qui consilium sibi datum receptu-
rus a lege est, non equidem puto, istum quasi lege obli-
2 gatum censeri posse, cum liberum ei sit consilium non se-
qui legis. At, si ad alios refers consilij legem, qui impe-
dire prohibentur, ne consilium a lege datum capere pos-
sit quis, eo ve iuxta legis permissum libere vti, haud du-
bito, in istos veræ legis officium exerceri, simulque veris-
simum esse, quod proponebatur, permittere legem non
posse, quin iubeat simul, atque præcipiat; nam & D.
3 Thomas[δ] Euágelica consilia refert inter partes legis gra-
tiæ, eo videlicet sensu, quod opus, quod per ea consulitur,
nec quasi prauum declinare, nec prohibere quispiam po-
test. Hinc pro Euangelicis consilijs damnamus hæreti-
cos, qui paupertatem, castitatemque quasi, naturę repu-
gnẽt, impie condemnarunt.
4 Sed & illud vtrique legi commune est, vt si legẽ accipia-
mus, quatenus lex est, permissiua tunc, consultiuaque lex
forte non sit proprie, & vere lex. Sin eam capiamus pro
tota illa prouidentia, quæ legumlatori incumbit, vt sub-
ditorum vtilitatibus ex æquo prospiciat, tunc secus iudi-
candum sit; esse enim legalis prouidentiæ dicimus, vt
non præcipiat tantum, sed & consulat, atque suadeat, &
id quidem non (vt aiunt) formaliter, sed concomitanter.
Habes rursus, quo pacto tueare, etiam consilij legem
quasi ab imperio esse superioris statuentis.

α *In prælect. ad c. 1 de Constit & sup. c. 220.*
β *d. l. legis. 7. in gl. vn. ff. de ll.*
γ *Vide, quæ ego prox.*
δ 1. 2. q. 108. *art.* 4.

An consilij lex obliget ad consilium capiendum. *Ad l. consilij. ff. de Reg. Iu.* Cap. CCXXX.

1 *Prima ratio in legibus est voluntatis.*
2 *Scire leges quid.*
3 *Sententia legislatoris quibus explicetur.*

NEgabam paulo ante, quia consilij ex suo genere obligatio nulla est. *d. l. consilij.* Adde *§. sin autem. Instit. de pupill. subst. §. cæterum. Inst. quod cum eo, &c. l is qui. ff de rei vendic. l. pacto. ff. de Transact. cap. commissum. de sponsal. cap. sponsus. 30. q. 5. cap. testamentum. 6. dist.*

Sed immo obligationem aliquam consilij esse, probant *§. sed si vxor. Instit. de Nupt. l. 1. ff. de inoff. test. cap. in Ciuitate. de Vsur. cap. magnæ. de voto. c. ad aures. de æta. & qual. cap. Mathæus. de Simon.*

Inter hæc quid statuendum videatur, in incerto est, nam nec Panormitani distinctio nodum soluit, [a] neque audio eos, qui consultiuæ, ac præceptiuæ legis discrimen non
1 aliunde petunt, quam a verbis, dum primus locus, primaque ratio non verborum esse debet, sed voluntatis, quam verba significare quidem possunt, sed non cogere.
2 *l. scire leges. l. contra. ff. de ll.*
3 Enimuero sententia legislatoris explicari ex pluribus potest, potissimum vero ex ea, quæ subijcitur, rei si scilicet rem suadeat communi Ciuium bono pernecessariã, aut rem dissuadeat mali moris, erit enim tunc consilium in verbis quidem, sed præceptum in sententia, quod onus injciat legis. Ecce enim prouidere pupillo, ne insidijs subiaceat. *d. §. sin autem.* vti ea, vel altera actione. *d. §. cæ-*

te-

terum. & seq. velle anciſci poſseſsionem. *d. l. is qui.* tranſactioni pęnam adijcere. *d.l. pacto.* iuramentum implere ante ingreſsum Religionis. *d. c. commiſſum.* contineri ob reuerentiam benedictionis. *d. c. ſponſus.* non celebrare, poſt inculpatam pollutionem. *d.c. teſtamentum.* hæc neq; communi bono neceſsaria ſunt Ciuium, nec ſpirituali animarum, ſed priuatim expediunt his, qui recepturi cõſilium ſunt; ſunt itaque & re, & verbis conſultiuæ leges. Sed iungi matrimonio aduerſus id, quod publice honeſtum videri poſsit. *d..§ ſed ſi vxor.* teſtamenti legem impugnare. *d.l. 1.* vſurariam rem liberius tractare. *d. cap. in Ciuitate.* voti reum fieri. *d. cap. magnæ.* cum remorſu aſcendere ad ſacros ordines. *d. cap. ad aures.* eccleſiaſticum beneficium ſimoniacis artibus infectum retinere. *d. c. Mathæus.* hæc non tam conſilia ſunt, quam præcepta, quoquomodo, aut leges loquantur, aut canones, quia publico Ciuium bono, animarum ve ſaluti quaſi neceſſaria conſcribuntur.

Quin immo, ſi rem ſubtilius intueare, in legibus conſultiuis ſecundi generis, quæ in præceptum cadunt, expreſſum aliquid ſemper inuenies, quod pluſquam conſilium ſapiat. Ecce enim Iuſtinianus ſic loquitur *in d. §. ſed ſi vxor. Rectius tamen, & iure facturos eos, qui ab huiuſmodi Nuptijs abſtinuerint.* Not. quod ait, *Et Iure.* Quin de eadẽ re loquens Vlp. *in l. ſi qua mihi. § ſi vxor. ff. de Ritu Nupt.* ſimpliciter abſtinendum docet. Et in *d.l. 1. ff. de inoff. teſt.* ſic ait, quaſi reſpondens de Iure. *Cum obtinere ſpem non haberent.* Et Pontifices in relatis Canonum ſtatutis addunt aliquid ſemper, quo haud dubie periclitari ſalus videatur.

a *c. 1. de conſtit. n. 4.*

An

An sua lege Princeps teneatur. *Ad l. Princeps. ff. de ll.*
Cap. CCXXXI.

1 *Princeps cur legibus solutus.*
2 *Et numquid aliqua ratione teneatur sua lege. 4. 6.*
3 *Legis vis duplex.*
5 *Peccare an Princeps videatur, qui propriam legem non seruet.*
7 *Legis positiuæ virtus.*

IAm tertium de soluto legibus Principe quęstionē habeo, nam si alijs aliunde [a] fit satis, non hercle mihi. Princeps legibus solutus est. *d. l. Princeps. l. ex imperfecto. ff. de leg.*
1 3. quia in illum non est lex, cum sit ipse lex. [b] lex (inquā) animata. *Auth. de Consul. in fi.* Solui itaque sua lege debet, qui se ipso superior esse non potest, solui (inquam) sua lege debet, qui alios soluere sua lege potest.
2 At & illud constat, sua lege Principem aliquo modo obligari; [c] decet enim (ait Paul.) eum, qui leges facit, pari maiestate legibus obtēperare, *pari* (inquit) *maiestate*, nā a supremo est dominandi Iure id ipsum velle, quod non possis, hoc est, legibus subijci velle, quibus vti Princeps nequaquam subijci queas. Hinc Theodos. *in l. digna vox. C. de ll. Et reuera* (ait) *maius Imperio est submittere legibus principatum. Adde l. 8. §. si Imperator. ff. de inoff. test. §. vlt. Instit. quib. mod. test. infir. l. 3. C. de Testam. l. 4. C. ad l Falcidiam.*
3 Vulgaris est distinctio D. Tho. [d] & recepta ab omnibus de vi directiua, & coactiua. Lex (inquit) est regula humanarum actionum, regulæ autem est dirigere. Sed

habet quoque lex cogendi vim. Ergo Princeps dicitur solutus lege quantum ad vim coactiuam, nullus enim proprie cogitur a se ipso; sed quantum ad vim directiuã sua lege Princeps obligatur. *cap. cum omnes. de constit.* scriptum enim est. *Quod quisque Iuris in alterum statuit, eodẽ vti debet.* Et sapientis dicit authoritas. *Patere legem, quam ipse tuleris.* Hæc D. Tho.

Nostri pinguius rem docent, & teneri Principem sua lege ex honestate tradunt, non ex necessitate, id namque esse, quod dicitur *in d. l. ex imperfecto. inuerecundum est.* & rursus. *Decet enim tantæ maiestati, &c.* id denique, quod profitentur boni Principes, *legibus se viuere.*

Secundum hæc pereleganter dixit Vult. aliam esse vocẽ regnantis in Theodosio. *d. l. digna vox.* aliam Imperij legem in Alex. *d. l. 3.* Vox regnantis ea esse debet (inquit) vt se Princeps legibus subiectum profiteatur, at lex Imperij soluit omni lege Principem. Et per legem Imperij non lex illa Regia significatur pro Augusto lata, vt male Gothifr. sed ius Imperij illud, quo Imperium ipsum constitutum est, vt imperium in suo genere, seu in sua Idæa sit eiusmodi, vt (inquam) illud per se nullis sit subiectum, & nec per se, nec in se vllis possit subijci legibus, subijciatur tamen legibus in persona Imperatoris, qui eo ipso, quod legibus viuit, Imperatoris personam quodammodo exuat assumpta persona priuati hominis; atque ita Princeps de Iure suo aliquid remittit, lege interim imperij, ac principatus salua, incolumique permanente. Quã quidem Imperij legem bene expressit Iustin. *in d. Auth.* cum enim de Consulibus quædam statuisset, quæ possent

ipsis

ipsis cum Imperatore communia esse, sic habet deinceps. *Cæterum omnibus prædictis Imperialis nobis fortuna exempta esto, cui Deus ipsas etiam leges subiecit, ipsa hominibus quasi animata quadam lege demissa.* vnde & Regem definiebat Plato, vt sit *Princeps legibus minime obnoxius*; nam quo pacto sit in eum lex, qui ipse est lex?

Denique, si a Deo est ius istud regium, Imperijque lex, æsti-
5 mare simul debes, hanc quoque partem esse æternę legis, vt latis a se legibus Princeps eximatur, qui proinde non peccat, si proprias leges non seruat, nisi contra directio-
6 nem suæ legis, valet enim, quod pulchre Claudian.

In commune iubes si quid, censes ve tenendum,
Primus iussa subi ------

Nam, quod idem perbelle.

------ componitur Orbis
Regis ad exemplum.

Vnde Auson.

Pareto legi quisquis legem sanxeris.

Soletque idipsum explicari, vt Principē suæ legi subijci nō sit aliud, quā naturæ iure faciendum a Principe esse, quod tum æquitas poscit, tum rationis honestas.

Seu melius ex conformatione quadam naturali, quæ capiti esse cum membris debet.

7 Seu denique, quia agnoscere Princeps debet nō vim quidem legis, aut præcepti, sed virtutis, nam, vt Theologi loquuntur, lex positiua quælibet potestatē habet constituēdi materiā suā in specie aliqua virtutis, mediumq; pręscribendi ad honestatē eiusdē virtutis necessariū. Et quia peccat procul dubio Princeps, qui mediū virtutis sponte egre-

ditur ſua, propterea quaſi vinculũ ſentire debet, non quidem legis, ſed ex lege, ſeq; & legibus viuere, &, quod magis eſt, legibus quoque alligari iuſte profitetur, non enim peccat quaſi pręcepto minime obtẽperãs inſtar ſubditi, ſed quaſi feriens virtutis cancellos inſtar mali Principis.

α *Vide quæ ego ad c.1.de Conſtit.in prælect. & Sac.Iu.contr.diſſert.1.c.11.*
β *Ariſt.3.Polit.c.9.*
γ *Vide omnes ad c.1.de conſtit. ad l. Princeps.ff.de ll. D.Tho. cum Interpretibus. 1.2.q.96.art.5.ad 3.Sot.de Iuſt.& Iu.lib.1. q.6.art.7.Couarr. in c. alma mater. par. 1.§.1.n.4.Cuiac. ad l.ex hoc Iure. vers. ex hac interpretatione.ff.de Iuſt.& Iu.& obſer.lib.15.c.30.Suar.de ll.lib.4.c.35.per tot. Vult.§.ſed quod Principi n. 5.Inſtit.de Iu.nat.&c.*
δ *Lib.4.ſent.tit.5.*
ε *Sup.*
ζ *Sup.*
η *Sup.*

De eadem re, & exploſa Cuiacij ſententia, Græcorumq; interpretum. *Ad d. l. Princeps & l. quod Principi.ff.de leg.2.* Cap.CCXXXII.

1 *Princeps an ſolis pœnarijs legibus eximatur.* 3.
2 *Indefinita vox æquipollet vniuerſali.*
4 *Princeps legum ſolemnibus liber eſt.*
5 *Auguſta an legibus ſoluta.*
6 *Inſcriptiones legum quo conſilio poſitæ.*

QVod ait Vlp.*d.l.Princeps.* legibus ſolutũ Principẽ eſſe, interpretantur Græci Interpretes (teſte Cuiacio α) de legibus pęnarijs, quibus ſolui Principẽ fatẽtur; fuitq; hæc propemodũ diſtinctio D.Thomæ, aliorumque, qui Principem volunt immunem eſſe a vi ſola legum coactiua. Sed Græcæ interpretationi reſiſtit generalitas legum, quæ cur ad ſolas pœnarias coarctentur, nihil eſt. Princeps

legibus

legibus solutus est'. Si legibus, ergo indefinite omnibus,
2 nam cum Dialecticis stare debes, qui suo modo docent, indefinitam vocem vniuersali ęquipollere.
Sperauit tamen Cuiac. posse indefinitam istam locutionē restringi, inscribitur namque lex. *Ad legem Iuliam, & Papiam*, quę erant leges Caducariæ, satisque per se ipsas odiosæ, ob idque facile Princeps ab eisdem eximebatur, sic enim Gaius *in l. quod Principi. ff. de leg. 2. Quod Principi relictum est*, (inquit) *qui, antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione D. Antonini successori eius debetur*; suamque hanc legem eodem modo inscribit Gaius. *Ad legem Iuliam, & Papiam*.
3 Admitto id ego, quod Cuiacius docet, legibus caducariis solutum Principem esse, sed non solis Caducarijs; nam plura obstant, si aliter sentias. Primum est generalitas illa, quam dicebam, cur enim se ipsum Vlpianus non explicauerit? potuit enim. Alterum, quia non tantum caducarijs legibus solutus probatur Princeps, sed & legum
4 solemnibus. *l. 3. C. de testam. l. ex imperfecto. ff. de leg. 3.* Tertium, quia Vlp. scribit, non esse Augustam solutam legibus, sed ei Principem priuilegia sua communicare; &
5 tamen Augusta caducarijs legibus obligatur. *l. si Augustæ. ff. de leg. 2.* Nihil itaque cõmunicauit Augustæ suæ Princeps, si Cuiacio adsentimur. Vltimum, quia Iustinianus in *Instit.* in *Nouell.* & in reliquo legum corpore, quod totum facit suum, Principem quasi priuilegio solutum legibus facit, & tamen ipsamet Iustiniani lege caducariæ leges neminem hodie ligant, vt *t. t. C. de Caduc. toll.*
6 Neque obesse his vel minimum potest inscriptio illa. *Ad*

legem Iuliam, & Papiã; quia non eo consilio posita est, vt leges explicaret, vel coarctaret, vti neque aliæ legum inscriptiones, idque satis res ipsa docet, si singulæ accipiantur, expendanturque. Immo diuerso consilio positæ fuere omnes, voluit enim Iustin. Iurisconsultorum leges in Pandectarum libros relatas suas facere. *l. 1. § omnia. C. de vet. iu. enucl.* non igitur quasi Vlpiani, sed quasi Iustiniani perpendenda ratio est, qui cum generaliter legibus solutum Principem faciat, nec distinguat, nemo iam est, qui distinguere possit; *vulg. l. 1. §. & generaliter. ff. de leg. præst. cum simil.*

a Lib. 15. obser. cap. 30.

De eadem re Scribentium sententiæ, quæ reijciuntur.
Ad d.l. Princeps. Cap. CCXXXIII.

1 *Princeps legum solemnibus non tenetur.*
2 *Et adoptionem non iure factam confirmat, &c.*
3 *Princeps supra leges.*
4 *Augusta legibus soluta non est.*
5 *Legibus Principem alligari non decet, & quibus.*

ALij itaque docent, [a] legibus Principem solutum, hoc est, legum solemnibus esse, esse enim solemnia, quę
1 lex in ijs exigat, qui infra Principem sunt, non in Principe, qualia testamentorum *l. 3. C. de testam.*
Sed obstat generalitas illa, quæ nuper obijciebatur, quod enim Alex. in *d. l. 3.* solemniũ dumtaxat mentionem habuit, ex eo est, quia non alia penes illum quæstio fuerat excitata, quam de solemnitatibus testamento requisitis,

ne-

neque eſt nouum (inquit Vult.[β]) Imperatores reſponſa ſua vt plurimum ad quæſtiones ſibi propoſitas, adeoque ad hypotheſes accõmodare ſolitos, ex quibus ſi quis inferat, in alijs idem non eſſe argumento a contrario ſenſu deducto, eum ad Iuris principia multoties impingere neceſſe ſit. Quin & idem Alex. poſtmodum de legibus in genere mentionem facit ſic enim habet. *Licet lex Imperij ſolemnibus Iuris Imperatoẽr ſoluerit, nihil tamẽ tã propriũ Imperij eſt, quam legibus viuere.* Quod vltimum cum de legibus generaliter proferatur, & Princeps ſe illis legibus viuere profiteatur, non poteſt niſi de cunctis legibus vſurpari.

Alij ſolutum Principem eſſe legibus, nihil aliud videri poſſe exiſtimant, quam penes Principem eſſe omnem poteſtatem ferendarum, abrogandarum ve, aut derogandarũ
2 legum. Sic Principem legimus adoptionem non iure factam confirmare. *l. adoptio. ff. de adopt.* & matrimonium, ſtatumque liberorum non iure quæſitorum. *l. qui in Pro-*
3 *uincia. ff. de Ritu Nupt.* Et hoc quidẽ eſt (inquit Cuiac.[γ]) Principem ſupra leges eſſe, authore etiam Auguſt.

Sed neque id ſonant Auguſtini verba, quæ Cuiacius refert, neque interpretationem hanc patitur Vlp. *in d. l. Princeps.* qui poſtquam dixit, legibus Principem ſolutum
4 eſſe, ſubiunxit ſtatim. *Auguſta autem licet legibus ſoluta nõ eſt, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habent.* Si itaque in eo ſtaret prærogatiua hæc Principis, vt leges ferre poſſet, lataſque auferre, & abrogare, quomodo priuilegium hoc Auguſtę communicaretur? Haud equidem inficiari volumus, Imperatorem non eo modo

ſuppoſitum eſſe legi, vt non aliam ferre poſsit, quæ fuit Auguſtini mens, ſed quęſtio hæc ab ea, quam tractamus, diuerſa eſt, eſt enim aliud quærere, an Princeps latas leges abrogare, in earumque locum ſufficere alias poſsit, aliud, an legibus latis, & in ſua vi, ac robore manentibus viuere teneatur [δ].

5 Non itaque ſolis pęnarijs, non (inquam) ſolis caducarijs legibus, non ſolis denique legum ſolẽnibus ſolutus Princeps eſt, ſed legibus generaliter; indecens enim viſum eſt, ac prope iniurioſum, vt Princeps, qui ſupremam habet regiminis poteſtatem, pari cum cęteris conditione teneatur, & contrahendo, teſtando, iudicando ve, aut aliud quodlibet faciendo, iuris ſui formulis alligetur, proprijſque obſtringatur legibus, ſeu conſtitutionibus; prout & illæ dedecent Principem, ne quis cum telo, armatus ve incedat, ne purpura veſtiatur, ne feſtas choreas ducat, ne quadrigis vtatur, aut gemmis, ne muros tranſiliat Ciuitatis, quod Remo olim capitale fuit imperante Romulo, &c. [ε]

α *Vide Zas. poſt Gl. ad d. l. Princeps. n. 3. vbi & Coras. n. 3. Et Miſcell. c. vlt. n. 4 Cuiac. lib. 15. obſer. c. 30.*
β *§. ſed & quod Principi. n. 7. Inſtit. de Iu. nat. & c.*
γ *d. c. 30*
δ *Vide Accurſ. ad d. l. Princeps. Coras. & Vult. ſup.*
ε *Vide Coraſ. ſup.*

De eadem re, & legum, quibus Princeps exuitur, praxi, ac Regula. *Ad d. l. Princeps*. Cap. CCXXXIV.

1 *Ius Ciuile quod.*
2 *Et quando, aut quomodo Principem liget.*
3 *Donatio inter coniuges interdicta.*

4 *Non tamen si inter Principes.*
5 *Contractus regius quo pacto habere dicatur legis vicem.*
6 *Donatum filiofam. a Principe quo iure censeatur, &c.*
7 *Princeps an præscriptionis lege teneatur.*

ERit hæc regula, seu praxis pro coronide. Docet Vlp. *in l. Ius Ciuile ff. de Iust. & Iu.* ius Ciuile esse id, quod ad-
1 dit, vel detrahit Iuri communi, hoc est, naturali, aut gẽtium. Si quæ igitur lex simpliciter id confirmet, quod a natura, aut gentibus est, non Ciuilis erit, sed naturalis; aut, si mista dicetur, ab eo tamen causam accepisse vide-
2 bitur, quod præcipuum in ea fuerit, idest, a natura. Hanc itaque Princeps seruare iubebitur, non quasi legẽ a se latam, sed quasi naturæ, aut gentium. Hæc (inquã) lex Principi Imperatrix erit, non quasi libris extrinsecus scripta, vel tabulis, sed ex animata illa ratione, quę intus in lege est, & cum Principe conuersatur, vt loquar cum Plutar.[c]
Remanet purum Ius Ciuile, hoc est, ius illud, quod initio non refert, quomodo fiat, sed cum factum fuerit, valet ex sola Principis voluntate, Iurisdictione, & imperio. Et hoc Iure solutus quidem Princeps est, si legem respexeris Imperij, non si vocem regnantis, vt dicebam.[d] Lex itaq; Imperij omni Iure eximit Principem, omni (inquam) eo iure, quod ipse naturali, vel gentium legi addiderit, vel detraxerit, qualecumque illud sit. Huc pertinent solemnium leges, huc pęnariæ, huc anteriora legum exempla, quorum nullum a natura, sed vnumquodque additum naturæ est, & vim trahens ab imperio Principis, cui ipse

sub-

ſubijcere ſe non potuit. Addo tamen exempla illuſtriora.
3 Et primum quidem eſt donationis inter coniuges, quam Ius Ciuile prohibuit. *l. 1. & t. t. ff. de donat. int. vir. & vx.* cum tamen Iure naturali non poſſet Coniugi inuideri, ne liberalis in Coniugem ſuam eſſet. Id ergo fecit Ciuilis lex ciuili, & politica quadam ratione, ne mutuo amore ſe
4 expolient. *d. l. 1.* Videamus, an lege hac Princeps alligetur. Negat Iuſtin. *in l. penul. C. de donat. int. vir. & vx.* h. v. *Donationes, quas Diuus Imp. in pijßimam Reginam ſuam coniugem, vel illa in ſereniſsimum Maritum contulerit, illico valere ſancimus, & pleniſsimam habere firmitatem, vtp. Imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus, minimeque opitulatione quadam extrinſecus egentibus.* In-
5 ſigne eſt, quod additur, contractum regium legis habere vicem; non tamen quia lex eſt, ſed quia ſubditos ligat, ne contradicere poſſint, quaſi lex; non itaque lex eſt, ſed vice legis. Priuilegium quoque donatio eſt, non lex; fungiturque tamen legis vice, quia ſubditos frænat, ne priuilegiario contradicant. At, ſi vera hæc ratio eſt, quid, obſecro, vetat, ne dicatur, factum omne Principis contra legem a ſe latam vice legis eſſe? ſubditos namque tenet, ne reſiſtere poſſint, aut reſilire, & qui alijs id concedere ex priuilegio potuiſſet, ſibi met magis concedere ex Imperiali priuilegio potuit.
6 Accedit ſecundum *ex l. cum multa. C. de bon. quæ lib.* cum enim eorum, quæ filijsfam. dantur, debeatur Iure communi vſufructus Patri quaſi aduentitiorum, ſecus tamen eſt, ſi filiofam. Princeps donauerit. *d. l. cum multa.* videtur enim Princeps filio potius donare voluiſſe, quam Pa-

tri, quæ quidem voluntas pro lege eſt, vt enim communi legi potuit Princeps contraria lege derogare, ita & facto valuit, & pacto. Pari ratione filiusfam. Princeps nō vtetur Macedoniano, nec ætate minor Princeps in integrum reſtituetur, nec Regina auxilium Velleiani petet aduerſus creditorem, penes quam pro alio interceſſerit, cum legis vice hæc omnia ſint.

Eſt & aliud legitimæ præſcriptionis, qua inductum eſt, ne plus triennio, vel decennio liceat res ſuas negligere, vel deſerere, & qui ſecus faxit, neglectæ rei damno mulctetur. Et in priuatis quidem hominibus per rerum differentias variata ſunt tempora præſcriptionum, quę re-
7 ferre non eſt. Videamus, an Principem teneant. Et cōſtat, nolle eum, etiam ſi longiſſimi temporis, vtp. quadraginta annorum exceptio proponeretur. *l. competit. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* ſiq; vlli præſcriptioni hæreret Princeps aduerſus ſe, vtp. centenariæ, aut cuius initij memoria nulla eſset, ſeruare teneretur, non tamen in vim propriæ legis, ſed quia dominiū eius voluntate translatū eſſet, quod ſine magna cauſa auferri non poſset, vt inf.γ

α *Lib de Regno.*
β *Sup. cap.* 231.
γ *Cap. ſeq.*

An teneatur Princeps dominij lege. *Ad l.* 3. *C. de Quadr. præſcript.* Cap. CCXXXV.

1 *Omnia eſſe Principis quo ſenſu dictum.* 3.
2 *An res fiſci in dominio Principis eſſe intelligatur.*
4 *Priuatorum dominia quo iure immutet Princeps.* 6.
5 *Salus populi ſuprema lex.*

Do-

DOminij lege teneri Principem, dubium non est. At (inquies) immutat sæpe rerum dominia Princeps, vt exemplis constare potest, quomodo igitur ligari potuit dominij lege? Vrgeri etiam solet, quod scribitur *in l.* 3. *C. de quadr. præscr.* & dictitari vulgo solet, *omnia esse Principis*.

1 Excipit hanc vocem Seneca penes Cuiac. [a] vt omnia Rex imperio, & Iurisdictione possideat, singuli dominio. Neque oppositum vult. Iustin. *in d. l.* 3. sic enim loquitur. *Cum omnia esse Principis intelligantur, siue ex sua substantia, siue ex fiscali fuerit aliquid alienatum.* Cuius proinde mẽs ea est, vt omnia tam fiscalia, quam patrimonialia, de quibus in ea constitutione tractatur, Principis esse intel-
2 ligantur; at hercle si dubitabatur, an res fisci proprie dicantur esse in dominio Principis, & subtilis quædam ratio discriminis interponebatur, vt ibi, quanto minus in dominio erunt Principis res priuatorum? Non itaq; sunt omnia Principis, nam (inquit Cuiac.) quæ mea sunt, Principis non sunt, aut certe mea non sunt, quia dominium in solidum duorum esse non potest, & communia esse inter me, & Principem dixerit nemo, cum fiscalia quoque ipsa non sint proprie Principis.

3 At quod non dominij Princeps, imperij tamen, & Iurisdictionis possidet lege. Et hic error plurimorum, qui cũ Principem viderent in Dominijs priuatorum Ciuium se se intromittere, eaque pluribus in causis interuertere, auferre, transferre, &c. in Principe dominium arguere, quam Imperium, Iurisdictionemque maluere, vt enim
4 de priuatorum dominijs legem dicat, eaque iustas ob cau-

sas

ſas immutet, pars eſt non minima Iuriſdictionis illius, quę in Principe eſt. Ob iuſtas (inquam) cauſas, ne tyrannica videatur in Principe hæc poteſtas, nam & noſtri cau-
5 ſam hic poſtulant neceſſitatis, hoc eſt, vt accipio, ſalutē populi, & Reip. iux. illud. *Salus populi ſuprema lex eſto*. neque enim nouum videri cuiquam debet, ob ſalutem totius populi, & publicum Ciuitatis ius poſſe Principem ex priuatorum Iure, dominioque aliquid deminuere.

Et quid mirum, obſecro, vt in rebus Iuriſdictio ſit, ſi eadem in perſonis eſt, aut etiam maior? Bellum ingruit, delectum Princeps facit, meque iubet ad bellum ire; ſi refractarius ſum, punit. An itaque Princeps mei arbitrij dominus? Non hercle, & tamen iuſte iubet, iuſte punior. Alium imperat ob neceſſitatem belli pecuniam dare, vel prædium, an non iuſte? Vtique, & ſi Dominus non eſt pecuniæ, vel prædij. Vtrumque igitur facit ea, quam dicimus, Iuriſdictionis, & Imperij lege.

6 At nec dum ſatis, nam quando Princeps de ſubditorum Iure, dominio ve aliquid decernit, aut id facit nulla ſpeciali lege iam antea conſtituta, quę in perpetuum valitura eſſet, & tunc bene intra ratio, quam diximus, publicæ neceſſitatis, vel vtilitatis. Aut iam antea legem conſtituerat, & tunc alia quoque ratio priori adiungitur, quæ factum omnino tuetur Principis, nam eo caſu habent ſubditi dominia ſub deſtinatione, & quaſi conditione legis illius, adeoque nihil auferre Princeps intelligitur, vnde præiudicium ſubditis ſuis inferat.

a *Lib. 5. obſ. c. 30.*

An

An lex ad populum lata Clerum liget. *Ad cap. si sententia. de sent. exc. in 6.* Cap. CCXXXVI.

1 *Pars Cleri prærogatiuam habet qualitatis, &c.*
2 *Duo Christianorum genera, & quæ.*
3 *Laòs græce quid.*
4 *Interdicto Clero an interdictus videatur Populus, & contra.*
5 *Partis appellatione non venit totum.*
6 *Verba sunt signa voluntatis.*
7 *Clerus, & in populo est, & distinguitur a populo.*

Populus separationem sæpe recipit a Clero. *cap. ex parte. 13. de priuil. c. 1. de Præb. cap. quod sicut. in fi. de Elect. c.*
1 *vlt. de fer. cap. vbi periculum. §. preterea. de Elect. in 6. clem. in plerisq; eod.* Æstimo, quia pars Cleri prerogatiuam habet qualitatis, quam reliquus populus non habet. Et
2 quod scribit Hierony. *duo genera Christianorum, in cap. duo sunt. 12. q. 1.* intelligo duas qualitates, scilicet, vt latini loqui solent, dialecticis acceptionibus procul habitis. Sic Terent. [a] *Est genus hominum qui esse primos se omnium rerū volunt, nec sunt.* Et Virgil. [b] *Quod genus hoc hominum?* Quod etiam Hierony. ibidem explicat, λαὸς, *hoc est, populus.* nullum mihi negocium facit, namque in vsu greci
3 sermonis λαὸς pro illa parte populi est, quæ sine Clero est, nos autem nomen non habemus, quo pars hæc significetur distincta a Clericis, explicamusque eam per nomen generis dicendo, λαὸς, *hoc est, populus.* Ergo apud nos dicere, *Clerum, & populum,* æque est, atque apud Græcos dicere, *Clericos, & Laicos,* quocirca non aliud Hieronymus

mus probat, quam appellatione Clericorum non venire Laicos, quod indubitatum est. Denique scio, placuisse frequentius, ne lex ad populum lata Clerum obliget, sed vnde probetur, non habeo, & forte contrarium verius. *cap. dilecti. de fo. compet. cap. accedens. 4. vt lite non contest.* Fac. *§. plebs. Instit. de Iu. nat. & Auth. de Quæst. in princ.*

Vnum tamen pro recepta sententia est, quod statuit Bonif.
4 *in cap. si sententia. de sent. exc. in 6. Si* (inquit) *sententia interdicti proferatur in Clerum, nō intelligitur* (*nisi aliud sit expressum in ea*) *interdictus populus, non etiam e conuerso, vnde vno interdicto ipsorum alius licite admittitur ad diuina.* En interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus; aliud ergo populus, aliud Clerus.

Respondet Dec. fuisse primum in eo canone definitum, ne interdicto Clero videretur interdictus populus, præterquam, si de populo esset expressum, idque certissima ea ra-
5 tione, quia appellatione partis non venit totum. Deinceps cum esset dubitatum, an interdicto populo Clerus simul interdictus videretur, tunc quæstioni responsum fuisse cum dictione *etiam*, cuius est explicare casum magis dubium; statutum vero esse, ne interdicto populo interdictus quoque Clerus videretur singulari ratione, quia damnosum valde esset comprehēdi Clericos, penes quos diuinarum rerum administratio est, nam, *si sal euanuerit, &c.* neque afficiunt verba interdicentis, si voluntas,
6 quam illa significant, procul est. Denique, cum opus fuerit declaratione Pontificis, ne appellatione populi veniret Clerus in speciali causa interdictionis, constat ex gene-

ne-

neralioribus Iuris regulis aliud dici oportuiſſe. *arg. l. ius ſingulare. ff. de ll. cum Accurs.*

Credo equidem, reſolutionem quæſtionis huius in his,
7 quæ circumſtant, totam eſſe, ζ cum duo ſint æque vera; alterum, in populo eſſe Clerum quaſi partẽ. *arg. d. §. plebs.* alterum, diſtingui Clerum a populo quaſi ſpeciem quandam moralem, ſicut cum dicimus, alios eſſe Clericos, alios vero Laicos, &c.

α *Eunu. 2. 2.*
β *1. Aeneid.*
γ *De comm. Dec. ad c. 1. de conſtit. Say. de Cenſur. lib. 5. c. 5. n. 15.*
δ *Vide Dec. ibid.*
ε *Iux. not. ad l. ſi putator. §. 1. ff. ad l. Aquil.*
ζ *Dec. ibid. & alij.*

Quæ poteſtas legis præſumentis in foro Cæli. *Ad cap. is qui fidem. cap. tua nos. de ſponſal.* Cap. CCXXXVII.

1 *Forus conſcientiæ forus veritatis.*
2 *Præſumptio quid.*
3 *Super præſumpto lex ſtatuit quaſi comperto.*
4 *Profeßio ante tempus facta irrita eſt. 9.*
5 *Votum ab impubere emißum irritare pater poteſt.*
6 *Duplex cauſa præſumptionis.*
7 *Præſumptio præſuppoſitionis, ſeu facti quæ.*
8 *Et quæ definitionis, ſeu moralis periculi.*

Respondent frequentius,α nullam eſſe, ſi veritas pateat, cum forus conſcientię ſit forus veritatis, & veritati ce-
1 dere pręſumptio debeat. Ita, ſi ſponſalia contraxerit quis cum fœmina aliqua, eamque poſtea cognouerit, præſumit lex coniugalem conſenſum, *d. cap. is qui fidem.* qui tamen

men si abfuerit vere, matrimonium non facit, licet præsumptus. *d.cap. tua nos*. Adde exempla, quæ ad praxim Menoch.[6] forte enim a duplici hoc canone argumentum
2 non subsistit; vide Suar.[7] Et, quicquid sit, vrget ratio satis euidens; nam præsumptio est dispositio legis in casu dubio, quæ cessasset protinus, si Legislatori constare potuisset, rem ita esse; qui itaque veritatem rei tenet, is agere aduersus præsumptionem potest, cum Legislatoris voluntatem non deserat, sed magis sequatur.
3 Sed his obstat, quia super præsumpto lex statuit quasi cōperto; [γ] ecce enim, si professionis votum ante legitimum tempus emisum irritat, id propterea facit, quia non ple-
4 ne deliberatum præsumit, & tamen si professum deliberasse appareat, adhuc inualida professio est. Ita lex, quę
5 statuit, votum ab Impubere emissum posse irritum a patre fieri, valet semper in foro animæ, licet certo constiterit, puerum in ea ætate prudenter, & quasi maiorem deliberase.
6 Veritas a Theologis capienda est. Hi duas causas distinguunt, ob quas præsumere lex solet. Vna est, puritas Iudicij, & actionis, cum præsumit Legislator in tali casu, aut cum talibus circumstantijs accidere aliquid, nec tamen definit, hic, & nunc ita contigise; & quia in vnoquoque euentu idem suspicatur fore, propterea ad modū suæ præsumptionis legem promulgat. Huc redit exemplum Gregorij in *d.cap.is qui fidem.* statuit enim, sponsalia de futuro in matrimonium legitimum migrase censeri, si carnalis copula succeserit; non vt illa sufficiat absque nouo consensu de præsenti, sed quia præualuit, vt

coniugalis consensus pręsumeretur, ne crederentur sponsi turpiter conuenisse. Et solet hæc præsumptio dici *præsuppositionis, seu facti*, facti (inquam) illius, de quo lex præsumẽdo iudicat. Altera est morale aliquod periculũ, quod vt caueat legislator, pręsumit, & præsumẽdo definit, hoc, vel illud ita factũ esse; aut si non præsumit in casu aliquo particulari, iudicat tamen, non raro dolum, fraudem, metum ve, aut imperfectionem consensus in re aliqua contingere posse, propterea que ex his aliquid interuenisse determinat, vt cum votum professionis irritat an-
8 te legitimum tempus ætatis; Et dicitur hæc præsumptio *moralis periculi*, vel *definitionis*.

Hinc veritatis conciliatio. Prima enim præsumptio, quę præsuppositiua dicitur, aut facti, conscientiam non obligat, si verum non est, quod præsumitur, hoc enim sublato fundamentum simul, & materia tollitur legis, vt in allato exemplo, si pręcipiat lex, permaneri cum muliere cognita post sponsalia, & contingat, non fuisse cognitam affectu maritali, legis tunc obligatio nulla est, cessante scilicet materia, quippe intentio legis est, vt accessum præcipiat ad coniugem, illa autem coniux non est. Secunda autem præsumptio, quæ *definitiua* appellatur, vel *moralis periculi*, conscientiam semper ligat, licet in particulari aliquo casu factum non sit periculo consentaneũ, nec re ipsa contingat, quod metui poterat.

9 Sic lex, quæ professionis votum ante tempus factum irritat, ab ea præsumptione causam capit, vt minori ætati perfecta animi deliberatio desit, & tamen licet professus perfectum Iudicium, deliberationemque habuerit, pro-

fessio

fessio nulla est. Est autem inter vtramque pręsumptionem ratio discriminis, quod vbi moralis periculi pręsumptio est, causa legis semper manet, licet nullus inde prodeat effectus, aut melius ratio illa periculi magis ex certo, ac vero Iudicio, quod Legislator de periculo habuit, effluxisse videri potest, quam ex præsumptione. Vbi vero pręsuppositiua, vel facti est, tunc non tam periculum, quam factum creditur fundamentum esse legis, quapropter, si facti deficiat veritas, obligationem quoq; legis auferri necesse est. Reliqua apud Suar [δ].

α *Vide Abb. ad c. 1. de constit. n. 10. Salas. de ll. disp. 10. sect. 4. n. 18. Suar. de ll. lib. 3. cap. 23. n. 1.*
β *De præsumpt. lib. 1. tota quæst. 80.*
γ *Sup.*
δ *Sup. Et vide quæ ego in prælect. ad d. c. 1.*

An si pęnam lex *ipso facto* indixerit subeundam, in foro etiā animæ vim exercere suam possit. *Ad cap. cum secundum. de hæret. in 6.* Cap. CCXXXVIII.

1 *Bona hæreticorum ipso iure fisco addicuntur.*
2 *Non tamen auferuntur, nisi præuia iudiciali sententia.* 4.
3 *De clausula* ipso facto *scribentium sententiæ.*
5 *Lex qualis esse debeat.* 7.
6 *Supplicium est viuere, & egere.*
8 *Consuetudo legis interpres.*

FIt sæpe, vt *ipso facto* pœnam indicat lex (id maxime tunc euenit, cum ipso facto publicat alicuius bona) & requiratur, posit ne reus pœnæ bona illa cum tuta conscientia retinere. Cumque absolute negassent Panor. [α]

Fely.[e] alijque multi,[y] digna res visa est, quæ huic subijceretur examini.

1 At hercle satis rem dirimit Bonif. *in d.c. cum secundum.* cũ enim bona hæreticorum decreuisset ipso Iure fisco addici, subiunxit statim. *Confiscationis tamen huiusmodi exe-*
2 *cutio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales (iuxta Gregorij Papæ prædecessoris nostri declarationem) antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Enimuero, si nequeunt Principes bona accipere, priusquam Iudicialis sententia lata sit, vtcumque publicata fuerint *eo ipso* a lege, quanto minus cogetur hęreticus, alius ve in foro conscientiæ bona dimittere, quę in hac ipsa causa publicationis existant?

At (inquiunt) vrget non nihil, quod habetur *cap. 2. de præscr. in 6. l. si quis in tantam. C. vnde vi. §. sed ex constitutionibus. Instit. de Interd.* Vrgent hæc, fateor, atque
3 hinc factum est, vt in medias quasdam sententias itum sit, quarum illa crebrior fortassis,[d] vt priuetur reus quidē bonorum suorum dominio, sed non possessione, vel administratione, nisi facto Iudicis.

Et sunt, qui responderint,[e] nec dominium, nec possessionem amitti ante sententiam, sed per delictum bona vsque adeo fisco obligari, vt contractus omnes, quocumque demum titulo celebrentur, a die commissi criminis iuste rescindantur. *l. in fraudē. ff. de Iu. fis.* fit.n. (inquiunt) ex ea particula (*ipso facto*) dominium illud ita infirmum, ac tenue, vt dominium pene non sit, quippe retrotrahitur

ante ſententiam publicatio illa bonorum ad diem patrati ſceleris, ſcinduntur omnes contractus, defunctoque demum reo excutiuntur ab hæredibus bona, quaſi teſtatoris non fuiſſent.

4 Rectius ij forte, [γ] & ad mentem Pontificis *in d. cap. cum ſecundum.* qui docent, non pugnare duo hæc inter ſe, vt ipſo iure pœna incurratur, & tamen declaratione opus ſit Iudicis, nam & Emphyteuta (inquiunt) ob non ſolutum canonem in commiſſum cadit ipſo iure, & tamen non aliter, quam volente, & declarante domino. »

Sed puto verius, [δ] non ligari conſcientiam delinquentis, nec teneri reum pœnę, vt ſe quaſi ſpoliatum habeat, quin & libere diſtrahere res ſuas poſſe, licet poſtmodum in foro contentioſo id omne, quod ſic diſtraxerit, reuocetur.

5 *d. l. in fraudem.* Argumentumque eſt veritatis, quia lex debet eſſe moraliter poſsibilis, & ſecundum naturam. *cap. erit autem lex.4.diſt.* Atqui, vt ſe ipſum ſpoliet quis, & , moraliter impoſsibile, & contra naturam puto eſſe, ſicuti ſupplicium eſt viuere, & perpetua egeſtate ſordeſcere.

7 *l. quiſquis. C. ad l. Iul. maieſt.* Nec male dixerimus, priuari eum, qui deliquerit, facultate rei ſuæ in tantum, vt nihil in fraudem fiſci agere poſsit, vtp. alienare, &c. *d.l. in fraudem.* Reliqua namque omnia delinquenti non prohiberi,

8 vſus docuit, conſuetudoque, quæ optima legum interpres. *l. ſi de interpretatione. ff. de ll.*

α *cap. 1. de conſtit.*
β *Ibid. n. 44.*
γ *Vide relatos ex Tiraq. ad l. ſi vnquam. ver. reuertatur. n. 236. C. de reuoc. don. Couarr. de Matrim. par. 2. c. 6. §. 8. n. 10. Salas de ll. diſput. 15. ſect. 4. n. 5. Becan. ſum. Theol par. 2. tract. 3. c. 7. q. 4.*
δ *Azor. Inſtit. moral. to. 1. lib. 5. c. 7. q. 2.*

ε *Recentiores Theologi, & Canonistæ, inter quos Nauar. sum. c. 23. n. 66.*
ζ *Aug. Bero. ad d. c. 1. n. 238. de Constit.*
η *Omnes ad l. 2. C. de Iu. Emphy. & c. potuit de loca.*
θ *Vide Couarr. sup.*

De Arbitri in iudicando aut regula, aut licentia. *Ad l. qualem. ff. de Arbitr.* Cap. CCXXXIX.

1 *Arbiter quo distet a Iudice.*
2 *Arbitrium quid.* 4.
3 *Arbiter de facto iudicat, & quid hoc sit.*
5 *Ab Arbitro non est appellatio, sed reductio.*

DIssentiunt hic Ant. & Abb. [a] Ille arbitrum credit ex placito suæ voluntatis iudicare posse. Hic ex voluntate informata a Iure, atque ita receptum. [β] Visum tamẽ pro Ant. est, quod ait Paul. *in l. qualem. ff. de Arbitr.* h. v. *Qualem autem sententiam dicat arbiter, ad Prætorem non pertinere, Labeo ait, dummodo dicat, quod ipsi videtur. Et ideo, si sic fuit in Arbitrum compromissum, vt certam sentẽtiam dicat, nullum esse arbitrium, nec cogendũ sentẽtiam dicere, Iulianus scribit lib. 4. Digest. &c.* Notabis, quod ait. *Dummodo dicat, quod ipsi videtur.*
Soluit Accursius suo modo, & quod Paulus habet, *videtur*, explicat, *secundum legem*. Et vere quidem, sed non
1 satis erudite. Distat maxime Arbiter a Iudice, quem Prætor sortito dat, ex consensu tamen litigatorum, nam Iudici certam præscribit formulam, quam sequi in iudicando debeat. *l. mortuo. ff. de Iudic.* Aut si forte inter litigatores conuenerit, quid pronuncietur, non abs re est, vt eam proferat sententiam Iudex, de qua conuenerit. *l. si*

con-

conuenerit. ff. de re iudic. Arbitro autem nulla formula praescribitur. Sed nec conuenire inter litigantes potest de sententia certa, quam dicat Arbiter, iam enim Arbiter non diceretur, cui arbitrium permissum non esset.
2 Nam, si quærimus, quid arbitrium sit, vtique aliud non est, quam libera facultas dicendæ sententiæ. *l. itẽ si vnus. §. idem Pompon. ff. de Arbitr.* Pulchre Seneca, *meliorem esse* ait *conditionem causæ bonæ, si ad Iudicem, quam ad Arbitrum mittatur, quia illum formula concludit, & certos, quos non excedat, terminos ponit, & huius libera nullis adstricta vinculis Religio, & detrahere aliquid potest, & adijcere, & sententiam suam non prout lex, vel Iustitia suadet, sed prout humanitas, & misericordia impellit, & regit.* Hæc ille. Vide Cuiac. & omnino Fab. intelliges profecto, quid istud sit, quod Paulus respondet, bene arbitrũ pronunciasse videri, si, quod ei videatur, dixerit.
Denique arbitrum secundum leges iudicare oportere, & crebrius æstimatur, & verius; Vide. §. *quia vero multæ. Auth. de Iudicib.* verumtamen non eo modo, quo Iudicem, hic enim legibus ita adstringitur, vt nec latum quidem vnguem recedere ab ipsis valeat, arbiter vero, vt dicebat Seneca, se plus facto, & circumstantijs facti adcõmodat, quam legi, adeoque si ex misericordia, & hu-
3 manitate aliquid legi oporteat detrahi, vel addi, facere id potest; idque est, quod sentire practici, aut volunt, aut debent, cum dicunt, arbitrum de facto iudicare.
Nec tamen eo modo leges egredi arbiter debet, vt boni viri rectos fines præteruehatur, nam re ipsa arbitrium ni-
4 hil est aliud, quam opinio, & iudicium viri boni, *l. hæc*

venditio. ff. de contrah. Empt. l. 1. ff. de leg. 2. l. in personam. ff. de Reg. Iur. idque est, quod iuri placuit, si arbiter male
5 iudicauerit, non esse appellandum quidem, sed ad arbitrium boni viri recurri oportere, quod *reductionem* dicũt. ζ

α *ad c. 1. de constit. n. 15.*
β *Vide Blanc. de Comprom. q. 9. n. 18.*
γ *Lib. 3. de benef.*
δ *d. l. qualem.*
ε *Not ad l. nemo. C. de sentent. l. 1. ff. de Arbitr.*
ζ *In parat. tit. de Arbitr. n. 9.*

An in dubio legis, si hinc æquitas pugnat, aut benigna interpretatio, illinc simile alterius legis, amplectenda sit ratio benignitatis, vel ratio similitudinis. *Ad l. non possunt. l. benignius. ff. de ll.* Cap. CCXL.

1 *Argumentum ab ordine validum.*
2 *Ius nostrum finitum est, facta vero infinita.*
3 *Legem generalem esse oportet.*

QVi pugnant pro simili, hi perquam ridicule argumentum capiunt a legum positione; cum enim de ratione similitudinis præponatur *in d. l. non poßunt.* & post hanc de benigniori interpretatione disseratur *in d. l. benignius.* sequitur, pręferendum semper esse argumentum similitudinis, valet enim illatio ab ordine. *cap. mandato. in fi. de præb. in 6. cap. si quis iusto. de Elect. eod.*
Starẽt quidem hæc, si vlla esset ratio ordinis, quam legũ compilatores nuspiam excogitarunt, aut nec somniarunt quidem. Quin & relatæ illæ leges diuersorum Iurisconsultorum sunt, & inter ipsas sunt aliæ mediæ, quæ nullã ordinis rationem seruant, cum pręcipue nullum sit leuius,

aut inefficacius argumentum, quam quod ab ordine sumitur; vt ecce, ne extranea perquiramus exempla. Consuetudo primum locum habet in interpretatione legis. *l. cum de nouo. C. de ll.* & tamen in titulo illo, quo leges illæ continentur, de consuetudine agitur in postremo loco, vt Decius[a] considerat. Tuetur autem iste Author, ante omnia currendam esse viam æquitatis, & benignitatis, quia, scilicet, benignior interpretatio effluit a lege, argumentum vero similitudinis extra legem est, sique haberi potest in ipsa lege, non est requirendum, quid extra illam sit. *l. neque leges. cum not. ff. de ll.*

Vt autem bene percipias, & quæ mens illius fuerit, & quæ ratio æquitatis, sic mecum statue.[b] Ius nostrum non
2 potest nisi finitum esse. *l. 2. ff. de Iur. & Fac. ignor.* facta autem, quibus accomodari ius debet, ex circumstantijs, quæ finem nullum habent, vltra numerum ipsa sunt quoque, & infinita. Vt ergo de singulis factis singula statuerentur Iura, effici nusquam potuit, aut potest. *l. neque le-*
3 *ges. C. de ll. cum seq.* Legem itaque generalem esse oportuit, &, cum generalis esset, plura etiam necessario præteriri, quæ interpretatione nostra supplerentur. Quin & voluntario, agunt enim sæpe Legumlatores, ne quaque in re nimij videri possint authore Arist.[y] Interpretatione (inquam) nostra, & nunc ad rem, nam quod supplemus, aut remittimus natura duce, id ex mente legislatoris benigne facimus, non ex nostra, ne alioqui legem ipsi cõdere videamur, quando ipse Legislator illud ipsum præcepisset, si aduertere potuisset. Æquitas ergo, seu benignitas legis est ipsa lex, ipsa (inquam) Legislatoris destinatio.

ad

α *ad c. 1. de constit. n. 25.*
β *Vide quæ sup. c. 2.*
γ *Rethor. 1.*

An eodem iure censeri patrimonialia Clericorum debeant, quo & bona Ecclesiarum. *Ad l. de his. C. de Episc. & Cler.* Cap. CCXLI.

1 *Accessorium ex suo principali dijudicatur.*
2 *Personæ Clericorum immunes.*
3 *Patrimonialia Clericorũ Ecclesiæ obligantur pro administratione.*
4 *Bona Mariti tacite tenentur pro dote.*
5 *Clericus an sortiatur forum in patrimonialibus.*
6 *A pari ambulant statutis ligari, & forum sortiri, et an uerũ.*
7 *Clericorum, atq; Ecclesiarũ bona sæpius diuerso Iure cẽsentur.*
8 *Patrimonialia Clericorum pure temporalia sunt.*

Est hic legum, & Canonum pene implacabilis pugna; stant enim pro Clericorum patrimonijs *auth. item nulla communitas. C. de Epis. & Cleric. cap. vlt. de vita, & honest. Cler. cap. non minus. de immun. Eccl. cap. quamquã. de Censib. in 6. clem. vlt. de Censib.* Ex aduerso autem *l. 2. & d. l. de his. C. de Episc. & Cler. l. ad instructiones. l. neminem. C. de Sacros. Eccl. cap. magnum. 11. q. 1. &c.* Itaque, plus rationibus, quam legibus controuerti cępta res est, vt ijs simul occurreretur, qui plus disputant, quid potuerit Pontifex, quam quid voluerit; sed hos ego nunc procul habeo.

Est autem pro patrimonialibus ratio, quia bona in accessionem veniunt personæ Clericalis, si eius sunt, vel in
1 accessionem Ecclesiæ, si Ecclesiæ sunt; accessorium vero

ex

ex principali suo dijudicandum est. *l cum principalis. ff. de Reg. Iu. cap accessorium. eod. in 6.* Vel ita planius, & solidius. Bona Ecclesiæ sui natura temporalia sunt, & tamē ob id solum, quia Ecclesiæ accedunt, priuilegium sortiūtur, ne veluti temporalia haberi debeant, ergo & bona Clerici, quia Clerico accedunt; atque hinc noua illatio,
2 nam cum personæ Clericorum ab omni Iurisdictione seculari immunes fiant, eorundem quoque res eximi ab eadem Iurisdictione debent.
3 Item ex Panor. [a] quia bona Clericorum patrimonialia obligantur Ecclesiæ, si ea, quæ beneficiaria sunt, Clericus male tractet, dissipet, disperdat, nec secus, ac bona
4 Mariti tacite obligentur pro dote vxori suæ. *l. vlt. C. de pact. conuent.*
5 Denique, quia Clericus non sortitur forum laici Principis in patrimonialibus. *cap. si Clericus Laicum. de fo. compet.* ergo nec statutis ligari potest, cum idem valeant, seu
6 a pari procedant (vt loquuntur) statutis ligari, & forum sortiri.

Sed his contraria sunt recepta quædam, [b] quibus constat, Clericorum, atque Ecclesiarum bona sæpius diuerso iure censeri. Etenim patrimonialia Clericorum præscribuntur quasi Laicorum bona. Item prætextu læsionis non petit Clericus in bonis patrimonialibus se restitui, vt in bonis Ecclesię; & de patrimonialibus decimas soluit, quas tamen non debet de Ecclesiæ rebus. *cap. nouum genus. de decim.* Et de ijsdem compromittit in Laicum, quod non potest de Ecclesiasticis bonis. *cap. si diligenti. de fo. compet. c. contingit. de Arbitr.* Omitto eiusdem generis plura, quę

vna

8 vna ea ratione nituntur, quia Clericorum patrimonia temporales res ſunt, adeoque temporalibus legibus, ac temporali Iuriſdictioni ſuppoſitæ.

Quid ergo de inſigni hac Iuris controuerſia ſtatuendum videatur, docuere Butr.[γ] Abb.[δ] & alij paſſim.[e] cum enim negari non poſſet, in pluribus immunes eſſe Clericorum patrimoniales res, bene pronunciarunt, non pertinere ad eas Eccleſiaſticorum bonorum priuilegia, prętérquam in caſibus a Iure expreſſis.

Decius[ζ] tamen non acquieuit, & diſtinguendum cenſuit, an præcipua in lege fuerit ratio bonorum, vel perſonę, ſed male, vt per Burg.[η] & Couarr.[ϑ]

α ad c. Eccleſia. S. M. n. 3. de Conſtit.
β Vide Fely. Burg. Manti. et alios. ibid.
γ c ſi diligenti. n. 18. de præſcript.
δ Sup. & c. vlt. n. 11. de vita, & honeſt. Cleric.
e Fely. d. c. Eccleſia S. M. n. 7. & 8. Dec. ibid. n. 18. & c. Epiſcopus. de præbend. n. 10. vbi de comm. Balb. de præſcript. p. 5. q. 5. n. 2. de comm. Viu. comm. op. lib. 3. ver. Clericus in bonis. de comm. Couarr. Varia. lib. 1. c. 4. n. 2. de comm. Gutier. de Gaball. q. 88. n. 10. de comm.
ζ Sup.
η Sup. n. 119.
ϑ Sup.

Firmatur veritas, & conciliantur oppoſitæ rationes. Cap. CCXLII.

1 *Bona patrimonialia quem reſpectum habeant ad Clericum.*
2 *Priuilegiũ non extenditur.*
3 *An a pari ambulent forum ſortiri, & ſtatutis ligari.*

AEſtimo cũ recepta ſententia, bona Clericorum patrimonialia priuilegium nullũ habere, præterquam in caſibus a Iure expreſſis; ſunt enim pure temporalia, nec re-

respectum habent ad Clericum, vt Clericum, sed ad Clericum, vt Ciuem, seu finem spectes, seu modum, nam hæc omnia temporalia sunt. Non itaque creditur Romanus Pontifex bona hæc aliter priuilegiare (sic loqui liceat) voluisse, quam interdum ex causa, sicut ex causa interdum merum Laicum eximit a iurisdictione Iudicis, & Principis secularis; quod cum ita sit, & causam Pontifici probari oportuit, & lege, vel rescripto aliquo explicari, sique expressæ semel, aut sæpius in Iure causæ aliquæ
2 fuerint, non trahentur tamen ad consequētias, quia priuilegia sunt, quæ extendi non possunt. *cap. sane. de priuil. cap. petijsti. 7. q. 1.* [a] Ergo qui asserunt, Clericorum patrimonia easdem habere prærogatiuas, quas & bona Ecclesiarum habent, hi sine lege, & Canone rem exponunt, simulque ita quasi argumentantur. *Patrimonialia Clericorum in quibusdam causis priuilegia sortiuntur, quæ Ecclesiarum bona, ergo in omnibus*; quod ridiculum est.

Sed neque ratio illa valet, Clericorum patrimonialia obnoxia Ecclesiæ esse pro administratione bonorum, quæ ipsius sunt, seu beneficij. Nam non plus sequela hæc admitti potest. *Patrimonium Clerici obligatur tacite Ecclesiæ, ergo priuilegijs gaudet Ecclesiæ*; quam illa admitteretur. *Bona mariti obligantur tacite pro dote, ergo priuilegijs gaudēt dotis.* Et præterea valeret hæc ratio in solis Clericis beneficiarijs, quasi in reliquis idem ius non esset.

3 Non etiam vltima; Falsum enim est, aut non perpetuum, quod præmittunt, procedere pari gressu, vt quis forum sortiatur, & statutis ligetur. [b] Et quod decernitur in *d. c. si Clericus Laicum.* magis retorquetur, nam illic Clericus agen-

agendo contra Laicum reali actione forum sequitur Rei, vt etiam dicitur in *cap. cum sit generale. de fo. comp.* & tamen non ligatur statutis seculi regulariter (vt aiunt) & [β], Vide Socc. [γ]

[α] Vide sup. c. 223.
[β] La e Rolan. de Luc. dot. q. 15. Barbo. ad l. si debitori. n. 124. ff. de Iudic.
[γ] cons. 71. n. 16. vol. 4.

De eadem re, & de patrimonio titulari ad ordines. Cap. CCXLIII.

1 *Patrimonium titulare an loco beneficij sit, vel quomodo. 7.*
2 *Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum, &c.*
3 *Intitulationis quæ causa, vel finis.*
4 *Patrimonium titulare an possit alienari. 6.*
5 *Et numquid teneatur ad decimas.*

IAm, si stare iubetur, quod ante diximus, patrimonia Clericorum non eodem Iure censeri, quo Ecclesiarum bona, nisi expressum de ijs aliquid in iure sit; fuit tamē Glo-
1 satorum sententia, [α] quæ & reliquorum communis, si intitulatum patrimonium fuerit, hoc est, si cum patrimonio illo ordinatus Clericus fuerit, pari Iure, & priuilegio censeri cum Ecclesiæ rebus; nam subrogatum naturam sape-
2 re eius, in cuius locum subrogatur. *l. si eum. §. qui iniuriarum. ff. si quis caut. cap. Ecclesia. 3. vt lite pend. &c.*
3 An igitur (inquit Dec. [β]) intitulatio ista subrogandi vim habet? Non hercle; fit namque in eum finem, ne teneatur Episcopus prouidere ordinato non habenti patrimonium, vti re ipsa teneretur. *cap. Episcopus. cap. tuis de præben.* Vnde & Abbas reprehenditur, cum docet, id agi per in-

intitulationem, vt satisfactum iuri videatur, immo enim, si patrimonium Clericus sine titulo habet, adhuc tamen exoneratur Episcopus. *d. cap. Episcopus. d. cap. tuis.* Ne itaque ventosa omnino videatur intitulatio rerum, ęstimat per eam fieri, vt patrimonium Ecclesiasticæ rei beneficio fungatur, & id quidem, si de fauore agatur Clerici, non si de odio, quamuis enim Ecclesiæ bona alienari nõ
4 possint, alienari tamen poterunt patrimonij titularis res, & bona. Hæc ille.

Ego aliter sentio, nec sine authore, γ & titularis patrimonij nullum agnosco priuilegium, pręterquam si fuerit in Iure expressum. Nam nec somniari priuilegia possunt, nec per consequentias trahi, sed aperte constare debent, ne quid temere ex communi lege minuatur. Atqui patrimonium hoc titulare nullo Iure ęquatum reperitur Ecclesiæ bonis, sed sola scribentium interpretatione, & sola illa regula *subrogatum, &c.* de qua hoc vnum dicere, sat est, & regulam esse, & nullum in proposita specie momentum habere.

5 At nec desunt, quę pro hac sententia faciant. Cum enim bona Ecclesiæ decimas non soluant, δ creditum tamen est, bona patrimonij titularis decimis subiacere ε. Cumq;
6 alienari bona Ecclesię non posśint, attamen bona patrimonij titularis alienabilia olim erant, ζ donec prohibita omnis alienatio fuit per Trident. *de refor. sesś. 21. cap. 2.* At hucusque etiam manet de hac re aliquid, nam cum bona Ecclesię distrahi nullo modo posśint inconsulto Episcopo, patrimonium tamen titulare libera cuiusque volũtate transfertur, si acquisitum beneficium fuerit. η

De-

7 Denique patrimonium istud subrogatur beneficio quidem, sed in vna tantum re, scilicet, vt vicem suppleat beneficij in alendo Clerico, ne cum ordinis sui nota mendicare cogatur. *d. c.* 2. nec Clericum respicit, vt Clericum, sed vt quelibet, qualis olim titulus paternę hęreditatis. *d. cap. Episcopus.* Vide Garz. [θ] Non igitur valere sequela hęc potest. *Supplet vicem beneficij, ergo priuilegia habet eiusdem.* Nam regula illa subrogationis restrictionem ab eo recipit, in quo subrogatio fit.

α *Vide gl. vlt. ad c. Episcopus. de præb. & alibi, vt per Dec. in c. Ecclesia S. M. de constit. n. 18. vbi & Burg. n. 130. & Mant. n. 13. Cauall. in pract. q. 527. n. 4. Gratian. discept. to. 1. c. 159. n. 27.*
β *Sup.*
γ *Couarr. Variar. lib. 1. c. 4. n. 4.*
δ *Sup. c. anteced.*
ε *Vide relatos per Fely. d. c. Ecclesia. n. 10. Barbos. de off. Episc. alleg. 19. in fi.*
ζ *gl. vlt. d. c. tuis. de præb.*
η *De comm. Barb. ibid. n. 89.*
θ *De benef. par. 2. c. 5. n. 73. & 93.*

An acquisitione Clerici liberetur fundus ab onere tributi soluendi. *Ad Auth. hoc ius porrectum, & seq. C. de Sacros. Eccl.* Cap. CCXLIV.

1 *Descriptiones, æstimationesque bonorum non porriguntur ad Clericos.* 8.
2 *Mutatione personæ quando mutetur rei qualitas.* 4.
3 *Tributa realia quo pacto hærere dicantur rebus.* 5.
6 *Res transit cum suo onere.*
7 *An tributarium prædium ad Ecclesiã migret cũ onere suo.* 9.

NEgabam, patrimonialia Clericorum eisdem priuilegijs frui, quibus Ecclesiarum bona, & nunc quoque nego, sed præmitto contrarium, & quæro; An si domũ

Cle-

Clericus, vel fundum acquisierit, cui onus reale inhæreat tributi soluendi, liber censeri fundus possit eo ipso, quo ad ius Clerici pertinuerit. Loquor autem de onere reali, perpetuo, atque immutabili, nam descriptiones,
1 æstimationesque quæ fiunt sępe (æstimatis scilicet bonis cuiusque, vt plus soluant, minus ve) non pertinere ad Clericos quasi exceptas, scimus ex *cap. non minus. de immun. Eccl. & cap. 1. eod. in 6.*

Defendit Suar. [α] fundum tributarium eo ipso, quo acquisiuerit illum Clericus, solutum videri, idque & alij. [β] Tum
2 quia mutatione personæ mutatur & qualitas, quæ rei inhæret ratione personæ. *l. per Curatorē. ff. de acq. hæred.* tū
3 quia tributa realia, quæ immobilibus rebus imponuntur, non ijs hærere dicuntur absolute, & per se, sed ratione personarum, sub quarum dominio existunt, videntur enim prædia illa stare quasi pignorum vice. *l. 1. C. in quib. caus. pig. vel hypot. contrah.*

4 Sed neutrum valet. Non primum, nam, vel falsum est, quod proponitur, vel non valet, nisi in his, quæ referuntur ad se inuicem, *vt d. l. per Curatorem.* vbi mutata persona Militis bona desinunt esse Castrensia; bona vero Clericorum patrimonialia non referuntur ad personam Cle-
5 rici, vt sic. [γ] Non secundum, quod enim in eo assumitur falsum est, quippe *tributarium* esse prædium est qualitas ei inhęrens inseparabiliter. arg. *l. 1. §. res vero. C. de impon. lucr. descript. lib. 10.* Neque obstat *d. l. 1.* non enim probat, fundum, cui tributum hęreat, stare loco hypotecæ, (quamuis hęc quoque transitura cum fundo esset) sed bona debitoris, cui tributi soluendi onus incumbit.

Contrarium itaque ante alios plurimos censuit Glosator.[d]
6 pro quo & regula Iuris vulgata, vnumquodque transire cum suo onere, seu decimarum. *cap. si quis Laicus. 16. q. 1. cap. cum non sit in homine. de decim.* seu hypotecę. *cap. ex*
7 *literis. de pignor.* seu rei cuius libet.[e] Sed neque his quidē opus est, ita rem confirmat Iustin. *sup.* cum enim Ecclesiasticarum rerum alienationes prohibuisset *in d. auth. hoc ius porrectum.* sic deinceps statuit *in auth. sicut. eod. tit. Sicut alienatio rerum Ecclesiæ interdicitur, ita prohibetur, ne qua sterilis ei detur possessio, aut alioqui onerosa, veluti fiscalium nomine, vel onere.* Et ibid. *in auth. item prædium.* permittit, vendi Ecclesię prędium, si ob fiscale onus plus nimio grauetur Ecclesia. Si itaque non mutantur fiscalia onera, hoc est, tributa, cum ad Ecclesiam res transeūt, quāto minus, si Clerico acquirantur? Dices, Ciuilem constitutionem nec Clericos afficere, neque Ecclesiam potuisse. Volo equidem, sed nullibi emendata, & potius recepta videri potest, cum eam rescripserit Gratian. *in cap. 2. §. sicut. & §. item. 10. q. 2.* Quocirca Panor.[ç] distinctione vtitur in Ecclesia post tres scribentium sententias. Bona (inquit) laicorum, quę Ecclesiæ fiunt, seu testamento, seu donatione, seu permutatione, &c. aut, priusquam in Ecclesię patrimonium venirent, fixum aliquod, perpetuum, certum, nec varium onus habebant, aut nō immutabile, non perpetuum, sed varium, nec semper
8 idem. Si primum, Vniuersitati laicę solent illud ipsum, quod antea soluebant. Si secundum, quia modo maiorē, alias minorem ęstimationem habuere, & nunc tributum maius, nunc minus solutum est, sine vllo onere peruenięt

ad

ad Clericos. Hanc distinctionem alios quoque ante Panormitanum vsurpasse, author est Comitul. [η] At si valet hęc in Ecclesia, quomodo tueri contrarium velit Suarius
9 in Clerico? An non potius audiendus Vrbanus Pont. cum suadet *in cap. tributum.* 23. q. 8. de exterioribus Ecclesię soluenda tributa esse *pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defensare Principes debent?* Cur enim, si iam erant tributarij agri, non item post erunt, quam in eorum possessionem Ecclesia venerit? Nec contrarium quidem velle creditur Ecclesię benignitas, cum iniquum videri posset, quempiam suo Iure absque eius culpa, vel facto priuari.

α *De immun. Eccl. c. 25. n. 3. & per tot.*
β *Vide Gutier. pract. lib. 1. q. 3. n. 15.*
γ *Vide sup c. 243.*
δ *Ad c. 1. de immun. Eccl. in 6. ver. bonorum.*
ε *Gl. d. c. si quis laicus. ver inde.*
ζ *c. vlt. n. 12. de Vita, & hon. Cleric.*
η *Respons. Moral. lib. 5. q. 94.*

An Clericus pro communibus Ciuium expensis contribuere teneatur. *Ad l. vlt. C. Quib. muner. excus lib. 10.*

Cap. CCXLV.

1 *Quibus conditionibus contribuere Clerius debeat.*
2 *Et quæ contribuendi causæ.*

QVęstio ad ea pertinet, quę non imperantur vti stipendia quędam Regia, sed quasi necessarij sumptus inter Ciues, vtp. si reficiendę vię sunt, si pontes, aut fontes, & muri Ciuitatum. Non itaque subiectionem in his, qui parent, Iurisdictionem ve aliquam pręmittunt in Principe, sed rationem habent ęquitatis, scilicet, vt qui communibus istis rebus ęque vtuntur (sint Clerici, aut

Laici) pari etiam diſtributione concurrant, non enim aliud videtur hęc dare, quam precio res comparare, quibus ad victum, veſtitumque vſurus Clericus ſit.

Æſtimant, iure Ciuili Clericos, & Eccleſias teneri quaſi laudabili titulo. *l. ad inſtructiones. C. de ſacroſ. Eccl. d. l. vlt.* iure autem Pontificio ſecus, niſi cum temperamentis qui-
1 buſdam, videlicet de conſilio Epiſcopi, & Cleri, ſi magna aliqua neceſsitas, vel vtilitas id ſuadeat, nec Laicorum ſuppetant facultates, hiſque etiam caſibus non poſſint Laici vim aliquam Clericis facere, ſed humiliter, & deuote accipere debeant cum gratiarum actione, implorando ſcilicet Epiſcopi pietatem, vt ipſe Clericos ſuos cogat, atque inſuper conſulendo Romanum Pontificem, ſi fieri poſsit, ita enim conſtitutum putant *in cap. non minus & c. aduerſus. de immun. Eccl.* Quin & Lucas de Penna [a] docuit ſingulariter, Clericos munera iſta ſubire omnino debere etiam incóſulto Pontifice, ná prȩlaudatos Canones ita eſſe intelligendos, ſi Rectores, Conſules, alijue Eccleſijs, vel Clericis iniungere nouum quid velint obtentu publicȩ alicuius neceſsitatis, vel vtilitatis, tunc .n. ad Pótificé rem deferri oportere, nó ité, ſi petatur ex vſitato legú, ſtatutorum ve ordine contributio, conſueta, idq; & crebrius placuiſſe, & praxi receptum teſtatur Gutier. [b]

Video equidé confundi quæſtiones, quod nolo. Mihi itaq; articulus erit duplex, vnus de Eccleſia, alter de Clerico. Et qui de Clerico rurſus duplex, primus, ſi bona habeat Clericus beneficiaria, alter, ſi patrimonialia. Quod itaq; ad Eccleſiá pertinet, vel beneficiariú Clericum, ſentio, ius Ciuile per Canones illos emendari, quippe qui prohibent ma-

ni-

nifeste, Ecclesię imponi contributiones, pręterquá ex magna aliqua necessitate, vel vtilitate, & seruatis ijs, de quib⁹ ibi. At, si bona patrimonialia sint, nulla lege, aut canone remissum Clerico onus hoc puto, ne cótribuere teneatur. Nam concilium Lateran. *in d. cap. non minus.* solam eximit Ecclesiam, vt ibi, *tot onera frequenter imponunt Ecclesijs.* Et licet postmodum exemplo vtatur Pharaonis, *qui Sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit*, apparet tamen, possessiones istas pertinuisse ad eos vti Sacerdotes, cum statim subdat. *isti vero onera fere sua vniuersa imponunt Ecclesijs.* Neque obstat, quod addit post hæc. *Siue quidem fossata, siue expeditiones, seu alia qualibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis volunt fere cuncta compleri.* Nam resp. bona illa solius Ecclesiæ esse, quæ scilicet, & ipsius Ecclesiæ, & Clericorum, & pauperum vsibus deputantur, & hoc modo literam esse construendam, nam & infra cum docet, quibus casibus cótribuendum sit, ita loquitur. *Subsidia per Ecclesiam exi-*
2 *stiment conferenda.* quæ ipsa verba proferuntur *in d. cap. aduersus.*

Atque ita quidem statuendum, ni fallor. Primum, quia de priuilegio agitur, quod probari in puncto debet. Deinde, quia exactiones istæ nullam pręmittunt Iurisdictionem in Clericos. Tertio, quia æquitatem habent. Quarto, quia non turbant statutum Clericalem. Vltimo, quia nihil præseferunt sordidum, vel indecens.

α *d.l. vlt.*
β *pract. lib. 1, q. 3.*

An oporteat, rescriptum Principis secundum ius esse. *Ad l. penul. C. de precib. Imp. offeren.* Cap. CCXLVI.

1 *Rescriptum contra ius elicitum non valet.* 3.
2 *Et perenne esse debet.* 6.
4 *Rescripto parendũ non est, si circũuentus fuerit in eo Princeps.*
5 *Rescripto an noceat præscriptio temporis.*
7 *Si duo rescripta fuerint obtenta, quid iuris.*
8 *Rescripti nomen semper generale.*
9 *Diuina iußio, priuilegium, beneficium, mandatum, quæ.*

AFfirmat Abb. [a] rescriptum illud proprie esse, quod ad obseruantiam scribitur communis dispositionis, nam
1 contra Ius elicitum non valet. *d. l. penul.* & perenne sui na-
2 tura esse debet. *l. 2. C. de diuer. rescript.* perennitas vero propria est, ac peculiaris communium legum. Hæc ille, & alij.

3 Sed vereor, ne Abbas offenderit, & cum eo frequens Scribentium schola; nihil enim de hac re probant Impp. *in d. l. penul.* quippe, cum paulo ante dixisset Cõstant. nec damnosa fisco, nec Iuri contraria postulari oportere *l. 3.*
4 *C. eod.* sequitur, id, quod habemus *in d. l. penul.* intelligi de rescriptis illis oportere, in quibus circumuentus Princeps est, aut quæ per importunitatem largiri coactus est, nam hæc derogatoriam clausulam habent *ex d. l. 3.* Nec dubium, cum rescripta valeant contra Ius elicita, quando ea Princeps concedit motu propriæ voluntatis, & ex certa scientia; alioqui nulla essent admittenda priuilegia, quod absurdum. Nec nouum videatur, quod dico de circumuentione Principis, nam ita passim Imperatores,

&

& Pontifices. Vide *l.* 1. *C. de petit. bon. subl. lib.* 10. *cap. cum in iuuentute. §. cæterum. de purgat. Can. cap. vlt. de rescr. in 6. extr. Execrabilis. de præb. Bernar. lib. de consid. ad Eugen.* Et quæ alibi ego ß.

Minus obstat, ea, quæ ad ius rescribuntur, perennia esse debere. *d. l.* 2. nam leuitas argumenti, quod inde trahitur, statim innotuerit. Verba Claudij Imp. hæc sunt. *Falso asseueratur, authoritatem rescriptorum deuoluto spacio anni obtinere firmitatem suam non oportere, cum ea, quæ ad Ius rescribuntur, perennia esse debeant, si modo tempus, in quo allegari, vel audiri debent, non sit comprehensum.* Non itaque de ea perpetuitate quæsitum ibi erat, quę commu-

5 ni legi requiritur, sed an habenti rescriptum ad Ius, hoc est, ad causam, vt Glosator explicat, noceret præscriptio temporis. Allegabatur, posse quem intra annum rescripto vti, post annum minime; esse itaque præscriptionē temporis, quæ obstaret. Sed falso (inquit Claud.) nisi forte adiectum tempus rescripto est, quo allegari debeat,

6 vel audiri. Vide Gl. Quin immo cum dixerit Claud. ea, quæ ad ius rescribuntur, perennia esse oportere, non obscure voluit, quædam esse, quæ cum ad ius non rescribantur, perpetua proinde non sunt. Adde *l.* 1. *ff. de Nundin. cum Accurs.* δ

7 At etiam, si perennitas de ratione rescripti eo modo est, quo & communis legis, male vtique Romani Pontifices decreuere, vt, si duo rescripta fuerint impetrata, tunc, si primus imperator negligens per annum fuerit, rescriptū ei pereat, & secundo impetranti robur accedat. *cap. plerumque. de Rescript.*

Denique quam habere perennitatem reſcriptum poſſit, vnde & legem valeat æmulari, haud ſatis intelligo. Recte Bart. [ε] ſi quidem (ait) poſt primum reſcriptum non fuerit aliud reſcriptum impetratum, ipſum perenne eſt, hoc eſt, tanto durat tempore, quanto id durat, ſuper quo impetratum eſt. Hæc ille totidem verbis.

Iam itaque non valde liquet, eo modo acceptum reſcripti nomen eſſe, vt illud ſignificet vi ſua, quod ad obſer-
8 uantiam Iuris communis emanarit. Verius ęſtimo, generale nomen reſcripti eſſe, atque adeo, vt vix vllum reperias, quod in ſpeciale aliquod nomen non demigrarit.
9 Nam, ſi quid Princeps reſcribendo committit, quo nulla Iuriſdictio conferatur, *mandatum* eſt, ſeu *diuina iuſſio*; quæ (ſi Abbati, & alijs credimus) aut contra Ius aliquid indulget, & *priuilegium* dicitur, aut pręter Ius, & *beneficium* appellatur. Sin aliquid reſcribit Princeps, quo Iuriſdictio conferatur, *mandatum* tunc dicitur *Iuriſdictionis*, ſeu *delegatio*. Fac vero, nihil horum eſſe, quod valde probetur, pares ſumus, nam nec recepta illa ex Abbate concluſio probationem vllam habet, ſi bene intueare.

α *Ad Rub. de reſcrip. n. 2.*
β *Sac. Iu. contr. diſſert. 8. c. 8. n. 45.*
γ *Ibid. ver. perennia.*
δ *Ibid.*
ε *d. l. 2.*

An de integra ratione priuilegij ſit, vt indulgeat aliquid contra Ius. *Ad l. 1. ff. de Conſtit. Princip.* Cap. CCXLVII.

1 *Priuilegium quid.* 3.
2 *Priuilegium conſtitutio eſt perſonalis.*

4 *Priuilegium præter ius.*
5 *Quin & secundum ius.*
6 *Priuilegium operari aliquid debet.*
7 *Et quid conferre videatur, si secundum ius est.*
8 *Priuilegium quid addat communi concessionis legis.*

1 AFfirmant Bart.[α] Panor.[β] & alij,[γ] sic enim priuilegiũ definiunt vulgo,[δ] vt sit *ius singulare contra commune indultum.*

Argumenta non deficiunt,[ε] sed quæ robur nullum habeant; quod enim præcipuum est omnibus, priuilegium
2 non esse, nisi constitutionem personalem. *l. 1. ff. de Constit. Princ. §. sed & quod Principi. Instit. de Iu. nat.* quam perinde a communi lege deflectere opus sit; plus mihi probat, priuilegium, vt sic esse id, quo speciale aliquid a Principe conceditur, neque alteri communicatur, vt tale,
3 seu illud contra Ius sit, seu præter ius.

Alij itaq; nouam priuilegij rationem instituentes eo modo finiunt, vt sit *priuata lex aliquid speciale concedens. cap. Abbate* ibi, *nisi aliquid specialiter. de verb. sig. cap. vlt. §. antep.* ibi, *nulli aliquid speciale indulgeretur. 25. q. 1.* neque omnino referat, an contra Ius sit, an præter ius. *cap. in his. de priuil.* Vide Suar.[ζ]

4 Et sunt, qui doceant, vix esse priuilegium præter ius posse, quin & contra Ius sit. Exempla habent memorati authores[η]; nam si concesserit Romanus Pont. sacerdoti nõ proprio, vt absoluere a peccatis posit, aut si ei, qui Prælatus non est, dispẽsandi gratiam fecerit, sunt hæc quidẽ præter ius, sed simul generali illi legi contraire videntur,

qua

qua hæc alieno Sacerdoti, &, qui Prælatus non est, communiter interdicuntur. Si etiam Princeps aliquid eorũ concesserit, quæ *regalia* dicuntur, præter legem agere intelligitur, cum nullo Iure prohibeatur donare; & tamẽ, quia quod sibi reseruat Princeps, id cęteris prohibet, contrarius quodammodo suæ legi est.

Si quis emunctæ naris in tantum sit, vt distinguere hæc possit, concludam tamen, vere, & proprie priuilegium esse totum id, quod Princeps indulserit, vel illud contra legem sit, vel præter legem; quod vtique credent hi, qui
5 iure probatum putant, concessionem quoque Principis id ipsum pure indulgentis, quod communi, generalique lege permittitur, priuilegium dici, & esse. *cap. quia. de Procur. cap. & si Christus. de Iureiur. cum gl.* [θ]

6 At (inquies) si operari aliquid priuilegium debet, si speciale aliquod priuilegiario conferre, qualia, obsecro, erũt priuilegia hæc, quæ non plus conferant, quam communi lege tribui videatur?

7 Quæstionem absoluunt relati Authores cum Azor. [ι] & datum a Principe, aut Pontifice priuilegium semper speciale quid conferre existimant, vel ex circumstantia aliqua communis legis, vel ex intentione petentis, qui sibi multum conferri reputat, licet id assecutus dumtaxat sit, quod a communi, generalique lege consequi itidem potuit.

8 Intentio petentis eo pertinet, quod sæpe circa Ius commune acutis quibusdam stimulis, seu scrupulis iactamur, quos vt excutiamus, Principi, aut Pontifici libellos supplices ducimus offerendos. At hercle (inquit Suar. [κ]) decla-

claratio ipſa propoſitæ ambiguitatis certitudinem aliquā facit, nec ſolum practicam, ſed & ſpeculatiuam, quæ ſynderesim omnem omnino abroget, vnde fit, vt non ocioſo quodam priuilegio ditari credamus, ſed valde inſigni, quod haud minoris æſtimare, quam animæ tranquillitatem, debeamus.

Circumſtantia autem communis legis id reſpicit, quod contingere ſæpius ſolet, vt generalis diſpoſitio negligatur, aut non adamuſſim cuſtodiatur; Non itaque otioſe ſupplicatur Princeps, aut Pontifex, vt ſpeciali quadam conceſſione Miniſtros quaſi moneat, excitet, terreatque, cum alioqui ea, quę ſpecialiter non adnotantur, videantur neglecta. *l. item apud. §. ait Prætor. ff. de Iniur.*

Rectius, quid generali legi ſpecialis conceſſio adijciat, æſtimabis inſpecta vtriuſque natura; Alia enim eſt priuilegij ratio, alia communis conſtitutionis, atque adeo effectus diuerſi. Intereſt, an priuilegio tueri te valeas, an generali iure; at ſi de eadem re, & legem habere, & priuilegium potes, eo vti auxilio vales, quod rei tuæ conducat magis, idque interdum maximi momenti eſſe, nemo non credit.

Addit & priuilegium communi legum diſpoſitioni ſpecialem authoritatem, interceſſionemque, & protectionē Principis concedentis, idque eſt, quod ait Pont. *in d. cap. quia; authoritate præſentium concedimus facultatem, &c.* nam ſi neges, quid tunc opus authoritate illa fuerat? Sic interdum Pontifex legem innouat, quæ priuſquam innouaretur, cuſtodiebatur tamen ab omnibus, quaſi ſpeciale habeat nonnihil diſpoſitio recens. *cap. vlt. de tre. & pa-*

ce

ce. iun. cap si quis Romipetas. cap. paternarum. 24.q.3. cap. quis nesciat. dist. 11. &c.

α *In l.3.n.3.ff.de constit.Princ.*
β *Ad Rub.de rescript.*
γ *Ibid.*
δ *Vide Sebast.Med.de defin.par.2.def.17.*
ε *Vide Bart sup.*
ζ *Vide Suar.de ll.lib.8.c.1.n.5.*
η *Adde Salas de ll disp.17.sect.1.Sanch.de Matrim.lib.8.disp.1.n.1.*
θ *Ver.indulgemus.*
ι *Instit. Moral.lib.5.c.23.q.3.*
κ *Sup.*

An de genere priuilegij sit, quod Princeps delegando rescribit. *Ad l.2. C.de diuers.rescrip.* Cap. CCXLVIII.

1 *Auocatio causæ extraordinarij Iuris est, & cur.*

AEstimauerat Dec.[α] delegationem ad *Rescripti* causam pertinere, si respicerentur merita causæ, aut si rescribens eo collimasset, vt, quod iustum est, fieret, vt (inquã) litigatori ius suum tribueretur. Sin haberetur respectus ad Iudicem, cui mandata Iurisdictio esset, tunc *priuilegium* esse, non rescriptum.

Sed contradicebat Rip.[β] Eo autem quæstio vertebatur tota, *an delegatio communi Iuri præiudicare, vel hærere magis videretur.*

1 Ego (si eorum principijs disputanda res sit) ordinarium puto esse, vt causæ a Magistratibus illis cognoscãtur, qui earum curam meruerunt a Principe; Vt autem hanc, vel illam auocet interdum Princeps, extraordinarij Iuris dico esse, non tamen, quod legi pręiudicet, vel ordinarię Iurisdictioni (huic enim tacita ea conditio inest, vt interloquente Principe conticescat) sed quod immo plurimũ,

ex

ex ratione legis sit, nam re ipsa Princeps suæ Iurisdictionis (quam dum alij permittit, a se tamen minime abdicat) vsum, atque exercitium transfert.

Dixi, *si eorum principijs disputanda res sit*; nam credidi, [γ] nullum esse rescriptum, aut Pōtificis, aut Principis, quod rationem priuilegij non habeat, vnde & nunc credo, rescriptum delegatorium semper priuilegium fore, & esse, licet plus aliquid forte non contineret, quam communis dispositio habeat. Eoque magis, si causa delegetur alioqui non delegabilis, aut non eodem modo.

α *Ad Rub. de Rescrip. n. 1.*
β *Ibid. n. 13.*
γ *cap. anteced.*

An priuilegium odiosum quid sit, vel fauorabile. *Ad l. beneficium. ff. de Constit.* Cap. CCIL.

1 *Beneficium quam plenißime accipiendum.*
2 *Et numquid aliud a priuilegio sit.*
3 *Et quibus nominibus appellari soleat priuilegium.*
4 *Priuilegium cur odiosum.*
5 *Priuilegij odium, vel fauor vnde deprehendantur.*
6 *Beneficium proprie quid.*

B*eneficium Imperatoris* (Inquit Iauolen. *in d. l. beneficium.*) *quod a diuina eius indulgentia proficiscitur, quam plenis-*
1 *sime interpretari debemus.* Adde *cap. quia circa. de priuil.*
2 *cap. cum dilecti. de donat. cap. olim. §. quia vero. de verb sig.*
3 Aiunt, beneficium aliud esse a priuilegio, sed id est, quod quæritur. Video equidem, priuilegium alijs sæpe nominibus significari, quæ nihil præseferre valeant odiosi, vt

li-

liberalitatis, donationis, largitionis, concessionis, indulgentię, &c quin & fauoris, & habeo exemplum Antonini, quod Gratianus refert in *cap. vlt. §. vlt. 2. q. 3.* quo non poterat Princeps rescriptum suum plenius, fauorabiliusque interpretari.

Obstat tamen ius. *Vide l. si quando. C. de inoff. test. cap. quod dilectio. de consang. & aff. cap. licet. de translat. Epis. cap. por-*
4 *ro. de priuil.* Obstat & ratio acceptionis personarum, inuidiæ & (quæ legibus summe displicet) inæqualitatis inter Ciues.

Est igitur qui dicat, priuilegium nec fauorabile omnino esse, nec omnino odiosum, sed mistum ex vtroque. Et qui rursus, [a] priuilegium, quod præter legem est, plenius accipi, ac dilatari oportere, quod vero contra legem, pressius capi, quam ego sentẽtiã inter veriores reputo, cũ nullam habeat contrarietatem, præterquam a suspectis quibusdam traditionibus, quæ obtinuerunt in praxi. Æ-
5 stimat Salas, [b] si personam intueamur eius, qui priuilegiũ nactus est, & fauorabile esse priuilegium, &, quantum fieri possit, extendẽdũ. Si eius, qui dedit, idem posse iudicari. Si tertij, qui damnum obtendat, vel acceptionẽ personę, tunc reprimi concessionem debere. Sed habet hæc distinctio opposita, quæ non facile euoluantur. Vide *d. l. si quando. d. cap. quod dilectio. d. cap. licet. cap. 2. §. 2. de fil. præsb.* quibus nulli tertio præiudicabatur, & tamen comprimi concessiones debuerunt.

Inter hęc scribentium placita statuenda hæc sunt quasi verissima, videlicet, priuilegium, quod præter legem datum fuerit, fauorabile esse, quod vero contra legem, aut

exor-

exorbitet a lege, aut quod lędere ius alterius poſsit, odioſum. Veriſsime (inquam) dicuntur hæc, ſed vti regulę, quæ ex circumſtantijs habere exceptiones poſsint. Nam ſi vnum, atque idem priuilegium reſpectu vnius odioſum videri poteſt, reſpectu vero alterius fauorabile, iure aſſero, nihil de hac re firmum conſtitui poſſe. Equidem, ſi me fallere ea poſsint, quæ circumſtant, ſpectabo vtique diligentius, an fauor exuberet, vel incommodum; hæc enim duo, fauor, & odium reſpectiua ſunt, & conferri inuicem debent inſpecta etiam politica quadam, & prudenti ratione concedentis. Vbi itaque fauor exuberat, æſtimabo, priuilegium eſſe fauorabile, extendendumq́; latius, vtcumque exorbitet, aut Iuri contrarietur, aut ius tertij lædere videatur, cum hæc ipſa ratio faciat, vt in pęnis latior interpretatio fiat.

6 Sic conceſsionem Principis, in qua fauor excellit, beneficium voco latiſsime interpretandum. *d. l. beneficium.* hoc enim proprie, & peculiariter videtur eſſe, *quod a diuina eius indulgentia proficiſcitur. d. l. beneficium.*

α *De comm. Panor. in d. c. quod dilectio. Et fuit ſententia Bart. in l. ſi finita. §. ex hoc edicto n. 1. ff. de dam. inf. & aliorum, de quibus plena manu Suar. de ll. lib. 8. c. 27. n. 5. Salas. de ll. diſput. 17. ſect. 6. n. 41. Sanch. de Matr. lib. 8. diſp. 1. n. 4.*

β *Sup. n. 43.*

An Princeps remouere appellationem poſsit. *Ad l. 1. §. vlt. ff. a quib. appell. non lic.* Cap. CCL.

1 *Appellationi renunciari poteſt.*
2 *Appellatio eſt auxilium naturæ.*
3 *Princeps non tollit ea, quæ ſunt Iuris naturalis.*
4 *Et nunquid auferre recuſationem valeat ſuſpecti Iudicis. 12.*

5 *Ap-*

5 *Appellatio sub duplici aspectu.*
6 *In Principe duplex potestas.*
7 *Princeps Iuri naturali in quantum præiudicet.*
8 *Et nũquid exprimere causam debeat sublatæ appellationis.*
9 *In delegatione eligitur industria personæ.*
10 *A sententia Principis appellatio nulla est.*
11 *Et a Magistratibus interdum.*

ET certum est, posse. *d. l. 1. §. vlt. cap. 1. de rescrip. c. pastoralis. §. præterea. cap. super quæstionum. §. si vero. de off.*
1 *deleg.* maxime, cum fieri id quoque per pactionem possit. *l. vlt. §. vlt. C. de tempor. appell. l. 1. §. si quis. ff. a quib. appell. non lic.*
2 Sed dubitant, quia appellatio naturale quoddam auxiliũ
3 est, vnde, & recursus dicitur, & præsidium oppressionis. *cap. suggestum. vbi scripta, de appell.* Principi autem non licet ea, quæ iuris naturæ sunt, tollere. *clem. pastoralis. §. cæ-*
4 *terum. de re Iudic.* prout nec recusationem suspecti Iudicis, quæ pari gressu cum appellatione procedit. *l. vlt. C. de sent.* impedire potest. *cap. secundo requiris. in fi. de appell. c. quod suspecti. in princ. 3. q. 5.*
5 Referre itaque censuit Panor.[a] an appellationem consideremus, vti defensio quędam a natura est, adeoque inuariabilis, immutabilis, an vti formalitas quędam Iuris positiui est, quę legali potestati subiaceat; posse enim a Principe impediri appellationem, vt sic, sed non recursum per querelam, supplicationem ve, & consim.
6 Sed & hęc quidem omnia in quæstione sunt. Puto autẽ, conciliari ea, quæ obijciuntur, posse ex vulgari illa distin-

ctione ordinariæ, & absolutæ potestatis. Neque ideo hoc dico, quod credam, absolutam in Principe potestatem ad omne placitum, vel arbitrium imperantis, qualecumque illud sit, extendi posse, nam hic error iam semel explosus, cum verius alibi [β] monstratum est, ordinariam potestatem illam esse, quam exequitur Princeps secundũ propriam legem, absolutam vero, quam supra leges ex causa. Et ecce exemplum nitidissimum sublatæ appella-
7 tionis, nam princeps non tantum Iuri Ciuili præiudicare ex causa potest, sed & naturali; immo subsistente causa, id ipsum; quod agit Princeps, naturale est, non enim repugnat, duas rationes naturales sibi inuicem contrariari, quod cũ accidit, naturalis æstimari ea debet, quę præualet, quę (inquã) naturæ accedere plus videtur. Ergo Princeps ex causa auferre mihi defensionem appellationis potest, nec mirũ, nã & Princeps, qui citra tyrannidẽ iuri a me quęsito detrahere non potest, si tamẽ ex causa id faciat cõmunis boni, reprehendendus non est [γ].
8 Neq; hic velim dubites, an exprimi debeat a Principe causa, vel magis præsumatur; [δ] cũ æstimare plus debeas, ni fallor, causã, qua Princeps ad delegandũ mouetur *appellatione remota*, in facto ipso delegationis pro expressa ha-
9 beri; Est enim vulgatũ illud, in delegatione electã videri personæ industriam, & fidem, quapropter cum delegat Princeps, virum eligit absq; exceptione, qui in causa iudicet, & pro quo, vel eius sentẽtia præsumi plus debeat, quã pro grauamine, seu oppressione, quantamcumque asserere litigator velit.
10 Confirmaturque hæc ineuitabilibus argumentis. Ecce .n.

a ſua ſententia appellari Princeps non vult, quaſi quæ nō
11 oraculi minus, quam ſententiæ nomen mereatur; numquid violatum ius naturæ eſt? Creat quoq; Princeps Magiſtratus (ita loquor, inappellabiles. *l. 1. & t.t. ff. a quib. appell non lic. l. vni. C. de ſent. Præf. præt.* nec tamen pati aliquid creditur naturæ ratio, cum nihil non prudens, nihil non integrum ab his, qui longe alijs præſtant, expectari fas ſit. Inhibet etiam Romanus Pont. ne a ſecunda ſententia prouocatio detur *c. ſua nobis. de appell.* & pro duorū Iudicum ſentētijs æquiſſime pręſumit; an non idem fuerit, ſi duobus initio deleget appellatione remota? Quid vltra, ſi ſtatim tribus, aut quatuor? Quid ſi integro auditorio? Quid deniq; ſi integerrimo, prudentiſsimo, ac doctiſſimo, qui pluriū iudicantiū partes explere ſolus poſſit?[ε]
12 Sed neque admodum liquet, non poſſe a Principe tolli ſuſpecti Iudicis recuſationem; fateor, non ſolere id Principē. *c. cū inter. §. inquiſitioni. de except.* ſed opinor, ex cauſa poſſe, ſicut ex cauſa inauditū condēnat. Pone autem, non poſſe, adhuc par ratio nō eſt, vt pluribus docent Practici, mihi vnum ſatis; nā ſi prohibet Princeps recuſari Iudicē, qui ſuſpectus litigatori ſit, aufert manifeſtius defenſionē, quaſi ex integro iudicium abneget, quam, ſi cauſam remoueat appellationis.

α *cap. .de Reſcr. n. 2.*
β *Sup. c. 173.*
γ *Ibid*
δ *Vide gl. vlt. ad l. relegati. ff. de pęn. Rip. d. c. 1. n. 7.*
ε *Vide Abb. ad Rub. de appell. n. 7.*

An inferior Principe ſubſcribere poſſit *appellatione remota. Ad l. vlt. C. de ſentent. & interlocut. om. Iud.* Cap. CCLI.

Ab

1 *Ab interlocutorijs appellandum non est.*
2 *Plus metui id solet, quod specialiter prohibetur, quã quod generaliter.*

NEgandum absolute; sic enim scriptum legimus *in l. 1. §. ult. ff. a qub. appell. non lic. Interdum Imperator ita solet Iudicem dare, ne liceret ab eo prouocare, ut scio, sæpißime a D. Marco Iudices datos. An & alius poßit ita Iudicem dare, uidebimus. Et puto non poße.* Hinc præclaræ quæstionis resolutio penes Innoc. 3. *in cap. super quæstionũ. §. si uero. de off. deleg.*

Sed grauis oppositio imminet *ex d. l. ult. C. de sentent. Cum solitum est* (inquit Iustin.) *in sententijs Iudicium sic interlocutionem proferri, ut non liceat partibus ante definitiuam sententiam ad appellationis, uel recusationis uenire auxilium, quidã putabant, non licere ante litem contestatam nec Iudicem recusare, quemadmodum nec ab eo appellare. Cum enim simul utrumque uocabulum ponitur tam appellationis, quam recusationis, prouocatio autem ante litem contestatam non potest porrigi, putabant, quod nec recusare quidem Iudicem cuiquam concedatur ante litem contestatam, quod minime uetitum est. Caueant itaque Iudices huiusmodi sermonẽ simul, & sine certa distinctione proferre.* Habes, posse Iudicem per sententiã interloqui, ne liceat partibus appellare ante sententiam definitiuam totius negocij, quod si ita est, maximi utique momenti in praxi est.

Respondebat Bart.[2] cum quo & Ang. post Accurs.[β] discrimen esse illic appellationis ab interlocutoria, & appellationis a definitiua, atque illam quidem remoueri posse ab inferiori, hanc minime. Sed explosum est id

communibus votis, quin & ab ipſo Bart.
Rem alij aggreſſi ſunt, quos confundit Rip. addens & ipſe noua quædam, ſed non valde meliora.
Equidem pro certo habeo, Iuſtinianum *in d.l.vlt.* reſpõdere de ſtylo quodam iudicantium voluiſſe, qui communi Iuri nihil addebat quoad appellationem, ſed valde multum quoad recuſationem, nam Iudices confundendo cauſam appellationis cum cauſa recuſationis agebant ſane, ne ante litem conteſtatam recuſari poſſent, & hic opus fuit remedio nouę legis. Pronunciabant Iudices ex ſtylo, & hoc veriſſimum, vt ibi. *cum ſolitũ eſt*. Et quoad appellationem pronunciabant ſecundum ius, nã & com-
1 muni Iure non licet ab interlocutorijs appellare. *l.ante sẽtentiæ.C.quor.appell.nõ recip.l.2.C.de Epiſc.aud.* eratq; vtilis pronunciatio, vt monerentur litigatores, ne ad producẽdum negocium interponerent appellationes, quibus ſcirent, nullatenus deferendum eſſe, cum timeri plus ſoleat
2 id, quod ſpeciali modo prohibetur, quam quod generaliter. *all.cap.quamquam.23.diſt cap.ſi.aduerſus.de hæret.6. l.itẽ apud.§.hoc Edictum.ff.de iniur.* Nec ſequor id, quod Bartolus, & alij docent, interdum poſſe ab interlocutorijs appellari, adeoque poſſe quãdoque Iudicem vtiliter, ne appelletur, pronunciare; puto enim non poſſe Iudicem inferiorem ex ſtylo prohibere appellationem, niſi in caſu, quo itidem prohibuerit eam lex. Sic itaque pronunciantes Iudices appellationem confundebant cum recuſatione, & valere ſtylus poterat in appellatione, quippe quæ prohibita etiam a lege erat, ſed in recuſatione non item, quæ nulli interdicebatur, vel interdici iure poterat,

rat, ſaltem prius quam conteſtata eſſet lis, vt ibi, *quod minime vetitum eſt*. Opus itaque imperiali conſtitutione fuit, qua ſtylus probaretur, modo Iudices in ſuis pronunciationibus appellationem ſecernerent a recuſatione, ne cõtra Ius attentari aliquid videretur. Vide Cuiac.[ε]

α *d.l. vlt.*
β *Ibid. in gl. vlt.*
γ *Teste Rip. ad c. 1. de reſcript. n. 22.*
δ *d.l. 1. §. vlt. n. 2. ff. a quib app. non lic.*
ε *d.l. vlt.*

Si duo reſcripta concurrant, quorum alterum generale, alterum ſpeciale, &c. *Ad l. libertis. ff. de adim. legat.* Cap. CCLII.

1 *Generi per ſpeciem derogatur. 3.*
2 *Genus in iure quaſi regula.*
4 *Si alterum Codicillis diſpoſitum, alterum teſtamento ſit, an altero alterum reuocetur.*
5 *Veſtiarium pars eſt alimentorum.*

SI generale reſcriptum antecedat, ſequatur autem ſpeciale, non dubitant,[α] præualere id, quod ſequitur, hoc eſt, ſpeciale, licet priori detractum nihil fuerit in literis, vt *cap. 1. cap. paſtoralis. §. quoniam. de Reſcript. cap. ſtuduiſti. de off. leg.* & quidem ea ratione, quia generali detrahitur per
1 id, quod ſpeciale eſt, nam & alibi ſcriptum, in toto Iure generi per ſpeciem derogari. *l. antep. ff. de pœn. l. in toto ff. de Reg. Iur.* vbi Dec. Pet. Fab. Cuiac. alijque cum Alciato. [β] Petit rationẽ Fab. ab Ariſtotelica ſchola multa de genere differens, & de ſpecie, cum Ariſt.[γ] & Porphir.[δ] Ego genus
2 quaſi regulam dico eſſe, ſpeciem vero quaſi exceptionem,

quę ſicut ceſſare regulá facit, *l.* 1 *ff. de Reg. Iu.* ita & ſpecies ferme ceſſare facit genus. Nec mirum, nam qui excipit a regula, id vult, quod excipit, & non id, a quo excipit. *d. l.* 1 *cum not.* quapropter e contrario, ſi coniectura aſſequi valemus, voluntatem diſponentis plus ferri in genus, quá in ſpeciẽ, pręvaliturũ vtiq; genus erit, vt bene dixerint noſtri, totá rẽ hanc coniecturalẽ eſſe. Adde ſcripta *ad l. ſi ſeruus ſeruũ. §. inquit lex. verſ. cũ eo plane. ff. ad l. Aquil.*
At, ſi præcedat mandatum ſpeciale, nonnihil hæſitant. Reſoluunt tamen, idem eſſe, vt præualeat id ſemper, quod ſpeciale; Nam & hic caſus ſub ea Iuris regula
3 eſt, *generi per ſpeciem derogari*, atque ita ſenſiſſe omnino putatur Greg. 9. *in cap. Abbatem. de reſcrip.* ibi. Et *per literas generales ad Diœceſanum Epiſcopum obtentas.* maxime cum idem valeat in omnibus, ſeu leges ſint. *l. ſed & poſteriores. ff. de ll. d. l. antep. ff. de pœn.* ſeu contractus. *l. doli clauſula. ff. de verb. oblig.* ſeu teſtamenta. *l. cohęredi. §. qui patrem. ff. de Vulg.*

Obſtare tamen creditum, quod habet Scæuola *in l. libertis.*
4 *ff. de adim. leg.* Habebat teſtator tres libertos teſtamento manumiſſos, & poſt hos habebat quoq; alios. In teſtamento autẽ ſic diſpoſuerat. *Libertis tribus, quos teſtamento manumitto, menſtruos decẽ pro alimẽtis lego.* Et cũ hoc feciſſet, addiderat Codicillos, in quibus ſic generaliter ſcripſerat. *Omnibus libertis meis mẽſtruos ſeptẽ, & annuos veſtiarij nomine denos lego.* Quæſitũ erat, an liberti illi tres primi teſtamento manumiſſi vtrumque legatum conſequi (ex teſtamento videlicet, & ex codicillis) poſſent. Et reſponſum, id ſolum habituros, quod Codicillis datum eſſet.

Sic dispositio generalis detrahit speciali, non contra. Respondent, causam Scæuolæ esse omnino diuersam, an scilicet per dispositionem Codicillarem reuocatum videri id possit, quod dispositum testamento erat, & resolutum est, posse h.v. *Nam ab his, quæ testamento cibariorum nomine legata essent, recessum est propter ea, quæ Codicillis relicta sunt*. Credit Bart.[η] sic propterea definitũ, quia (loquor cũ Bart.) de vna, & eadem re agitur in diuersis scripturis, quo casu vltima scriptura, quæ de genere est, venit correctiue ad primam, quæ de specie est, idque locum in testamentis habet, non in legibus, nam in legibus non veniret *correctiue*, sed magis *adiectiue*. Hęc iste, cum quo Castren.[θ] Alciat.[ι] &c. Rem ego sic explico, nec sine authore. Agebatur penes Scæuolam in vtroque legato de eadẽ ipsa re (nam licet primum legatum alimentorum nomine datum esset, posterius autem vestiarij, liquet tamen,
5 vestiarium partem esse alimentorum) et sic inciuile credebatur esse, vt pro eadem re duo legata dari viderentur, & maxime in diuersis dispositionibus, in quibus (Ait Alc.) plus præsumitur, vt se ipsum corrigere testator voluerit, quam in vna, eademque dispositione, tunc enim verisimilius crederemus, noluisse testatorem se in continenti corrigere, atque emendare.

α *De comm. Dec. ad c. 1. de R. script. n. 5.*
β *In l. doli clausula ff. de verb. oblig.*
γ *In Categor.*
δ *In Isagoge.*
ε *Via e gl. & Bart. in d. l. doli clausula.*
ζ *Vbi gl. & Cuiac.*
η *d. l. doli clausula. in fi.*
θ *Ibid. n. 2.*
ι *Ibid. n. 12.*

De eadem quæstione. Et quid, si vtrumq; rescriptum generale est. *Ad l. seruo manumisso. ff. de pecul. leg.* Cap. CCLIII.

1 *Ex duobus rescriptis generalibus illud prævalet, quod specificatum est.*
2 *Et quid, si neutrius facta specificatio fuerit.*

REfert primum, an (vt loqui solent) facta specificatio fuerit alterius rescripti, an (inquam) expressum id fuerit, quod generali sermone continebatur, priusquam
1 obtentum nouum rescriptum esset, nam illud tunc prævalet, quod specificatum est. [a] Vide *cap. pastoralis.* §. 1. *de rescript.* Fuerat illic commissa causa aduersus Męuium, & *quosdam alios*, antequam vero specificaretur persona illa, quæ generalibus ijs verbis (*& quosdam alios*) comprehendi poterat, contraria pars rescriptum meruit speciale; cũque dubitatum esset, an ex priori rescripto speciali detractum videri posset generali, responsum fuit, posse, quasi aliud dicendum videretur, si facta specificatio foret rescripti præcedentis. At hercle, si generale rescriptum prævalet speciali, cum facta specificatio est, quanto magis & genetali alteri prævaluerit? Atque ita existimo, & qui-
2 dem absolute, quicquid distinguere voluerit Dec. [b] Sin neutrius facta specificatio fuerit, bene docent, rescriptũ primo obtentum vim suam habiturum. *l. si duo. ff. de adm. tut. l. si chorus. in princ. ff. de leg.* 3. intellige, nisi prioris facta mentio fuerint in posteriori, hoc enim prȩmittimus semper, cum de duobus rescriptis disputamus.
Monuit Decius, vera esse, quæ dicimus, si vtrumque rescriptum æque generale est, nam, si duo exhibeantur rescripta generalia, quorum alterum altero generalius sit, præstiturum id forte, quod minus generale erit, quasi

po-

potestatem habens rescripti specialis, valiturumque subinde, quod in regula est iuris, generi per speciem derogari. *l. antep. ff. de pœn. l. in toto. ff. de Reg. Iur.* [γ]
Et creditur ad rem facere, quod respondet Alfen. *in d. l. seruo manumisso. ff. de pecul. leg.* Testamentum facio, manumitto in eo seruum, eique peculium suum lego, in quo peculio erat ancilla. Deinceps in alio capite testamẽti ancillas meas omnes vxori lego. Quæritur, cuiusnam esse debeat ancilla peculiaris manumisso legata, & resp. serui esse debere, non vxoris, nec referre, vtri prius legatum sit, nam omnimodo serui esse. At quæ ratio? Vtiq; (aiunt) quia ex duobus legatis generalibus, id, quod datũ seruo est, minus generale est, quod proinde generaliori deroget. [δ]
An itaque legatum peculij minus generale fuerat? Nemo sani ingenij, vt opinor, credet, nam neque id Alfenus credidit, aut voluit, ni fallor. Puto autem, ob id ancillã peculiarem videri datam seruo, quia in secundo capite ancillas legaui, quæ *meæ* essent, & quasi meas (hoc est, patrimonij) separatas ab ijs volui, quæ peculij essent. Liquet autem, quod dico, nam in legato illo sub peculij nomine ancilla non considerabatur vt ancilla, sed formaliter, vt res quælibet peculiaris, proptereaque deberi cum alijs Ancillis non poterat, cum aliud esset legatum peculij, aliud Ancillarum, & sic aliud rerum peculiariũ, aliud rerum, que essent testatoris.

α *Abb. post. gl. ad c. 1. de rescript. n. 14. De comm. ibid. Ber. n. 46.*
β *Dec. ibid. n. 7.*
γ *Vide sup. cap. anteced.*
δ *Gl. 1. & alij ibid.*

Di-

Distribuitur Iurisdictio, atque vni pupillares, alteri depositionum causæ demandantur. Pupillus depositi causã habet. Quis erit Iudex? *Ad l. Titiæ textores. ff. de leg.* 1. Cap. CCLIV.

1 *Ratio personæ præcipua semper est.*
2 *Rescriptum speciale cur deroget generali.*
3 *Priuilegium quando extendi debeat, aut restringi.*

RESoluendum videretur, vtrumque fore Iudicem, quasi causæ, quæ communis sit. Ita, si testamentum fecero, & Titiæ legauero omnes seruos *textores*, Plotię vero omnes seruos *vernas*, si serui aliqui simul, & textores erũt, & vernæ, communes fient. *d. l. Titiæ.*

1 Baldus[a] vero personam plus, quam causam credidit spectari oportere, quia personæ ratio semper, & vbique, præcipua est. *l. 2. ff. de sta. hom. l. iustissime. ff. de ædil. Edi. l. 1. C. quan. Imper. inter pupil. vel vid.*

Sed probarim hoc ego, si causa personæ in eum modum videatur excellere, vt præcellere etiam possit, qualis pupilli, &c. nam si aerea quædam proponatur prærogatiua personæ, quæ nihil habeat vltra id, quod personæ est, non hercle intelligo, quam habere prælationem possit. Pone, alteri pistorum causam committi, alteri vltimarũ voluntatum, pistoremque esse, qui causam habeat testamenti, numquid valitura in tantum est ratio personæ, vt pistorum Iudex causam occupet?

Rectius forte Rip.[b], qui præualiturum ex alijs[y] docuit,
2 quod fauorabilius est, & licet se hic inuoluat, puto tamẽ, valere, quod dicitur, cum rescriptum quoque speciale ob

ob id deroget generali, quia plus voluntatem mouet disponentis, vt ante, [δ] nec dubitandum, rescriptum eo plus
3 voluntatem habere rescribentis, quo fauorabilius est, vt ecce. Priuilegium tunc extendi magis debet, quam restringi, cum in eo fauor exuberat. *l penul ff. de constit. Princ.* [ε] restringi autem tunc, cum plus odij sapit, quam fauoris; vtriusque rei causa est voluntas plenior disponentis. [ζ] Igitur in duobus hisce rescriptis, seu commissionibus, quæ proponuntur, non personæ habenda ratio erit, sed fauoris, adeoque propensioris voluntatis.

α *Ad l. 1. q. 3 n. 3. ff. de off. Procons.*
β *Ad c. 1 de Rescrip. n. 67.*
γ *Bart. in Extrau. ad reprimend. vers. non obstante.*
δ *cap. 253.*
ε *Sup. c. 250.*
ζ *Ibid.*

Si vtrumque rescriptum speciale sit, prius obtentum plus valere. ad *cap. vt debitus de appell.* Cap. CCLV.

1 *In libello supplici quæ necessario exprimenda.*
2 *Qui supplicasse se dicit causam frustraturus non auditur.*

SI concurrant duo rescripta specialia, valere non debet secundo obtentum, nisi mentio facta prioris fuerit *cap.*
1 *3. de Rescript.* Sed neque id quidem satis, nisi expressum in libello fuerit omne id, quod difficiliorem reddere Pōtificem posset, aut Principem. *d. c. 3. c. super literis. eod.* [α] Sed obstare plurimum visus Innoc. 3. Pont. *in d. c. vt debitus.* quo satis liquere existimant, eum, qui primo obtinuerit, sibi rescribi, nihil agere, nisi & literas primus præsentauerit Iudici. Verba hæc sunt. *Vt debitus honor deferatur*

tur

tur Iudicibus, & litigatoribus consulatur super laboribus, & expensis; statuimus, vt si quis coram idoneo Iudice conuenerit aduersarium, ille ante sententiam ad superiorem Iudicem absque rationabili causa non prouocet, sed coram illo suam Iustitiam prosequatur. Non obstante, si dicat, quod ad superiorem Iudicem nuntium destinauerit, aut literas impetrauerit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatæ.

Huius capitis fuit vsq; ad Panormitanum explicatio quadruplex.a Egerunt enim prudentissimi Commentatores, quantum in ipsis fuit, ne hac sola decisione multa corrigi viderentur, quæ de rescriptis sunt, Iura. Sed nec satis vi-
2 deo, vnde tantus sudor effluxerit. Loquitur Pontifex de eo, qui causam frustrari nitebatur eo obtentu, quod diceret, libellum iam supplicationis superiori Iudici datū, & iam iam rescriptum esse in foribus, nam literas fuisse expeditas, & quidem ante literas aduersarij, sed nondum sibi transmissas. Obseruandum siquidem est, quod ait Innoc. *Non obstante, si dicat*; dicebat enim, & hoc prętextu vtebatur, qui ei valere non debebat, ne protraheretur lis ex assertione eius, cui fides habenda non erat, cum, & Iudex debito honore fraudari, & pars laboribus vexari interea posset, ac sumptibus.

Veram hanc eius loci interpretationem esse, & a Iure Ciuili acceptam, probat ex parte Macer. *in l. 4. ff. de appell. recip. Eius* (inquit) *qui ideo causam agere frustratur, quod dicit, se libellum Principi dedisse, & sacrum rescriptum expectare, audiri desiderium prohibetur; & si ob eam causā prouocauerit, appellatio eius recipi sacris constitutionibus vetatur.* Vide Cuiac.a

At-

Atque ita rem accipio, cum non tantum in literis, quæ ad lites, sed & in ijs, quæ ad beneficia sunt, obtineat ille, qui rescriptum habuit primus, non qui primus præsentauerit *cap. tibi, qui. de rescrip. in 6 c. eum, cui. de præbend. eod.*

a V. de gl. d. c. 3. ver. de commissione iun. gl. ad clem. dudum. §. nos etiam. ver. pacta de sepult. Scripta ad c. 1. de Rescript.

β d. c. vt debitus.

Si reuocatum primũ rescriptum fuerit, processeritq; ex eo Iudex in causa. *Ad c. audita. de restit. spol.* Cap. CCLVI.

1 *Qui rescriptum impetrauit, potest nolle vti, & cur. (tum est.*
2 *Potentior cessatio per contrariam voluntatem, quam per obi-*
3 *Morte delegantis re integra expirat Iurisdictio delegati.*
4 *Conditio, si volet, an legatum faciat conditionale.*
5 *Legatum acquiritur etiam ignoranti.*
6 *Iudex quo pacto se esse reuocatum scire debeat.*

SI reuocatum primum rescriptum fuerit per assecutionẽ secundi, nesciat tamen Iudex primi rescripti, reuocatum se esse, & in causa procedat, constat, valere interim quod agitur. *cap. audita de restit. spol.* Fac. *l. qui absenti. ff. de acq. poss. l. si forte. ff. de off. præsid. iun. l. meminisse. ff. de off. Procons.* [a] Res tamen digna est, quæ examen hoc nostrum subeat, *an sufficiat scire id Iudicem quoque modo, vel opus etiam sit exceptione, & oppositione Litigatoris.*

Et frequentius creditum, [β] opus exceptione esse, cum is, qui rescriptum impetrauit, possit eo nolle vti, & tum re-
1 scripto, tum simul fauori etiam suo renunciare. *arg. l. penul. C. de pact. cap. ad Apostolicam. de Regular.* est enim ordinarij Iuris, vt actus, qui ad fauorem infirmatur priuati ho-

hominis, eo volente, ac renunciante roboretur; quin, vt formæ etiam renunciari possit, si vtilitatem contineat priuati hominis, non publicam. *cap. quoniam. §. is autem. de off. deleg.* Neque obstare visa sunt Canonum decreta, quę his verbis loquuntur. *Innotuit. Cognouerit. &c. cap. 2. de off. deleg. cap. si duobus. de appell.* nam præmittunt hæc exceptionem, seu oppositionem illam partis, quæ verisimiliter necessaria.

2 Vnum est, quod resistit. Nam potentior reuocatio rescripti est, quam cessatio per mortem. *cap. si delegatus. de off. deleg. in 6.* aut saltem paris sunt potestatis reuocatio, &

3 mors *l. 4. ff. loca.* At morte delegantis reintegra expirat Iurisdictio delegati. *cap. vlt. §. officium. de off. deleg. in 6.* ergo, &c.

Occurrunt argumento omnes; & quando (inquiunt) rescribens moritur, fundamentum corruit Iurisdictionis ex integro, quam proinde cessare oportet re integra; Quando vero Princeps priorem delegationem reuocat per literas posteriores, manet tunc fundamentum, & radix anterioris concessionis, nam in secundis literis apponi quasi conditio videtur. *Si pars illis vti voluerit.* adeoque nō tam auferri creditur præcedens delegatio, quam suspēdi. Sed quasi replicat Dec.[s] tacita illa conditione (*si pars vti voluerit*) nihil aliud suspensum videri, quam executionem. Addit, vix intelligi conditionem posse eiusmodi, quæ actum faciat conditionalem, nisi & illud fateri voluerimus, omnem donationem, aut dispositionem, quę testamento fiat, quantumuis pure fiat, resolui tamen cō-

4 ditione aduersus id, quod legitur *in l. si ita legatum. §. il-*

li

li si volet. ff de leg. 1. vbi si legauerit ita quis. *Illi, si volet, Stichum do*, legatum conditionale est, si vero non exprimatur conditio illa, *si volet*, quantumuis ea tacite insit, legatum tamen purum est, *aliud enim est Iuris* (ait Gaius) *si quid tacite continetur, aliud, si verbis exprimatur*. Sed in quæstione Gaij conditionem illam, *si volet*, non
5 eo modo exprimi, quo tacite inest, satis docuit Accurs.[a] quem & Cuiac.[b] secutus est, ne dubium, cum & ignoranti acquiri legatum possit. *l. cum. pater. §. surdo. ff. de leg.* 2. puto tamen, hic de conditione perperam disputari, si sic rem teneas. Morte delegantis abrogatur ex toto mãdatum Iurisdictionis, sed non reuocatione. Cur? quia reuocatio non ante effectum habere incipit, quam litigator opposuerit, sic volente Principe; nec mortem æquare potest, aut vincere, donec exitum habeat.

6 Et forte superuacanea tota hæc disceptatio est, nam Iudex primi rescripti scire reuocationem suam debet, vt Iudex, nec sufficit, si eam scit, vt priuatus homo; quod manifestum est, nam in Iudice requiritur scientia publica, quæ non aliunde emergere, quam ex his, quæ probantur, potest. Ergo non aliter scire Iudex valet, primum rescriptũ fuisse contrarijs literis abrogatum, quam si illæ exhibeãtur inter acta; facta autem exhibitione nulla alia superest dubitatio vel leuis, cum satis opposuisse videatur is, qui rescriptum exhibuit suum. Nec curo, si exhibeantur ab eo posteriores literę, cuius non intersit principaliter, dummodo ex causa aliqua ius habeat opponendi. Volo autẽ, vt disquirat post hæc alius, an ille tertius vti possit rescripto reuocatorio, si is dissentiat, qui impetrauit.

[a] vide

α *Vide Abb. n. 10. & Dec n. 7. ad c. cæterum. de Rescript.*
β *De comm. Dec. sup. n. 8.*
γ *Gl. ordin. ad l. et eleganter. in princ. ff. de dolo. De comm. Dec. ad c. olim. n. 5. de except.*
δ *d. cap. cæterum.*
ε *Ibi ver. ad hæredem.*
ζ *Ad l. 3. in fi. ff. de leg. 1.*

De eadem re. Et quid, si posteriori rescripto adpositum decretum fuerit, quo prius obtentum irritetur. *Ad cap. dilecto filio. §. præterea. de Prabend.* Cap. CCLVII.

1 *Canonici an possint præbendarum numerũ augere, vel quãdo.*
2 *Omne rescriptum rationem habet priuilegij.*
3 *Priuilegium non datur inuito.*
4 *Actus, qui in alicuius gratiã irritatur, eo uolente reconualescit.*
5 *Rescriptum Principis est lex.*
6 *Lex, vt valeat, promulgari debet.*
7 *Rescriptum lacerari ab eo potest, qui obtinuit.*

CVm liceat ei, qui rescriptum meruit a Principe, nolle vti, sicque fauori isti suo renunciare, potuit dubitari, an eo quoque casu valeat renunciare, cum additum fuit a Principe decretum irritans omne id, quod ex præcedẽti rescripto factum esset, vel attentatum.

Et negatum crebriori Scribentium placito est, cum satis constare veritas possit *ex cap. dilecto filio. §. præterea. de*
1 *præbend.* vbi Innoc. 3. *Quamquam* (inquit) *interdum hi, ad quos spectat electio, de communi assensu augmentare valeãt numerum præbendarum, quoddã ius spirituale de nouo creando, nisi forte statutum aliquod obuiaret, quod esset Iuramento firmatum, vel cui Sedis Apostolicæ confirmatio accessisset,*

ſet, huiuſmodi clauſula prohibitionis adiecta, vt, ſi quicquã contra id fieret, non valeret, &c. Si itaque ſtatuerint inter ſe inuicem Canonici aliquid, petierintque a Pontifice confirmari cum decreto, iam recedere deinceps non poſſunt eo obtentu, quod eorum fauorem contineat, cui velint renunciare.

2 Sed vereor, verum ne id ſit, quod tã libere pronunciatur. Nam omne Reſcriptum diximus rationem habere priuilegij,[a] quocumque demum modo conceſſum a Principe
3 fuerit, priuilegium vero non confertur in inuitum. Non itaque, vel decretum prohibere poteſt, vel irritatio, ne repudiet priuilegiarius, cum nouerimus hucuſque, actũ, qui
4 in alicuius fauorẽ infirmatur, eo volente recõualeſcere [b]. Sed placet nouiori quodã, &, ni fallor, ſolidiori argumẽ-
5 to rem planius demonſtrare. Reſcriptum Principis ſpecialem legẽ dico eſſe; habet vero lex inſitam ſibi, & natura-
6 lem conditionẽ, vt valeat, ſi ſufficienter promulgetur. *c. in iſtis. §. leges. 4. diſt.* ergo & reſcriptũ ea conditione valet, ſi promulgetur ab eo ſatis, qui illud meruit a Principe, ei .n. ipſi committitur a Principe promulgatio; promulgatur vero ſatis abunde, ſi a ſupplicante exhibeatur eo animo, vt illo vti velit; Igitur conditio hæc. *Si vti voluerit*, inſita, & naturalis reſcripto eſt, & quæ ſuſpẽdere decretum poſſit; nec nouum videri in legibus debet, vt ipſo Iure aliquid irritetur quidem, ſed neceſſaria ſimul ſit declaratio illius, ob cuius fauorem irritatio fit. Sic Emphyteuta, feudatarius, &c. ſi aliquid non ſeruauerint, quod conuentionis lege contineretur, cadunt ipſo Iure, & tamen declaratione opus eſt eius, qui directum Ius habet.

Superest contrarietas *ex d. §. præterea.* cui tamen occurrit Dec. γ post Innoc. & alios, seruari illic clausulam decreti, quia agebatur de fauore Ecclesiæ, scilicet, vt comprimeretur facilitas quædam in augendo præbendarum numero; sępe enim fit, vt Canonicus aliquis valde potens emineat, qui reliquos quasi opprimat, inuitosque in suã sententiam trahat. Non ita in Rescripto euenit, quod merum continet fauorem supplicantis.

Sed forte melior fuerit ratio discriminis inter Canonicalẽ constitutionem, quæ decreto firmatur, & rescriptum, quod cũm decreto conceditur; Nam illa proponitur quasi sufficienter promulgata inter Canonicos, & ideo non potuerunt hi contrauenire, cum non liceret eis, quod superior irritasset, confirmare. Rescriptum vero promulgatũ non dicitur, nisi volente eo, qui obtinuit, et qui solus promulgandi ius habuit a rescribente. Ratio summa est hæc.

7 Rescriptum, priusquam pręsentaretur, potuit ab obtinente retineri, & lacerari, postquam vero præsentatum, & promulgatum quasi est, valere cępit quasi lex, cui renunciari deinceps non posset, renuente decreto. Itaque cõmunem Scribentium scholam, quæ absolute negat, posse renunciari, tunc recipio, cum exhibitum ab eo rescriptũ fuerit, cuius interest; quod not.

α *Sup. c. 248.*
β *cap. præced.*
γ *Ad c. olim de except. n. 5.*
δ *Abb. d. c. dilecto. n. 14.*

An priuilegium primũ generale abrasum videri possit ex secũdo speciali. *Ad c. Veniens. de præscript.* Cap. CCLIIX.

1 *Pri-*

1 *Priuilegium in facto consistit.*
2 *Et accipi ita debet, ut alteri non præiudicet.*
3 *Princeps limitare potest generale indultum. 5.*
4 *Lex, quamuis dura, seruanda est.*

QVod de rescripto asseruere Scribentium scholæ,[α] inficiantur vtique de priuilegio;[β] nec mirum, cum æstimarint simul, rescriptum sui natura secundum ius,[γ] priuilegium vero contra ius necessario esse[δ], quod nec placuit,[ε] nec placet.

Negant itaque, priuilegium generale præcedens per secundum speciale minui posse, si prioris mentio facta non fuerit, idq; expressum putant in *c. veniens. de præscript.* Sed illic, vel vtrumque priuilegium speciale est, vel alterius quæstionis canon ille est, vt infra.[ζ]

Addunt, priuilegium esse priuatam quandam legem, seu priuatum, & particulare ius, quod, cum in facto consistat,
1 ignorari præsumitur. *c. 1 de Constit. in 6.* & principali in-
2 dulto illud semper inesse videri, ne Iuri per alterum quæsito quidpiam minuatur. *l. 2. §. si quis a Principe. ff. Ne quid in loco pub. cap. super eo. de off. deleg. cap. quamuis. de Rescrip. in 6. cap. 2. de Decim. eod.* Denique id, quod alteri præiudicat, videri importunitate obtentum supplicãtis, vel ignorantia concedentis[η].

Sed contrarium statuo cum antiquioribus,[θ] nec minus scilicet in priuilegio, quam in cœtero toto Iure generi per speciem derogari. *l. in toto. ff. de reg. Iu. cap. generi. eod. in 6. cap. 1. de rescript. cap. dudum. §. nos igitur. de præb. in 6. cap. quamuis. eod. tit.* esse enim speciei proprium, &

peculiare, vt in eam vehementior confluat voluntas concedentis,[t] etiam in priuilegijs. *d. §. nos igitur, &c.*
Vt autem id credam magis, mouet me; quia generale indultum non abrogatur ex speciali in totum, sed limitatur ex parte aliqua, vt præmitto.
3 Si quæris, an limitare Princeps possit, aut verisimiliter velit, affirmant omnes,[u] quibus nullatenus obstare potuerunt rationes oppositæ, nam hoc vno tolluntur singulæ, quod expressim docuit Bonif. Põt. *in d. §. nos igitur.* Verba hæc sunt. *Nos igitur attendentes, quod & si memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem* (ex generali scilicet gratia) *penes nos tamen nihilominus remansit maior.* Et infra. *Considerantes quoq; quod nos exposito nobis de potestate prædicta, nihilominus literas gratiosas daremus in dictis partibus non habita mentione de ipsa, quia foret absurdum, si tam lata nostra impediretur potestas, & si in omnibus prouisionum literis, quas concederemus in partibus supradictis* (nota) *oporteret nos de sæpe dicta potestate specialẽ facere mentionẽ, &c.* En Pontifex ex generali fauore, quod indulsit alicui, nõ prohibet sibi, ne de eo ipso aliquid decerpat, ne (inquã) alteri de eo gratiã faciat specialẽ, nulla etiam mentione facta generalis concessionis. Et recte quidem (ait Suar.[x]) nam isthæc proprie non contrarietas est duarum voluntatum, sed delibandi ex gratia generali aliquid, siue excipiendi potestas, quam sibi liberam reseruare Princeps, & voluit, & potuit; quod si forte durum id vide-
4 tur, patimur vtique, nam sic lex scripta est. *l. prospexit. ff. qui. & a quib.* Sic nullius est roboris ignorantiæ ratio, tum quia voluntates non pugnant inuicem, vt

di-

dicebam, tum quia ignorantia illa eſt quaſi concomitãs, vt loqui ſolent, haud enim minus concederetur gratia ſpecialis, ſi generalis præcedens in mentem veniret. *d.* §. *nos igitur.* Non valet rurſus altera illa ratio præiudicij, nã iſtud ſemper ineſt gratiæ generali ex declaratione Principis, quapropter, qui generalem gratiam habet, ſcit, aut ſcire debet, ſe huic periculo naturaliter ſubeſse.

α *Vide ſup. c. 253.*
β *Vide gl. ad c. 1. de reſcript. vbi Dec. n. 9. Rip. n. 48. & c. Scripta ad d. l. in toto. vbi Dec. n. 20. Menoch. de præſ. lib. 6. præs. 40. n. 2.*
γ *Sup. c. 247.*
δ *Sup. c. 248.*
ε *Ibid.*
ζ *cap. ſeq.*
η *Sup. c. 247.*
θ *Vide relatos per Abb. n. 10. & alios ad d. c. 1.*
ι *Sup. c. 253. & 255.*
κ *Vide Suar. de ll. lib. 8. c. 39. n. 7. Salas. de eiſdem diſp. 17. ſect. 14. n. 74.*
λ *Sup.*

De eadem re; Et quid viciſſim, ſi primo obtentum priuilegium ſpeciale eſt. *Ad d. cap. veniens. &c.* Cap. CCLIX.

1 *Priuilegium ita accipi ſemper debet, ne alteri inique noceat.*

SI antecedat priuilegium ſpeciale, ſequaturque alterum generale, procul dubio præualet primo obtentum ex eodem Iuris principio, generi per ſpeciem derogari. α Deceptos tamen puto eos, qui expreſſim probari id velint ex *d. cap. veniens. & ex l. 3. C. de Silent. lib. 12.* Non quod agatur in eo canone de duobus priuilegijs ſpecialibus, vt Abbas docet, β ſed quia procul ab eo eſt, quod diſputamus, erat enim vtrumque priuilegium non pluribus, ſed eidem perſonæ indultum, nec potuit poſterius generale anteriori ſpeciali derogare, quia nec præiudicari debuit

Iuri, quod erat alteri tertio reseruatum in priori rescripto; non itaque generalitas id fecit posterioris largitionis, sed alia ratio. Exemplum Canonis est huiusmodi. Paschalis, & Alexander P. P. R. R. speciali fauore indulgēt Monasterio, & Clericis S. Martini de Pannonia, vt a proprio Diœcesano Episcopo Vesprimensi sacramenta recipiant, si Catholicus ille sit, nec Simoniacus; quod si Catholicus non sit, aut Simoniæ vitio laboret, possint ab vnoquoq; Episcopo. Superuenit deinceps generale indultum Clementis Papæ, quo permittitur, vt Clerici illi possint a quolibet Episcopo consequi sacramenta, nullaque fit mentio indulti superioris, quo reseruatum ius fuerat proprio Diœcesano, *si catholicus esset, & bonus Episcopus*. Consultus Innoc. respondet, rescriptum hoc posterius non valere, si mentio facta non fuerit priuilegij primo obtenti. Cur autem non valeat, illud in causa est, quia non præsumitur bonus Pont. voluisse abrogare Ius, quod erat Diœcesano Episcopo in superiori Rescripto reseruatum; *arg. c.*
1 *ex multiplici. de Decim.* nam priuilegium quodlibet ita semper accipi oportet, ne alteri inique noceat,[γ] sit vnum, vel multiplex, eoque maxime (inquit Pont.) *cum & ipse Clemens priuilegium illud concesserit saluis institutionibus nō solum Romanæ Ecclesiæ, sed ipsius etiam Legatorum*. Vide eund. Abb.[δ]

Ad d. l. 3. resp. vt infra[ε].

α *Vide sup. c. prox.*
β *Ibid. n. 11.*
γ *Sup. c. prox.*
δ *d. c. veniens. n. 14.*
ε *cap. seq.*

De

De eadem re, & quid, si priuilegium primo obtentum fuerit iuris corpori insertum. *Ad l. 3. C. de silent. lib. 12.*
Cap. CCLX.

1 *Princeps ignorare non creditur ius, quod commune est omnibus.*
2 *Ius commune omnium continet vtilitatem. 5.*
3 *Princeps, qui liberam testamenti factionem concedit, quid tribuere videatur.*
4 *Rescripta contra Ius elicita refutanda, & cur.*
5 *Concilia sunt Euangelijs proxima.*

D*Ecurionibus, & Silentiarijs* (aiunt Theod. & Valent. *in d. l. 3.*) *etiam si ad superiorem gradum successu meliore transcendunt, omnia priuilegia, quæ iamdudum Diuorũ Principum Iudicio meruerint, legis istius præceptione nouerint esse firmata, non præiudicatura quacumq; generalitate pragmatica.* Non itaque generalitate aliqua auferri priuilegia videbuntur, quæ isti iam fuerint assecuti. Intelligo equidem, quid veniat generalitatis pragmaticæ appellatione, sed quasi id dissimulent Scribentes, hac lege vtuntur, vt doceant, priuilegia, quæ iuris corpori inserta sũt, vt Decurionũ, & Silentiariorũ, ex priuilegijs sequẽtibus nõ aliter abrogari, quam, si de Iure mentio fiat. Pro qua re sępe memorant Honorij 3. Pont. insigne decretum in *cap. ex parte. de Capel. Monach.* vbi ille. *Abbas, & conuentus, &c. occasione literarum Apostolicæ sedis asserunt, sibi esse concessum, vt in singulis ipsorum Prioratibus singuli Monachi commorentur, si pluribus non suppetant facultates eorundem. Cum autem id obuiet Lateran. Concilio, de quo nulla mentio est in literis antedictis* (vide c. 2. de sta. Monach.)

fraternitati tuæ breuiter respondemus, quod huiusmodi literas ab Apostolica sede non credimus emanasse. Quod si per occupationem forsitan emanauerint, nolumus, per hoc derogari Concilio supradicto.

1 Contrarium docet communis schola;[a] nam, vt Princeps ignorare non creditur ius commune.[c] *ap. 1. de Constit. in 6.* ita nec priuilegia (inquit) quæ legum corpori interseruntur [b]. Et probe quidem, sed dum Honorio respondet cũ singulari quodam commento decreti Conciliaris (vti appellant) vix audiri potest.

Videtur equidem valde apertum, quod Honorius definit, non tamen, vt probet, quod probandum erat, priuilegium insertum Iuris corpori non tolli ex sequenti contrario, sed vt suadeat magis, priuilegium concessum contra voluntatem communis legis, maxime prohibentis, non valere, nisi iuri communi fuerit derogatum.

2 Est enim ius commune, quod cunctorum Ciuium continet vtilitatem, nec creditur Princeps, qui Iura tuetur Imperij, velle id conferre priuatim alicui, quo generalis Iuris ratio corrumpatur. *l. si quando. C. de inoff. test.* vbi, *si ta-*
3 *lis concessio Imperialis processerit, per quam libera testamenti factio conceditur, nihil aliud videtur Princeps concedere, nisi, vt habeat legitimam, & consuetam testamenti factionem, neque enim credendum est, Romanum Principem, qui Iura tuetur, huiusmodi verbo totam obseruationem testamentorum multis vigilijs excogitatam, atque inuentam velle e-*
4 *uerti.* Hinc non tam permittendum Iudicibus, quam præcipiendum censuere Impp. *in l. penul. C. de prec. Imp. off.* vt Rescripta contra Ius elicita refutarent, quasi per occu-

pationem obtenta. *d.c.ex parte.* [γ] Forte etiam in casu Honorij agebatur de periculo obseruantiæ regularis, & priuilegium non tantum contra Ius erat, sed & mali nutritiuum, & constitutionibus Ecclesiasticis inimicum, maxime conciliaribus quæ sunt Euangelijs proximæ. [δ] Denique aliud est, si auferri debeat ius commune pro omnibus factum, aliud, si priuilegium Iuri insertum, quod soli priuilegiario prodest, & communi vtilitati, hoc est, æqualitati contrariatur, vnde etiam creditur odij plenum, [ε] & per vim subsequentis priuilegij facile intercidit, quamuis nulla de eo facta mentio fuerit.

α *De comm.scrib.ad c. 1.de Rescript.vbi Dec.n.9.Mant.30.Bero.64. Salas de ll. disp.17.sect.14.n.77.*
β *Omnes post Gl.in c.vt circa.ver.corporali.de Elect.in 6.*
γ *Sup.c.247.& 259.*
δ *Lancell Instit.tit.3.*
ε *Sup.c.250.*

An fraudolosa subreptione, quæ solius formæ causa fuerit, totum rescriptum corrumpatur. *Ad cap. si eo tempore. de Rescript. in 6.* Cap. CCLXI.

1 *Obreptio in sola forma quando noceat.*
2 *In literis, quæ ad beneficia sunt, valet tempus* datæ.
3 *Error Iuris dolosam subreptionem non facit.*

IMpetraturus Mæuius a Principe rescriptum aduersus debitorem suum Titium, dolose narrat Pontifici, stylum esse in Patria, vt causæ de plano audiantur, & sine strepitu. Annuit Pontifex, & iuxta id, quod petitur, & quod narratur, precanti indulget. Si stylus non sit eiusmodi, licet subreptio causa fuerit solius formæ, non totius gratiæ, credimus tamen omnes, corruere rescriptum quoad omnia;

nia; cum enim ſcriptum fuerit *in cap. ſuper literis. de Reſcript.* tunc obreptionem in ſola forma minime obeſſe,
1 cum per ſimplicitatem, aut ignorantiam narratum id fuit, quod narrari non potuit ex vero, ſequitur, obeſſe eam procul dubio, ſi dolus interceſſerit, maxime, cum fuerit ibidem expreſſum, doloſum precatorem in ſuæ peruerſitatis pœnam nullum ex obtentis commodum conſequi poſſe. Adde *cap. ſedes. eod. in fi. l. & ſi legibus. C. ſi contra Ius. &c.*

Sed obſtat Bonif. *in d. cap. ſi eo tempore.* h. v. *Si eo tempore, quo tibi de beneficio cum cura, vel ſine cura mandauimus prouideri, ad obtinendum curatum beneficium idoneam non habebas ætatem, tibi, licet nunc legitimæ effectus ſis ætatis, authoritate literarum huiuſmodi (cum tempore datæ ipſarum adhuc non eſſes idoneus) de beneficio curam animarum habente nequaquam poterit prouideri. Beneficium autem ſine cura (cum ad ipſum ſufficientem tunc ætatem haberes) per eas licite poteris obtinere.* En taciturnitas, & ſuppreſſio ætatis in cauſa fuerat, vt darentur literæ ſub forma alternatiuæ illius, *cum cura, vel ſine cura,* & tamen valere in altero duorum beneficiorum potuere, hoc eſt, in ſimplici.

Celebris eſt definitio Pontificis ob varias, quas habet, interpretationes, [α] ſed, vt mihi quidem videtur, ſolus, primuſque Abbas [β] nodum attingit, cum docet, quęſtionē Bonifacij non ad ſubreptionem illam, quæ ex dolo extet, pertinere, ſed quæ ex ignorantia, vel ſimplicitate. Nec diuinat tamen de Bonifacio aliquid, diſputat enim Pontifex aduerſus Clericum ſupplicantem, qui ſperauerat, poſſe ſe eo modo conſequi beneficium curatum, credens

dens, non literarum diem, sed vacationis inspici oportere; sperauerat (inquam) posse se parçciale beneficium obtinere, si ad legitimam ętatem veniret prius, quam beneficium vacaret, & errore hoc ductus tacuerat, se minorem esse. Sic Pontifex aberranti pepercit, monuitque simul, quale tempus spectari deberet, ibi, *cum tempore da-*
2
3 *tæ*, &c. neque enim nocere potuerat error Iuris, si dolus continuo abesset, aut mala fides. Sic itaque statuo, atque interim dubito, ne locus Bonifacij alterius quæstionis esse videatur.

α *Vide Abb. Dec. & alios ad d.c. super literis. vbi & Bero. in 1. lect. n. 7.*
β *Ibid.*

An subreptio dolosa noceat ipso Iure. *Ad cap. super literis. de Rescr.* Cap. CCLXII.

1 *Dolosæ obreptionis cognitio penes quem. 6.*
2 *Probationes fiunt Iudici.*
3 *Præscriptio mendaciorum quid.*
4 *Dolus in contractibus an inficiat ipso Iure, vel ope exceptionis.*
5 *Et quid de Iure Pontificio.*
7 *Pœna, quæ ipso iure incurri iubetur, intelligitur præuia declaratione.*
8 *Vt in Emphyteusi, & feudo.*

Mirum est, quam secum ipsis luctari videantur, & rationes, & iura. Statuit Innoc. 3. *in d.c. super literis.* ex
1 rescripto dolose obtento, eum, cui mandata Iurisdictio sit, cognoscere de precibus posse, veræ ne illæ fuerint. Qui si
2 recipere probationes debet obreptionis dolosę, vtique Iudex est. *cap. ex literis. de probat. l. quingenta. ff. eod.* E cótrario scribit ibidem Pont. dolosum precatorem in suæ
per-

peruerſitatis pœnam nullum ex obtentis commodum cõſequi poſſe. Adde *c. ad aures. de rescript. c. cæterum. c ſedes. eod. cap. ne captandæ. de conceſſ. præb. in 6. cap. vlt. de fil. præsb. in 6.*

3 In legibus etiam interdum præſcriptione mendaciorum opus eſſe dicitur, hoc eſt, exceptione ſubreptionis. *l. 2. C. ſi contra ius, &c.* interdum cariturũ *penitus* impetratis eũ, qui mendax precator acceſſerit. *l. & ſi legibus. C. eod.* Adde *l. ſi quis obrepſerit.* ibi, *nihil agit. ff. ad l. Corn. de Fal.* & iunge, quod Trib. in *princ. Inſt. quibus ex caus. man. non lic.* ibi. *Nihil agit.*

4 Pugnant & rationes inuicem. Dicunt, eo differre conuentiones, quæ bonæ fidei ſunt, ab his, quæ ſtricti Iuris, vt illas dolus ipſo Iure inficiat, has ope exceptionis. *l. ſi quis cum aliter. ff. de verb. oblig.*[a] reſcripta autem ſtricti Iuris eſſe; *d. c. ſedes. c. Rodulphus. de Reſcript. cap. P. & G. de*

5 *off. deleg.* Sed contrarium huic eſt, quod non ſemel creditum, vtinam ſatis vere,[b] Iure pontificio omnes contractus bonæ fidei eſſe. Addimus, in contractu ſtricti Iuris conueniri eum, qui obſtrictum ſe voluit ſua ipſius promiſſione, licet dolo inductus ſit; in cauſa autem reſcripti eũ, qui nihil ipſe promiſit, qui (inquam) ſe nuſpiam obligauit, ſed grauamen recipit a Principe, & facto aduerſarij; non itaque hæc ſibi ſimilia ſatis eſſe, ſi alia prætereamus, per quæ diſtare videntur toto Cęlo; ſi etiam expreſſas leges, & Canones, & expreſſas, vel ſubauditas reſcriptorũ clauſulas. Quæſtionem habes inuolutam. In eo autem

6 conſiſtere te oportet, quod inficiari nec potes, ſubreptionem eſſe opponendam, probandamque coram illo, qui

li-

literis datus est Iudex. *d.cap. super literis. d.l.2.l.magis puto. §.penul. ff.de reb.eor.&c.* hucusque igitur Iudicem esse eũ, cui mandata Iurisdictio fuerit. Postquam vero allegata fuit, & probata literarum fraus, & Iudex pro subreptione sententiam dixit, hæc tunc quæstio manet. *An ope exceptionis illius elisum rescriptum fuerit, vel potius reddatur retro nullum.* Communis schola γ distinguit inter rescripta, quæ sunt ad beneficia, & quæ ad lites, vt illis obreptio noceat ipso Iure, his ope exceptionis. Crediderim ego, nulla habita distinctione, rescriptum fieri retro nullum, nec sine authore δ nam nec semel responsum a no-
7 bis est, iura aliquid decernentia ipso Iure in pœnã alicuius eo modo accipienda semper esse, vt præcedere debeat declaratio criminis per competentem Magistratum. *cap.cum secundum leges.de hæret in. 6.* ε Addunt exempla de Em-
8 phyteusi, & feudo; cadit enim ipso Iure, qui de feudo, vel Emphyteusi distraxit aliquid inconsulto domino, & tamen, quod dicitur *ipso Iure*, intelligitur Domino volente, & declarante ζ.

α *Vbi Cuiac. & alij*

β *Vide sup c.23.*

γ *Vide Abb ad c.ceterum.n.3.de Rescript.Bero.de comm.ad d. c. super literis. in 1.lect.n.25 & in 2.lect.n.6.Sanch.de Matrim.disp.21.n.75.lib.8.*

δ *Bero.sup.*

ε *Sup c.239.*

ζ *Not.ad l.vlt.C.de Iu.Emph.c.potuit.de loca.c.1.§.1.de prob.feu.alien.per Frid. c.1.§.1.de prob.feu.alien.per Lothar.Vide sup.d.c.239.*

De eadem re, & conciliatus Innoc. 3. *in cap. plerumque de Rescript.* Cap. CCLXIII.

1 *Rescriptum debet intra annum exhiberi, & quando.*

2 Ver-

2 *Verbum* ſtatuimus *noui Iuris promulgatiuum.*

3 *Literæ ſecũdo obtentæ per obreptionẽ quomodo vires aſſumãt.*

P*Lerumque contingit* (ait Innoc. 3.) *quod aliqui, noſtris literis impetratis, illis vti multo tempore poſtponentes, tunc demum eas exhibent, cum aliorum authoritate ab eis, contra quos primitus literas impetrarunt, cœperunt conueniri, dicẽtes, poſteriores literas non valere, vtp. non facientes de prioribus mentionem. Cum igitur non ſit malitijs hominum indulgendum, ſtatuimus, vt ſi quis noſtras literas impetratas in-*
1 *fra annum, poſtquam copiam Iudicum habuerit, ex malitia, vel negligentia poſtpoſuerit vti eis, authoritate poſteriorum literarum valeat conueniri, licet in ipſis nulla de prioribus mentio habeatur.* At hercle, ſi reſcriptum ſecundo obtentum, & quidem cum doloſa obreptione, ipſo Iure deperiret, non poſſet, ſiue ex tempore, ſiue ex alia qualibet cauſa reconualeſcere. *vulg. reg. non firmatur. de reg. Iu. in 6.* & tamen a negligentia, vel dolo primi impetrantis vires reparat, *vt ibi, & cap. ſi autem. eod. tit. de reſcr.* Hæc itaque his, quæ ante diximus, haud leuiter obſtant, vt & id, quod ſtatuit idem Pont. *in cap. vt debitus. de appell.* Sed explicare hunc Canonem poſſis ex ijs, quæ ſupra [a]. Difficultas tota eſt *in d. cap. plerumque.* Credebat Dec. [b] ita poſſe reſponderi, vt procedat in eo Pontifex vlterius decernendo nouum quid in odium negligentis, aut doloſi; ſua debaturq; vt ſic crederet, ex verbis illis. *Cum igitur non ſit malitijs hominum indulgendum, ſtatuimus, &c.* eſt enim
2 verbum illud *ſtatuimus* noui Iuris promulgatiuum, & cõſtat, poſſe Romanum Pontificem id, quod initio nullũ

ex-

extiterit, confirmare. Recessit tamen deinceps, considerans, nihil nouum statui per Innocentium, prætterquam de præfinitione anni, quo exhiberi rescriptum debeat.

Videri tamen poterat satis expressum *in d. cap. plerumque.* id, quod opinatus fuerat Decius de constitutione noui Iuris, si verba attenderis quasi ex personis memorata illorū, qui cum primi literas impetrassent, dolose tamen reticebant. *Dicentes* (ait) *posteriores literas non valere, vtp. non facientes de prioribus mentionem.* Per eos itaque nullitas opponebatur, nec tamen, quod ita opponerent, reprehenduntur a Papa, sed ipse quasi nouum Ius condens sic
3 loquitur. *Cum igitur non sit malitijs indulgendum, statuimus. &c.* decernens, vt conijci potest, in pœnam doli, aut culpæ valere id posse, quod ex se irritum omnino est. Sed male vbique, nam quod statutum *in d. c. plerumque.* est, non potuit nouum esse, cum fuisset istud idem olim expresse sancitum *in d. cap. quod autem.* Olim (inquio) nam tex. *in d. c. quod autem.* est Lucij. 3. qui fuit ante Innoc. Credo itaque, literas secundo obtentas, in quibus priorum literarum mentio nulla fiat, ipso Iure nullas esse, sed nullitate quasi conditionali, *si dolus absit ex alia parte.* Esse igitur in suspenso, quod not. vt & rursus in pendenti est nullitas, si excipiatur de ea, vel non; & consim.

α *Cap 256.*
β *d. c. cęterum. n. 5.*
γ *Sup. c. prox. & c. 256.*

An subreptione dolosa totum rescriptum vitietur. *Ad l. 1. C. si contra Ius, &c.* Cap. CCLXIV.

1 *Qui*

1 *Qui literas malitiose extorquet, cõmodũ ex his nullũ habet.*
2 *Mendacium duplex in supplicante.*
3 *Cinus reprehensus ignorantiæ, & imprudentiæ ab Abb.*
4 *Innoc. Pont. laudatus.*
5 *Canones, & leges se inuicem refouent.*
6 *Iudex datus de subreptione literarum suarum cognoscit.*

INnoc. 3. *in cap super literis. de rescript.* distinctionem inter eos habet, qui dolose, & malitiose literas extorquent
1 Pontificias, & eos, qui per ignorantiam, vel simplicitatem; vt primi nullum omnino commodum ex obtentis literis valeant reportare, secũdi vero emolumentum aliquod ex literis consequantur, nisi eiusmodi sit expressa per eos falsitas, aut supressa veritas, vt, si sciuisset eam Pontefex, non rescripsisset. Est itaque conclusio Papæ. *Ex fraudolosa subreptione, siue obreptione integrum rescriptum vitiari.*

A qua tamen re longissime recedunt primo aspectu Cõstant. & Maxim. Impp. *in d. l. 2.* h. v. *Præscriptione mendaciorum opposita, siue in Iuris narratione mendacium reperiatur, siue in facti, siue in tacendi fraude, pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione datum Iudicem cognoscere debere, & secundum hoc de causa conuenit ferre sententiã.* Loquuntur de eo Impp. qui falsum exprimit, vt ibi. *Siue in Iuris narratione mendacium reperiatur, siue in facti*, aut qui verum supprimit, vt ibi. *siue in tacendi fraude*; sed vtrobique per dolum, & fraudem, cum, qui falsum exprimit, mendax appelletur, & qui verum tacet, *fraudolosus*. Ex hac autem coniunctione, quam faciunt, mendacij, &

fraudis

fraudis, inuerisimilis redditur distinctio Abbatis, (quam
2 alij quoque probant, atque exornant) inter mendacium, quod ex proposito est, & quod in re ipsa, sicut dolum dicimus alium esse ex proposito, alium re ipsa, & sic dolum bonum, & dolum malum, &c. His sic præmissis, en quod statim sequitur. *Iudex datus* (inquiunt Impp.) *debet pro tenore veritatis ferre sententiam de causa, & non pro affirmatione supplicantis*; hoc est, cognita veritate subreptionis, sententiam ferre, vt iuris est, debet, reiecta fraude supplicantis. Sic Iudex datus remanet Iudex meritorum, adeoque subreptio, quãtumuis dolosa, nequaquã impedit, ne possit Iudex in causa procedere. Nec quæso dixerint, hunc Iudicem datum esse alium a delegato, vel simul cũ delegato esse alium Iudicem Ordinarium; nã hæc omnia aerea quasi sunt, & commentitia.

Hanc legem considerans Cinus, simulque desperans, cõciliari eam posse cum opposita lege Pontificia, transire il-
3 lam iubet cum alijs Canonistarum erroribus. Hunc tamẽ Abbas ignorantiæ redarguit, atque imprudentiæ, quasi solitum hæc intemperanter tunc effutire, cum Iuris Canonici contrarietates soluere non potest.

4 Et profecto male reprehenderetur Romanus Pont. vbi plurimum ei debetur; cum enim perdifficilis esset memorata illa diuorũ Principũ lex, per pluresq; haberet interpretationes ab antiquis Cõmentatoribus, & inuicem pugnãtes scribentium sententias, vt Innocentius ipse refert, quarum authores erant Placent. Iacob. & Azo; cum denique Imperatorię ipse leges sub vno, eodemque titulo sibi inuicem contraire viderentur, *vt d. l. 2. et l. et si legibus. C. si. cõ-*

tra Ius. &c. propterea ſapientiſſimus Pontifex ex legum ſimul, & ſcribentium ſententijs nobiliſsimũ Canonẽ quaſi expreſsit, atq; extillauit, &, per Deũ, nec ſtudioſius potuit,
5 neq; excellẽtius, aut ęquius. Cumq; leges nõ dedignentur ſequi ſacros Canones, qui etiã per eaſdem mutuo, vbi oportet, adiuuantur. *c. 1. de op. no. nunc. c. Raynutius. de teſtã.* fateatur oportet Cinus, noſtrum hunc canonem, & cum gratiarum actione recipiendum, & cum laude eſſe.

Nec deſunt vtriuſque loci conciliationes ab ipſis Canonũ interpretibus, quas prætereo, puto enim (nec propemodum ſine authore *ę*) nihil eſſe in lege, quod vel minimũ recedat a canone. Dicitur in lege, ſi exceptio doloſæ ſubreptionis, vel obreptionis fuerit oppoſita, Iudicem datum cognoſcere debere *pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione,* debere (videlicet) non in cauſa procedere ſecundum id, quod affirmatum a ſupplicante eſt, ſed ita procedere, vt requirat, an ſubreptio vera ſit, vel non, *quo facto* (inquiunt Impp.) *ſecundum hoc de cauſa conuenit ferre ſententiam.* Quam vero ſententiam? forte de cauſa principali? Non tibi hoc dicunt Imperatores; immo dum dicunt, ſententiam ferri non debere ſecundum id, quod precator attulerit, ſatis excluditur cauſa principalis, quis enim dubitare vſquam potuit, in meritis cauſæ non eſſe
6 iudicandum pro eo, quod fuerit in precibus affirmatum? Debet itaque Iudex de ſubreptione cognoſcere, eaque demum cognita, ac reperta per ſuam ſententiam reijcere ſupplicantem. Et neceſſaria quidem interpretatio hęc eſt, nam *d. l. & ſi legibus.* ſic habetur. *Et ſi legibus conſentaneum ſacrum Oraculum mendax precator attulerit, carebit*

rebit penitus impetratis. Sic concordant cum legibus Canones γ.

α *Ad d.c. super literis.n.3.*
β *Bero.ibid. n.29.*
γ *Vide sup c.263.*

An & subreptio ex simplicitate, vel ignorantia totum irritet. *Ad l. magis puto. §. penul. ff. de reb.eor.&c.* Cap. CCLXV.

1 *Dolus ex proposito, & dolus in re ipsa.*
2 *Pupilli bona quando distrahi possint, & qua solemnitate.*
3 *At, si obreptum Iudici fuerit nihil agitur.*

NOn potuit Innocentius in tanta legum ambiguitate, Diuorum Principum voluntates ęquius, benigniusq; interpretari, quam, si ignorantiæ, & simplicitati dimitteret aliquid. Iuste igitur, laudabiliterque exposuit in *d.cap. super literis.de Rescr.* ex parte excusaturam simplicitatem, vel ignorantiam, nisi subreptio talis sit, vt retrahere omnino potuerit mentē Principis, aut valde remorari, quod tunc æstimant posse contingere, cum finalem causam respicit totius rescripti.

Sed obijciunt, nam generalis est regula tū legis, tum Canonis, vt mendax precator carere debeat impetratis. *c.sedes.de rescript.l.& si legibus.C.si contra Ius.etc.* At (inquiūt) precator mendax haud tantū in Iure dicitur, qui proposito talis est, sed & qui re ipsa, vtp. ex simplicitate, vel igno-
1 rantia, sicut datur dolus ex proposito, & dolus in re. *l. si quis cum aliter. ff.de Verb.obl.*

Insudant Scribentes circa hæc. Ego statim Innocentio duce responderim, ad eos pertinere Iuris regulam, qui propo-

ſito, & deſtinatione mendaces ſunt, non quire ipſa dolum faciunt; neque aliud voluere, vel idem Pont. *in d. cap. Sedes* ibi. *quia fraus, & dolus*. vel Impp. *in d. l. & ſi legibus.* ibi. *Et ſi nimia mentientis inueniatur improbitas, &c.*
2 Plus obſtat Ip. *in d. l. magis puto. §. penul.* Lex eſt, ne diſtrahantur pupilli bona, niſi æs alienum vrgeat prægraue, & Prætor cauſa cognita decretum ſuum interponat;
3 qua præmiſſa lege ſic habet I.C. *Manet actio pupillo, ſi poſtea poterit probari, obreptum eſſe Prætori.* Cum non diſtinguat iſte, obreptum ne dolo fuerit, vel ſimplicitate, nemo ſic diſtinguere auſus eſt, ſed alij ſingularitatem aliquam in pupillari cauſa quæritant, qua difficultati occurrant, alij decretum Prætoris plus literis ijs comparandum putant, quæ *gratiæ* dicuntur, quam quæ *Iuſtitiæ*, alij demum maioris præiudicij decretum iſtiusmodi volunt eſſe, quam reſcriptũ, quę omnia vaniſſima, & pure cõmentitia. Vera eius loci conciliatio eſt, quę neque Abbatem [a] quidẽ latuit, fuiſſe illic obreptum in cauſa finali totius decreti, quod vbi fit, iam prorſus deficit mens concedentis, vti voluit & Põt. *in d. c. ſuper literis.* ſic ius Ciuile interpretatus, & rei veritatem. Nec dubium, cum narratũ ibi Prætori fuerit, vrgere æs alienum, quod ex integro cauſa extitit prætoriæ conceſſionis. Sic conueniunt rurſus cum legibus Canones.

[a] *d. cap. ſuper literis.*

De eadem re, & clauſula, *ſi preces, &c. Ad cap. 2. de Reſcript.* Cap. CCLXVI.

1 *De clauſula, ſi preces veritate nitantur, plura.*

Alex.

ALex. 3. *in d. cap. 2. Verum* (inquit) *quoniam non credimus ita præcise scripsiße, & in huiusmodi literis intelligenda est hæc conditio. Si preces veritate nitantur, mandamus &c.*, Atqui, si intelligenda conditio ista est, *si preces, &c.* vtique non refert, obreptum ne dolo fuerit, vel simplicitate, vt cumque enim se habeat res, deficere rescriptum oportet, si conditio ipsa deficit.

1 Respondet Abb. [a] & subaudiri clausulam, *si preces, &c.* non negat quidem, quod negare nec potest, nec debet, sed referri illam docet, vel ad exercitum Iurisdictionis, vel ad formam, quæ in rescripto est, non ad merita litis. Alij subaudiri clausulam volunt, cum velit & Pontifex, negāt tamen, quasi defectu conditionis vitiari rescriptum posse, sed falsum præsumi dumtaxat credunt, si scripta illa non fuerit expressim, prout olim de Iure Ciuili. *l. vniuersa. C. de diuer. rescr.* neque aliud sensisse Pontificem, cum ait *d. c. 2. Verum, quoniam non credimus ita præcise scripsisse, &c.* Et scio, quæ alij multi responderint, sed non adducor, vt hic velim singulorum somnia remiscere.

Mihi ea solutio placet; clausulam istam, *si preces, &c.* tēperamentum capere a lege, & canone, maximeque in literis Iustitiæ, quæ secundum ius tradi censentur; [a] itaque rursus distinguendum esse cum eadem lege, seu canone, an dolo, vel simplicitate peccatum a supplicante fuerit, vt *d. cap. super literis.* [b] Nec perperam traditum a quibusdā est, non esse eam potestatem clausulæ istius, vt actum faciat conditionalem, sed vt concedentem quasi expurget, ne videatur fraudibus, ac dolis patrocinari velle, simulq; Iudicem moneat, agendum id prorsus ab ipso, quod iti-

dem facturus Princeps videretur, si Iudicium ipse susciperet, & quidem per legitimos illos tramites, quos signat Innoc. *in d. cap. super literis.* Vide tamen, quæ ad praxim recentiores γ.

α Vide sup. c. 247.
β Sup. c. prox.
γ Maria de Clausi par. 2. cl. 71. Barbo cl. 166.

De eadem quæst. Et quid, si aliud narres, aliud velis, neq; altero alterum valeat contineri. *Ad cap. super literis. c. significante. de Rescr.* Cap. CCLXVII.

1 *Rescriptum stricti Iuris est. 4.*
2 *Error nominis quando excuset, vel minus. 7.*
3 *Item error facti.*
5 *Bona fides supplicantis excusat in sola forma procedendi.*
6 *Rescriptum in causa vacationis per resignationem non extenditur ad Mortem.*
8 *Rerum vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.*

SVpplicasti Romano Pontifici, causam vt tuam delegaret, narrastique simplicitate animi quadam, vel errore, non dolo, non malitia, tibi Seium ex contractu *mutui* teneri. Deinceps obtento rescripto comparuisti coram Iudice, & professus in conuentionali libello es, habere te causam contra Seium quasi obligatum ex contractu *donationis*. Quæritur, an possis, an (inquam) excuseris, cũ simplicitate egeris, non fraude, vt *d. cap. super literis.* Et communiter creditum, [α] tibi literas perijsse, cum non possit *mutui* appellatio sub *donationis* esse vocabulo, adeoque contendere te oporteat de eo, quod rescripti verbis nul-

nullatenus valeat contineri; quapropter quasi e directo obstare tibi tex. *in d. cap. significante.* & a simili quod dicitur de libello Actoris. *l. 1. ff. si Mens. fal. mod. dix. cap. examinata. de Iudic.* & rationem valde apertam, cum sic extenderentur nimium rescripti vires, quod tamen stri-
1 cti Iuris est. *cap. sedes. cap. Rodulphus. de Rescr. cap. P. & G. de off Deleg.*

Nec suffragari tibi potest decretum Innocentij in *eod. cap. super literis.* nam de falsa expressione illa dumtaxat loquitur, quæ rescripti formam intuetur, vt *infra*; non etiam error in nomine iux. *l. his verbis. §. vlt. ff. de hæred. instit. l. si quis in fundi vocabulo. ff. de leg. 1. §. si quis in nomine. In-*
2 *stit. de legat.* nam ille tunc potest allegari, cum de substā-
3 tia constare potest, quæ hic procul dubio latuit rescribētem. Non denique error facti excusabilis iux. *l. Error. C. de Iur. & fa ignor.* nam hic ad summum euicerit, nouum rescriptum peti posse.

4 Sequor itaque vulgatam de hac re sententiam eo potissimum argumento, quod rescriptum stricti admodum Iuris est, vt ante, videlicet, vt gratiam facere non censeatur, præterquam de eo, quod expressum in supplicatione fuerit nominatim, sit persona, res, aut causa. Excipitur ab
5 his sola forma procedendi, vt *d. c. super literis.* nam hæc rescriptum sui natura non extendit, sed qualificat (ita loquor) voluntatemque habet summi Pontificis, cum ad formam reuertatur communis legis, quæ fauorabilior est. Sic expressum in Mutuo nullatenus protēdi poterit ad id, quod expressum non est, ad causam (inquam) donationis, quia Summus Pōtifex voluit super Mutuo Iurisdictio-

nem dare, non super donationem[a].
6 Addo tex. nobilem *in cap. susceptum. de Rescript. in 6.* Supplicatum fuit Papæ pro beneficio vacaturo per resignationem. Concessit Papa; beneficium deinceps vacauit per obitum. Vtique Pontifex in casum mortis libentius rescripsisset, nec tamen rescriptum valuit, quia nulla erat voluntas concedentis in eo, quod expressum non esset.
7 Sin de nominibus placeat disputare, adhuc idem dicendum est, nam hæc nomina, *Mutuum*, & *Donatio*, appellatiua sunt horum contractuum; error autem in aplatiuo nomine vitiat actum. *d.l. si quis in fundi vocabulo.* vbi postquam de errore proprij nominis definitum per hæc verba est. *Si quis in fundi vocabulo errauit, & Cornelianum pro Semproniano nominauit, debebitur Sempronianus, sed si in corpore errabit, nō debebitur.* statim subiungitur. *Quod si quis, cum vellet vestem legare, supellectilem adscripsit, dum putat, suppellectilis appellatione vestem contineri, Pomponius scripsit, vestem non deberi, quemadmodum, si quis putet, auri appellatione electrum, vel aurichalcum contineri, vel (quod est stultius) vestis appellatione etiam ar-*
8 *gentum contineri.* Additur ratio. *Rerum enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.*

a Vide Innoc. Abb. n. 3. Dec. n. 4. ad d. c. super literis.

De eadem re; Et quid, si beneficiaria causa sit. *Ad cap. gratia. de Rescrip. in 6.* Cap. CCLXVIII.

1 *Rescriptum non prorogatur.*
2 *Beneficij licet exigui facienda mentio est a supplicante.*
3 *Non curatur de minimis.*
4 *Error Iuris non excusat.*

Quod

QVod ſcribitur *in c. ſuper literis. de Reſcr.* de forma, ſeu ratione procedēdi, in qua ſimplicitas excuſat, vel ignorantia, vix pertinere ad quæſtionem hanc poteſt, quæ de beneficiarijs rebus eſt. Sic tamen diſputationem hanc noſtram inſtituimus, vt videamus, *an ſubreptio in cauſis beneficialibus, quæ partem aliquam gratiæ tenuit, vitiare totã poßit, ſi pure ab ignorantia proceßerit, aut ſimplicitate ſupplicantis.*

Et communi Scribentium calculo [a] non totam, ſed ex parte creditur vitiare, *vt d. cap. gratia. & cap. ſi eo tempore. de Reſcript. in 6.* Nam in primo abſens Clericus ignorauerat, collatum ſibi beneficium eſſe. In ſecundo errauerat errore quodam Iuris, qui malitiam procul auerteret, vt alibi docui [b], nec potuit in ſecundo non eraſſe, cum alioqui citra controuerſiam totum reſcriptum infici potuiſſet. At (inquiunt nonuulli) quæ ſit ratio cur, Innoc. 3. *in d. cap. ſuper literis.* inter dolum diſtinxerit, & ſimplicitatem, ſiue ignorantiam, nec deinceps tamen eãdem ſuam diſtinctionem in beneficialibus literis repetitam voluerit? Reſp. diſtinxiſſe ita quoque Pontifices in beneficiarijs rebus, vt *d. cap. gratia. cap. ſi eo tempore. cap. ſi beneficia, de præb. in 6.* ſed in literis Iuſtitiæ rem magis explicaſſe, vt Ciuilis Iuris antinomias, implacabileſque Doctorum controuerſias conciliarent; *d. cap. ſuper literis. in princ.*

1 Qui tamen contrarium ſentiunt, [c] vitiarique totum reſcriptum indifferenter volunt, hi moueri interdum ſolent *ex cap. ſuſceptum. de Reſcr. in 6.* Sed cauſam huius deciſionis aliam, atque aliam eſſe, neque ad ſubreptionem pertinere vllatenus, ſed ad prorogationem reſcripti, quæ non

ha-

habeat voluntatem concedentis, dixi paulo ante. [s] Adde *cap. cui de non sacerdotali. de præb. in 6.*

Itaque pro lapide angulari rursus habent, quod rescripsit
2 Bonif. *in cap. si motu proprio. de præb. in 6.* h. v. ***Si motu proprio alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam huiusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, inualidam volumus reputari. Secus, si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam huiusmodi faciamus, tunc enim quantumcumque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere.*** Ecce, si quis minimum beneficium, quod habet, tacuerit, & quidem generaliter, seu dolo, seu simplicitate, vel ignorantia, nihil agit, nam omnimodo carere beneficio debet, ait gl. [a] Immo videtur Pontifex plus de simplicitate intelligendus (quod vim auget oppositi) nam verisimiliter exiguum beneficiũ siluisse precator creditur, quia putarit, de minima re cu-
3 randum non esse. *l. scio. ff. in integ. restit. cap. terrulas. 12. q. 2.* Respondent omnes, singulare esse, quod illic Bonif. definit, singularemque habere rationem, cum satis cautum sit lege, mentionem faciendam esse beneficij, licet valde exigui, vt *cap. si proponente. de Rescript.*

Addo, videri eum in dolo, qui beneficium tacuerit, licet minimum. *d. cap. si proponente.* Videri (inquam) in do-
4 lo, quia ius non creditur ignorasse, nisi reuera ignorasse se probet, vt benigne excusetur. *d. cap. si eo tempore.* Item [ɔ], quia beneficiorum pluralitas ambitionem nutrit, & militat contra ipsum naturæ ius. Vide, quæ ego alibi. [ς] Denique, quia sic statutum ab Ecclesia fuit, vt præsumptis-

sup-

ſupplicantium fraudibus obuiam fieret. Quare nec valet obiectio *cap. ad audientiam.* 31 *.de Reſcr.* nam illic Clericus ſcire debuit, teneri ſe de præcedentibus literis mentionem facere, cum illas quodammodo vendidiſſet, earũque quaſi precium haberet penes ſe, hoc eſt, penſionem, quæ ſucceſſerat loco beneficij illius; ſic enim loquitur Pont. *Poſt literas taliter venditas.* Ergo dolo egit, qui tacuit; immo facta lex fuit a Pontifice, vt eorum fraudes auerteret, qui procurarent literas, ijſque cum penſionibus renunciarent, vt ſic ſemper noua cum penſionibus beneficia lucrifacerent. Denique, ſi expreſſiſſet Clericus, ſe priores literas ad obtinendam penſionem quaſi vendidiſſe, potuiſſet illa expreſſio remouere Pontificem, ne poſteriores literas daret. Et generaliter, quando beneficiũ habet quis, & nouum aliud appetit, res eſt, quę niſi prorſus retrahere Pontificem, ſaltem remorari valde poſſit, idque ſatis omnino eſt, vt in totum gratia deſtruatur, nec aut malitiæ, aut ſimplicitatis haberi tunc ratio debeat. *d. cap. ſuper literis. cum not.*

α *Vide Abb. & Vetuſtiores ad d.c. ſuper literis. vbi Bero. de comm. in 1. lect. n. 38.*
β *Sup. c. 262.*
γ *Vide gl in d.c. ſi motu proprio. ver. taceatur.*
δ *cap. præced.*
ε *d. ver. taceatur.*
ζ *Sac. Iu. contr. diſſert. 5. c. 11.*
η *Vide Pet. Greg. ibi. num. 6.*

De eadem re. Et quid, ſi male expreſſum quid fuerit inter *dignitatis, & officij* nomina. *Ad cap. ſuper literis. de Reſcript.* Cap. CCLXIX.

1 *Beneficia quæ promptius concedantur.*

2 *Er-*

2 *Error nominis, vel demonstrationis an noceat, vel quando.*
3 *Quæ sunt facti, ignorari creduntur.*
4 *Literæ beneficiariæ ambitiosæ.*
5 *Mandatorum fines diligenter custodiendi.*

QVæstio fuit in Auditorio olim Romano celebris; *An si impetrauerit quis Thesaurariam Senensem, & per ignorantiam, vel simplicitatem dixerit, esse dignitatem, deinceps compertum fuerit, non dignitatem quidem esse, sed officium, talis esse videatur expressio falsi, vt rescriptum corruat quasi vitiosum.*

Et negarunt Auditores[a], vitiari rescriptum, nam, si sciuisset Pontifex, sibi tanquam de officio supplicari, is &
1 promptius, & facilius rescripsisset, indulsissetq; sicut prõptius minora beneficia conferri solent, quam maiora, & facilius ea, quæ numero simplicium sunt, quam, quę parœcialium, aut dignitatum. *cap. de multa. de præben. cap. si eo tempore. de rescr. in 6. c. gratia. de præb. in 6. clem. 1. eod.*
2 Et præterea (inquiunt) aut fuit hic error nominis, aut falsæ demonstrationis. Si nominis, vtique non nocet, quia appellatiuum non est, sed adiecti vice. *l. si quis in fundi. cum gl.*[b] *ff. de leg.* 1. Si demonstrationis, neque hæc quidem vitiabit. *l. falsa. demonstratio. ff. de Condit. & dem.*

Sed videntur hæ rationes quã leuissimæ, nam hic neque in appellatiuo erratum forte est, neque in adiectiuo, aut etiã substantiuo nomine, vel in falsa aliqua demonstratione, sed in genere rei ipsius, de qua quæritur; aliud enim est, sub genere dignitatis esse quid, aliud sub genere officij, nec mihi vllus negauerit, prouideri illi de officio non posse,

ſe, qui mandatum a Pontifice habeat dignitatis.
Nec rurſus dici poteſt, conſtitiſſe Pontifici de corpore, & ſubſtantia rei petitæ (ſic enim loquũtur) Nam licet ſupplicatum de Theſauraria nominatim fuerit, attamen dignitatem non eſſe, ſed officium in Vrbe aliqua, eſt quid
3 facti, quod ſcire non potuit Papa; cumque is Theſaurariam conceperit quaſi dignitatem, deque ea prouidere voluerit, nõ de officio aliquo, dubitandum non eſt, corruiſſe literas quaſi ſubreptione obtentas. *Vide cap. quamuis. cap. cui de non Sacerdotali. de præb. in 6. cap. ſuſceptum. de Reſcript. in 6. l. ſi pupillorum. §. ſi Prætor. ff. de reb. eor. &c.*
4 Quibus & illud probatum ſatis, literas ad beneficia eſſe ambitioſas, nec proinde ſtare illud poſſe, vt, ſi conceſſum id fuerit, quod eſt plus, videatur & id, quod eſt minus, nam & mandatorum fines diligenter ſeruari oportere.
Et quid mirum, nocere errorem poſſe in diuerſitate generis, ſi nocere & alius poteſt, qui longe excuſabilior, in nuncupatione Diœceſis? Vide *cap. ſignificante. de Reſcr.* Impetratum illic reſcriptum fuerat aduerſus hominem Remenſis diœceſis. Conuentus iſte coram Iudice excepit, non eſſe ſe Remenſis Diœceſis, ſed Leodienſis, adeoque irritum reſcriptum eſſe. Fuit quæſitum, quid Iuris, & reſponſum pro irritatione.

α *Vide Abb. ad d. c. ſuper literis. n. 6. Sanch. de Matrim. diſp. 21. n. 35. lib. 8.*
β *Ver. hominum.*

De eadem re, & quatenus ſimplicitati ſubuentum a lege fuerit. *Ad l. 2. C. de in ius voc.* Cap. CCLXX.

1 *Eadem est reuerentia patroni, quæ & parentis.*
2 *Renasci in Iure libertus dicitur, & cur.*
3 *Naturalis Iuris ignorantia nulli prodest.*
4 *In delictis non succurritur ætati ob imprudentiam.*

SImplicitati subuenit Canonum, legumque benignitas sæpenumero. [a] *cap. super literis. de Rescript. l. 1. §. vlt. ff. de Vent. inspic. l. 1. §. vlt. ff. de Eden. l. 2. ff. si quis in ius, &c.* Sed mihi postrema hæc quæstionem facit. Ait Paulus. *Si quis in ius vocatus non ierit, ex causa a competenti Iudice mulcta pro Iurisdictione Iudicis damnabitur. Rusticitati enim hominis parcendum erit.* Parcitur itaque simplicitati illius, qui in ius vocatus non ierit, nec tamen idem fit in consimili causa vocationis in Ius, vt ecce. Non licet liberto Patronum, vel eius liberos, hæredes ve in ius vocare sine venia; Queritur, an si quis animi simplicitate, vel rusticitate vocauerit Patronum in Ius, parcendum ei sit. Et respondet Gordian. in *d. l. 2. C. de in ius voc.* nec rusticitati quidē, aut simplicitati veniam dari. Non est ergo perpetuum hoc, vt simplicitati parcatur, vel ignorantiæ. Sūt, qui negarint, rusticitati, simplicitati ue a legibus veniam dari, præterquam in casibus, quos illæ expresserint nominatim, nam idem Paul. *in l. Regula. in princ. ff. de Iur. & fact ignor.* fœminis ob sexus infirmitatem ignorare ius permittit in quibusdam.

Sed perperam, cum statui regula in contrarium debeat ex innumeris legum exemplis, parcendū scilicet simplicitati esse, vel rusticitati, nisi cōtradicat alicubi lex ex causa. Cur itaq; rusticitas libertum minime excuset in *d. l. 2.* per

eun-

eundem Gordianum ratio traditur. *Cum* (inquit) *naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur*. Ratio naturalis est ratio ipsa reuerentiæ patronalis, & non ea, quam sibi effingunt nostri; *Vt benefacienti benefaciamus*; circa
1 quam se effundunt latius per ineptissima quædam argumenta. Est igitur ea reuerentia Patroni, quæ & Patris. *l. 4. ff. de in Ius uoc.* Et sicut excusare simplicitas non debet irreuerentiam patris, ita nec patroni quidem, qui pater
2 alter est, sicut & renasci in Iure dicuntur liberti, postquã ex seruis, & quasi ex mortuis liberi facti, nouum quasi spiritum per aliam libertatis vitam hausere. Et planum
3 illud est omnibus, naturalis Iuris ignorantiam nulli hominum suffragari, cum lucere omnibus lumen debeat
4 humanæ rationis, hoc est, naturalis rectitudinis. Hinc consultus Vlp. *in l. si ex causa. §. 1. ff. de Minor.* an in delictis subueniri debeat minori ætati ob imprudentiam, negat, & bene.

a gl. d. c. super literis. ver. simplicitatem.

Si quis exemptum se dicat a potestate Iudicis, vel magistratus, an cognoscere Iudex debeat, sua ne Iurisdictio sit. *Ad tit. C. vt nemo in sua cau. Iud. &c.* Cap. CCLXXI.

1 *Iudex, vel magistratus quasi dominium habere dicitur suæ Iurisdictionis.*
2 *Qui prætendit exemptum se ab Episcopo exhibere priuilegium debet.*
3 *Prætor de sua Iurisdictione cognoscit.*
4 *Nemo in sua causa Iudex.*
5 *An sibi ius dicere videatur, qui de propria Iurisdictione cõtẽdit.*
6 *Magistratus iniuriam sibi factam vlcisci debet, & cur.*

7 Pro-

7 *Propriam causam ab aliena quomodo discernamus.*
8 *Priuatamque ab ea, quæ Reip. est.*
9 *Arbitri Iuris ex Canone qui.*

ABb. Panor.[a] & cum eo Canonum, legumque Commentatores in ea plurimum quæstione desudant; *an, & quando valeat Iudex de sua Iurisdictione cognoscere.* Æstimo, communem Scribentium scholam in pluribus deceptam, dum ob quamlibet affectionem Magistratum reijcit de propria authoritate contendentem; inter quę illud, si dicat quis exemptum se ex causa militiæ. arg. *l. si quis in conscribendo. C. de pact.* vel ex alia quacumque; statutum namque est crebriori sententiarum calculo, non posse tunc Iudicem de sua Iurisdictione iudicare, idque
1 ex ratione illa generali, quia Iudex, vel Magistratus quasi dominium habet suæ Iurisdictionis, vnde absurdum videri potest, vt in sua causa Iudex sit quis. *t. t. C. vt nemo in sua cau. Iud.* & quia multa sunt commoda Iurisdictionis exercendæ, quæ perdere Iudex possit, si iudicet aduersus se.

2 Sed quia contrarius erat Rom. Pont. *in cap. cum personæ. de priuil. in 6.* vbi qui prætendit exemptum se ab Episcopo, exhibere priuilegium debet, vt æstimet Episcopus, sua ne Iurisdictio sit, propterea Abb.[b] ita rem inuoluit, vt neq; ipse quidem percepisse satis videatur, quid dicere voluerit, in qua re satis improficue laborat Aug. Bero.[c] cum lex quoque Ciuilis receptioribus placitis plurimum obni-
3 tatur. Ecce enim Vlp. *in l. si quis ex aliena. ff. de Iudic. Si quis* (inquit) *ex aliena Iurisdictione ad Prætorem vocetur,*

debet

debet venire, vt & Pomponius, & Vindius scripserunt; Prætoris est enim æstimare, an sua sit Iurisdictio, vocati autẽ non contemnere authoritatẽ Prætoris; nam & Legati, cæterique, qui reuocandi domum ius habent, in ea sunt causa, vt in ius vocati veniant priuilegia sua allegaturi. Et Paul. *in l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier. Ex quacumque causa* (inquit) *ad Prætorem, vel alios, qui Iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, ut hoc ipsum sciatur, an Iurisdictio eius sit.*
4 Nec valet, quod opponebant, neminem in sua causa Iudicem esse posse; hoc enim, vt male obijcitur, sic male soluitur ab Accursio,[d] & communi schola, cum sentire omnino debuerint, Prætorem æstimantem, an sua Iurisdictio sit, vel non sua, non in causa propria iudicare, sed in causa Magistratus, quæ publica causa est, non pri-
5 uata. Neque enim (inquit Cuiac.[e]) qui æstimat, arbitratur ve, aut statuit, sua ne Iurisdictio sit, sibi ius dicit; non enim sibi ius dicit, hoc est, rei suæ familiari, sed tuetur authoritatem, maiestatemque publicam, ne imminuti Magistratus, & sic quasi reus maiestatis videatur, si potestatem suam non defendat, vt in Asconio est; sic
6 enim iniuriam sibi factam Magistratus vlscisitur, non quasi factam suæ personæ, sed honori, quem sustinet, nec tamen in propria causa ius dicit, quia personam vindicat Ciuitatis, quam ipse gerit. Confert, quod magistraliter Vlp. *in l. 1. §. in propria. ff. quan. appell. sit. Propriam*
7 *causam* (inquit) *ab aliena quemadmodum discernimus? Et palam est, eam esse propriam causam, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet.* Atqui Magistratus, si in Iurisdictione damnum habet, vel emolu-

mentum, non suo nomine habet, sed Reip. vnde etiam
8 sæpe distinguitur priuati causa ab ea, quæ Reip. est. *l. Reip. l. non vero. ff. ex quib. caus. maior. &c.*
Non itaque leuis quælibet causa, non (inquam) leuis quælibet commoditas, vel incommoditas reijcere iudi-
9 cantem debet, vnde & iusto Canone prospectum hodie est, vt arbitri eligantur, qui de suspicione cognoscant. *c. cum speciali. de appell.*

α Ad c. super literis. n. 10. de Rescrip.
β Sup.
γ Ibid. in 2. lect. n. 83.
δ Ad d. l. 2. in gl. 2. ff. si quis in ius, &c.
ε d. l. 2.

De eadem re; si vera falsitas rescripto obijciatur. *Ad cap. 2. de Rescript.* Cap. CCLXXII.

1 *Rescriptum præsumitur verum, donec, &c.*
2 *Notorium indiget declaratione Iudicis.*

SI vera falsitas obijciatur offerenti rescriptum, videlicet non emanasse literas e Curia Principis, & consim. negant,[α] datum per eas literas Iudicem de sua Iurisdictione recte ęstimaturum, cum, qui falsum rescriptum exhibuerit, remitti cum suis literis debeat ad Pontificem puniendus. *d. c. 2.* neque habere intelligatur in hac specie Iudex a suo Principe iudicandi potestatem, sed ab eo, qui rescriptum mentitus est, quod absurdum.
Consentit Bar.[β] si falsitas notoria sit, nam si latens, vel dubia (inquit) poterit tunc scriptus Iudex de falsitate iudicare. *arg. l. Barbarius. ff. de off. Præt. l. si arbiter. C. de Sent. &c.*

Ego

Ego Iudicem indiſtincte opinor de ſua Iuriſdictione poſſe iudicare; nam Pontificis authoritas magis retorquetur *in d. cap. 2.* Præſentauerat illic Clericus reſcriptum a Pontifice obtentum, quo continebatur, vt abſque vlla cognitione cauſæ beneficium ſibi quoddam redderetur. Reſcriptum hoc Pontifex falſum credidit, nec tamen abſtulit Iuriſdictionem ſcripto Iudici, quin ei iuſſit, literas vt inſpiceret, beneficium non reſtitueret, ſed pro aduerſario cauſam diceret, atque impoſtorem Clericum ad ſe mitteret puniendum. Ita nihil aliud ad ſe Pontifex auocauit, quam delinquentis punitionem.
Neque illud valet (quod potiſſimum cuique) nō a Principe haberi hic aliquid ſed a verſuto Clerico; Nam & ſi obtineretur reſcriptum vere a Principe, ſi tamen deinceps opponeretur dolus, omnimodo Iuriſdictionem præberet ſcripto Iudici, cum procul dubio non haberet voluntatem reſcribentis.
Illud autem ridiculum eſt, quod magni faciunt iſti, fabricatorem falſi reſcripti non potuiſſe dare Iuriſdictionem, ſeu in principali ipſa re, ſeu etiam in incidenti. *arg. l. priuatorum. C. de Iuriſd. om. Iud.* non enim ab impoſtura iſta
1 Iuriſdictio obuenit Iudici, ſed a lege, quæ reſcriptum præſumit verum, donec falſitas oſtendatur; idque puto eſſe, quod voluit Bartolus, Iudicem in poſſeſſione eſſe ſuæ Iuriſdictionis, quouſque dubia, aut latens impoſtura eſt. Addiderim ego, licet manifeſta illa ſit, poſſe tamen ſcriptum Iudicem in ea procedere, cum notoria cauſa ſal-
2 tem declaratione indigeat iudicantis, poſtquam vero emanauerit declaratio a Iudice, tunc, ſi quid actum fuerit

ante obiectum crimen falsitatis, irritum fieri. *cap. sua. de off. Vic. iun. l. licet. C. de procur.*

α *Io. And. Compostel. Butr. quos refert, & sequitur Abb. ad cap. super literis. nu. 11. de Rescript.*
β *Ad l. 2. n. 3. C si contra Ius, &c.*
γ *Ibid.*

Consuetudo quæ rationabilis, vel minus. *Ad cap. vlt. de Consuet.* Cap. CCLXXIII.

1 *Ius Ciuile causam peccati non exigit.*
2 *Legis conditiones quæ.*
3 *An cōsuetudo legi cōtraria habere rationē poßit, & quomodo.*
4 *Episcopus, & Capitulum vnum corpus sunt.*
5 *Firmius est iudicium, quod plurimorum sentētijs confirmatur.*
6 *Duo contraria possunt simul esse vera in Moribus.*
7 *Duæ rationes naturales sibi inuicem aduersari poßunt.*

IRrationabilem eam esse, cui lex obsistat, quæ canonicis obuiet institutis, quæ neruum disrumpat Ecclesiasticæ disciplinæ, aut Ecclesię libertatem, primus docuit Glosator. α Addidit Io And. irrationabilem videri illam, quę, vel Canonum sanctionibus improbata, vel improbatę similis. Butr. eo rationabiliorem iudicauit, quo proprius accederet ad finem Iuris, seu Pontificij, & sic ęternę beatitatis, seu Ciuilis, & sic publici Ciuium boni. Hostien. Abb. & alij multi rem esse volunt, quę Iudicis arbitrio dirimenda in totum sit. Sunt, qui rationabilem dixerint eā, quę peccatū non nutrit, & bene, sed aliquanto laxiori disciplina, quam oporteat, si Canonicum ius inspexeris, vel
1 paulo arctiori, si Cęsareū, nam Ciuilis lex non tā peccati

cau-

causam quærit, quam ciuilis vtilitatis. De hac re plura Suar.[c] sed author alioqui valde bonus in hac mihi re certe non satisfacit.
Æstimat Salas[d] ex Sylu. Sot. Sanch. &c. rationabilitatem (ita loquor) consuetudinis ex rationabilitate legis iudicari oportere, scilicet, vt tunc possit consuetudo quasi rationabilis contra Ius aliquid inducere, aut præter Ius, cum talis consuetudo est, vt de ea lex scribi possit; quam ego sententiam recipio libens, nam & quæstiones remouet, & Scribentium querelas gratiose conciliat, cum dolent, nullũ esse Iuris locum, vbi vel adumbrari satis videatur, quæ ra-
2 tionabilis consuetudo sit, quæ ve irrationabilis; iam enim si scimus, quæ sint legis conditiones. *cap. erit autem lex.* 4. *dist.* intelligimus sane, qualis debeat consuetudo esse, vt legem iuste valeat æmulari. §. *ex non scripto. Instit. de Iu. natur. &c.*
3 Hinc & cõtrouersia tollitur Panormitani Abbatis. Nulla (inquit) consuetudo, quæ legi contrarietur, videri ex ratione potest; nam si ius nullum est, quod non ratione cõsistat. *d. cap. erit autem lex. cap. consuetudo. dist.* 1. *l. leges sacratissimæ. C. de ll.* vtique, si legi contraria consuetudo est, simul & rationi erit. *arg. cap. hospitiolum. dist.* 32. *cap. intellecto. de Iureiur.*
Respondebat ille ex alijs, stare oppositum, si vna ratio cõcipiatur, non si plures, quæ diuersos habeant fines, vt ecce. Præcipiunt Canones, vt Episcopus Ecclesiæ suæ negocia gerat cum suo Capitulo. *cap. nouit. cap. quanto. de his,*
4 *quæ fi. a præl. &c.* optima quidem ratione, nam vnum cor-
5 pus Capituli est, atque Episcopi, firmiusque iudicium il-

lud, quod plurimorum sententijs confirmatur. *cap. prudentiam. de off. deleg.* Et tamẽ consuetudo inualuit sæpius contra legem, vt Episcopus posśit sine Capitulo, & a se ipso omnia, quæ *ardua* dicuntur, explicare. *cap. 3. de Consuet. in 6.* idque rationem quoque habet, scilicet, vt citius, promptius, faciliusque, sublatis Clericorum iurgijs,
6 negocia expediantur. Sic (ait Abb.) duo contraria simul vera sunt, si diuersi fines, vt nubere, & non nubere. *cap. nuptiarum. 27. q. 1.*

Ego rem eo modo explico, quo & supra alibi [ε], cum de Iure naturali disputabam. Dixeram, duas rationes natura-
7 les sibi inuicem contrariari posse, nunc idem repetere nõ est animus. Iam si contingat, rationem, cui lex innititur, ex aliqua adueniente circumstantia mutari posse, valebit, præualebitque simul ratio, quæ consuetudinem fouet, quasi, aut plus naturalis, aut plus æqua, aut plus Reip. vtilis

α *d. c. vlt. ver. rationabilis.*
β *Vide Menoch. de Arbitr. casu. 82. n. 1.*
γ *de ll. lib. 7 c. 6. per tot.*
δ *de ll. disp. 19. sect. 5. n. 50.*
ε *cap. 101. 192. 251. & passim.*

An ratio sit de essentia consuetudinis, aut legis. *Ad l. non omnium. ff. de ll.* Cap. CCLXXIV.

1 *Non omnium, quæ a maioribus sunt constituta, ratio reddi potest. 3.*
2 *Lex quibus per se constituatur.*
4 *Lex ratione consistere cur dicatur, aut quo sensu.*

CVm non omnium, quæ a maioribus sunt constitu-
1 ta, ratio reddi posśit. *d. l. non omnium.* credebat Bal.

non

a non esse rationem de essentia legis, adeoque nec cõsuetudinis quidem. Sed & idipsum sensisse videtur Vlp. *in l. prospexit. ff. qui, & a quib. &c.* cum legem intuens, quæ non tam ratione niti videretur, quam legislatoris placito; *quod quidem* (inquit) *per quam durum est, sed ita lex scripta est.* Adde *l. sciendum. 63. ff. de ædil. edi. l. liberum. ff. de Relig. & sumpt. fun.* videbis vtrobique demiratos Gaium, & Vlp. cur leges quædam factæ essent.

Reprehendi in hac re Baldus solet, b & quidem immerito, vt opinor, non enim docuit, legem condi posse, quæ aut ratione deficiat, aut non ex recta ratione sit; sed non esse rationem de substantia legis, quod verum est, alioqui enim, si prorsus ignota esset ratio conditoris, non esset lex, vt accidit tunc quoque, cum ita dubia sunt verba, vt mens

2 conditoris in incerto sit. Lex itaque duobus tantum per se constituitur, voluntate scilicet, & verbis, quę si certa sunt, non est cuiusuis hominis de vnaquaque legum sententia arcanam, latentemque rationem assequi, neque oportet rursus, nos in perscrutandis legum causis plus ęquo sollicitos, anxiosq; esse, alioqui (vt Neratius scribit *in l. et ideo. 21. ff. de ll.*) multa ex his, quæ certa sunt, subuertentur. c Atque ita accipies quod Iulianus scribit *in d. l. non*

3 *omnium.* & quod Vlp. *in d. l. prospexit.* (cuius rationem haberi etiam posse sperarunt aliqui d) aut quod idem Vlp. & Gaius *in d. l. sciendum. & d. l. liberum.*

Quod itaque passim dici solet, legem ratione consistere,

4 aut rationem legis animam legis esse, interpretationem ab eo capit, quod ait Damasus *in cap. Chorepiscopi. 68. dist.* extirpari id oportere, quod ratione caret. Adde *l. 2. C. quæ sit lon. cons.*

Denique, & consuetudo valet, & lex, vtcumque ratio ignoretur, dummodo certa sit constituentis populi, aut Principis authoritas, & voluntas; neque aliud voluisse Baldum, ex eo intelligimus, quod requirit deinceps statim, *an consuetudo contra rationem valeat*, quæ alia, atq; alia quæstio est.

α *Ad l. de quibus. n. 95. ff. de ll.*
β *Vide Menoch. de Arbitr. Iud. casu 83. n. 13.*
γ *Vide Coras. d. l. non omnium. & in Comment. de Iu. Ciu. in arte redig. par. 1. cap. 3. in fi.*
δ *Vide Coras. sup. Ias. in l. ex facto. n. 13. in fi. ff. de Vulg. Alciat. lib. 1. de Vet. sig. n. 14. Menoch. sup.*

An bene præscribi consuetudo dicatur. *Ad cap. vlt. de Consuet.* Cap. CCLXXV.

1 *Aliud præscriptio, aliud consuetudo.*
2 *Consuetudo an ius dispositum, vel disponens. 8.*
3 *Consuetudo non præscribitur, nisi per vsum. 10.*
4 *Consuetudo & facti, & Iuris.*
5 *Consuetudo an proprie præscribi dicatur, vel per analogiam.*
6 *Consuetudo præscribens, & præscripta. 9.*
7 *Consuetudo sub duplici respectu.*

EPitheton, seu conditio *præscriptæ consuetudinis* non alibi legitur, quam in Gregoriano isto canone, qui enim huic concordes videri potuere, hi veræ præscriptionis, non præscriptæ consuetudinis causam continent, vt *cap. Cumana. de Elect. cap. cum Ecclesia. de caus. posses. & propr. cap. cum esses. de testam. cap. vlt. de off. ord. in 6. cap. non est. de consuet. eod.* Et licet confundantur hæc aliquoties, & consuetudinis nomine appelletur quę vera pręscriptio est.

cap.

cap. super quibusdam. de Ver. sig. aliud tamen præscriptio-
1 nem esse, aliud consuetudinem, per plures differentias præclare docent Conna[a] Zas.[b] Fab.[c] Suar.[d] alijque passim, & bene.
Hinc factum est, vt Gregorio Pontifici aduersantes quidam negarint absolute, aut præscribi consuetudinem posse, aut præscriptam bene appellari, eo plurimum argu-
2 mento vtentes, quod consuetudo non est ius dispositum, sed disponens, præscriptio autem vicissim non disponẽs,
3 sed dispositum; cumque non possit consuetudo præscribi, nisi per vsum, (si quidem omne id, quod præscribitur, vsu aliquo præscribi intelligitur) videretur vtique consuetudo per se ipsam præscribi, est enim facti, & iuris, & qua-
4 tenus facti est, hoc est, quatenus actuum frequentia quędam est, vnum, & idem cum vsu est, vt alibi dico[e].
5 Respondent omnes, præscriptionem hanc consuetudinis non esse præscriptionem vere, & proprie, sed per analogiam quandam, vel similitudinem, quam cum præscriptione consuetudo habet, scilicet, vt compleatur vtraque accessione temporis.
6 Consuetudinem ego sub duplici aspectu considero, vel, vt præscribit ipsa aliquid, vel, vt præscribitur ipsa ab aliquo. Consuetudo præscribens est illa actuum frequentia, quæ *moris*, vel *vsus* nomine appellatur, & in facto consistit, vt dicebam. Consuetudo præscripta est ius, quod pro lege habetur, & ex consuetudine illa prouenit, quę facti est. Dicitur autem hoc ius præscriptum, & quasi per consuetudinem illam, quæ facti est, cum accessu temporis acquisitum, quia, vel consuetudo contra Ius est, vel
prę-

præter Ius. Si contra ius, acquirit ipsa sibi ius contra legem, quā vincit. *l. 2. C. quæ sit lon. conſ. d. cap. vlt.* sibi enim aduersus legem potestatem arrogat veteris licentiæ, eandemque inutilem facit, & suo quasi Iure viduatam. Si præter Ius, ipsa sibi legis inducendæ occupat facultatem.
7 Hinc contrariorum solutiones, nam, si consuetudinem respicimus, prout legem primo licentia quadam, deinceps actuum frequētia, & longi temporis accessione vincit, abrogat, & sua quasi potestate denudat, tunc quasi ius
8 dispositum quoddam est, & quasi permissu Legislatoris acquisitum, si contra legem est, si vero præter legem, ipsa tunc sibi facultatem quasi vindicat statuendæ legis, quæ solum Principem decet, hucusque igitur quasi dispositum ius quoddam est, nec tam præscribitur, quam prę-
9 scribit. At si eandem consideremus, non quidem cum respectu aliquo ad legem, sed quoad ea, quæ eius potestati subijciuntur, postquam longo tempore obtenta est, tunc disponens Ius dicitur, neque vltra pręscribens aliquid, sed
10 præscriptum, quo sensu Gregorius loquitur. Sic non tam negamus, quam omnino contendimus, consuetudinem, quæ ius dicitur non scriptum, præscribi per vsum, hoc est, per consuetudinem illam, quæ vsus proprie dicitur, & facti est.

α *Lib. 1. c. 10. n. 8.*
β *l. de quibus. n. 4. ff. de ll.*
γ *Pap. Iurispr.*
δ *De ll. lib. 7. c. 1. in fi.*
ε *Vide sup. c. 107.*

Tempus consuetudinis an definitum, vel arbitrarium. *Ad d. cap. vlt. de Consuet.* Cap. CCLXXVI.

1 De-

1 *Definitio temporis vnde, &c.*
2 *In præscriptione acquiritur contra inuitum.*
3 *Et quid in consuetudine. 6.*
4 *In consuetudine quale Iudicis arbitrium.*
5 *Consuetudini inest præscriptio.*
7 *Princeps quando videatur consuetudini assentiri.*
8 *Tempus consuetudinis expressum implicite.*

NVlla quæstio tam inuoluta, adeo peruicaces Scribentium contentiones; & qui putant, inauditam Iuri Ciuili esse præscriptionē consuetudinis, hi negauerint multo magis, definiri tempus a lege, quo illa coalescat. Erit itaque, vt multis placuit, [a] tempus consuetudinis, quod æstimauerit pro arbitrio Iudex, si quidem in vnaquaque re (aiunt) certi temporis præfinitio, vel a natura esse debet, vel a lege, hic autem de re disputamus, cui nullum tempus præfinire natura potuit, nullum voluit lex. Neq; huc pertinent præscriptionum tempora, aliud enim præscriptio est, aliud consuetudo; & præterea in præscriptio-
2 nibus acquiritur contra eum, qui inuitus priuatur re, quę sua est, adeoque certum aliquod tempus constituendum
3 ei fuit, quo retrahere suum posset, &, si negligeret, puniri; at consuetudo nulli ius suum detrahit inuito, immo tacitum consensum habet populi inducentis, cui prodest
4 quasi sanctior quædam lex [b]. Atque ita illi quidem, addentes insuper, non semel in Iure remitti consuetudinem arbitrio iudicantis. *l. 3. C. de ædif. priu. l. 1. C. quæ sit lon. cōs.* Sed duabis his legibus contrarium potius suadetur, vtrobique enim probanda consuetudo fuit, & seruari, vti

pro-

probaretur, debuit, non enim Iudex consuetudinis arbiter esse potuit, sed interpres, quatenus dubia esset. Fa-
5 temur quoque, aliud esse consuetudinem, aliud prescriptionem, consuetudini tamen inesse præscriptionem diximus, & dicimus, hoc est, acquisitionem aliquam ex tempore, quod cum fuerit generaliter definitum in prescriptionibus, non oportuit in consuetudine expresius declarari.

6 Neque vrget diuersitas illa rationis; immo enim sicut dominium prescribitur, vel aliud ius contra inuitum, ita & consuetudo præscribitur contra Principem nolentem, licet neglexisse videatur; nam Princeps non antea consentire creditur, quam completa consuetudo fuerit, vt & pari ratione priuatus, qui ius suum neglexit, tunc consensisse demum intelligitur, cum impleta præscriptio fuit; quare sicut certum aliquod tempus præscribi oportuit, quo redimere priuatus rem suam posset, se seq; aduersus vsucapionem, seu prescriptonem premunire, ita, & tem-
7 pus aliquod necessarium fuit, quo occurrere Princeps cõsuetudini, eamque paulatim irrepentem posset pro ratione publicæ vtilitatis cohibere.

Assensum itaque sententiæ est, quæ certum aliquod tẽpus inducendæ consuetudini præfinitum docet. Nam, si legitime prescriptam volumus. *d. cap. vlt.* si iuste probatam. *cap. cum dilectus. de consuet. d. l. 3. d. l. 1.* vix intelligi hec posunt, si præscriptionis, si temporis arbiter esse Iudex debet. Nec satis video, quid tam scribentibus doleat, cum non esse legem dicunt, quæ certum aliquod
8 tempus consuetudini adijciat. Nam longam esse volunt

Ca-

Calistr. *in l. non tantum. in fi. ff. de Decur.* Hermog. *in l. sed & ea. ff. de ll.* Alex. *in d. l. 1.* Longęuam Constant. *in l. 2. C. quæ sit lon. cons.* Gregor. *in d. cap. vlt.* Inueteratam Iulian. *in l. de quibus. ff. de ll.* Diuturnam Vlp. *ibid. l seq.* & Iustin. *in §. ex non scripto. Instit. de Iu. nat.* Veterem Papin. *in l. Imperatores. ff. de pollicit.* Antiquam Honor. & Theod. *in l. penul. C. de Iu. fisc. lib.* 10. Vetustissimam, & iugiter obseruatam Anastas. *in l. vlt. C. de priuil. Schol. lib.* 12. At quod longum dicamus, aut longissimum tempus, scimus ex communibus principijs Iuris; igiter, si minus explicite, saltem implicite præfinitum a Iure tempus consuetudo habet.

α *Vide Coras. d. l. de quibus. n 8. ff. de ll. Menoch. de Arbitr. casu. 83. n. 6. Sot. de Iust. & Iu. lib. 1. q. 7. art. 2. Less. de Iustit. lib. 2. c. 6. dub. 14. n. 45.*

β *Conna. lib. 1. c. 10. in princ.*

γ *Gl. Abb. Roch. & alij in d. c. vlt. Bar. Bal. Ias. d. l. de quibus. Vult. d. §. ex non scripto. n. 9. Sylu. ver. consuetudo. q. 2. Moli. de Iust. tract. 2. disp. 77. Suar. de ll. lib. 7. c. 8. n. 7. vbi de com. Salas. ibid. disp. 19. sect. 4.*

An consuetudini decennium sufficiat ex Cęsarum legibus, vel tempus requiratur, cuius initij memoria nulla sit. *Ad l. de quibus. ff. de ll.* Cap. CCLXXVII.

1 *Longum, ac diuturnum quid.*
2 *Populus semper præsens, semper idem.*
3 *In consuetudine spectatur actuum præsentia.*
4 *Vetus, & longæuum quid.*
5 *In consuetudine præscriptio vera est temporis*
6 *Regalia quo tempore præscribantur.*

PRo decennio pugnant, & scholę, & fora; Etenim, si longa esse consuetudo debet, si diuturna. *l. non tantum.*

ff.

ff. de Decur. l. sed & ea. ff. de ll. l. 1. cum Rub. C. quæ sit lon.
1 *cons.* vtrumque assequitur decennio. *Instit. de Vsucap. in princ. l. si cum fideicommissa. §. Aristo. ff. qui, & a quib.* Nam nec distingui hic inter presentes, & absentes potest, cum
2 populus sit semper præsens, & semper idem. *arg. l. cum proponebatur. ff. de Iudic.* nec valde similis consuetudini est discontinua seruitus, quę nisi immemorale tempore non prescribitur, non enim in consuetudine actuum conti-
3 nuitas (sic loqui liceat) sed frequentia eorundem valet. Connanus [η], vel arbitrarium facit tempus consuetudinis, quod nec placuit, nec placet, vel immemoriale, cũ. n. (inquit) inueterata esse consuetudo debeat. *l. de quibus. ff. de*
4 *ll.* scimus vtique, vetus illud esse, quod a nostra memoria longe remotum est, vel quod tantum durat, quantum vita est hominis; alleg. *l. si vsusfructus. ff. quib. mod. vsusf. vel vsus amitt.* Cumque longęuam dixerit Constant. in *l. 2. C. quæ sit lon. cons.* ęuum vtique latinis dicitur longum tempus vsque eo, vt fere sempiternum esse videatur.
Sed neutrum satis, nam, vt promiscue sumitur nomen vetustatis [α], ita ęui quoque. Hinc vetus amor, [β] amicus, [γ] calceus; [δ] lõgęuus senex, lõgęuus parens, [ε] lõgęui capilli. [ζ] Mihi tamen Connani opinio plus suadetur ex diuersitate illa loquendi in legibus, dum, quod longum in vna dicitur, alibi inueteratum, longęuum, vetustissimum, alijsque sępe nominibus appellatur. [η]
5 Addo argumentum valde potens. In consuetudine pręscriptio est temporis, licet consuetudo ipsa prescriptio nõ sit, vt supra latius. [θ] Prescribit autem consuetudo id, quod proprium est Principis, & de Regalibus eiusdem,
vti,

6 vti, appellant, videlicet, abrogandę legis ius, si contra legem est, vel statuendę, si pręter legem [ι]. At Regalia non pręscribuntur, pręterquam centum annorum spatio. *cap. super quibusdam. §. præterea. de Ver. sig.*

Qui respondent, fauorabiliorem esse consuetudinem, quam pręscriptio sit, ideoque compleri per decennium posse, vix est, vt audiri posint.

α *Lib. 1. c. 10. n. 6.*
β *Ouid. Epist. 15.*
γ *Virg. Aeneid. 3.*
δ *Quintil. lib 6. c. 4.*
ε *Virg. Aeneid. 3 et 5.*
ζ *Penes Martial.*
η *Sup. c. prox.*
θ *Sup. c. 276.*
ι *Ibid.*

De eadem re, & pręscriptione consuetudinis ex Canone. *Ad cap. vlt. de Consuetud.* Cap. CCLXXIIX.

1 *Aduersus Ecclesiam quanto tempore præscribatur.*
2 *Lex Ecclesiastica quasi immobile quid.*
3 *Consuetudo quid præscribat.*
4 *Consuetudo legis, & Canonis a pari gradu.*

ABbas Panor. [α] (cum quo & tota Canonistarum schola [β]) si præter ius consuetudo esset, credebat, iure etiam Pontificio decennium sufficere, nisi forte ex ea cō-
1 suetudine iuri detraheretur alicuius Ecclesiæ, tunc enim quadragenario tempore opus esse. *arg. cap. cum Ecclesia. de cau. poss. & propr. cap. auditis. de præscript.* [γ] Quin & centenario (addunt alij) si Romanæ Ecclesię ius minueretur. Sin de consuetudine ageretur contra legem, respōdebat, quadraginta annis rem agi oportere, addebaturque ex
2 quibusdam ratio, quia lex Ecclesiastica est quasi immobile quid. *arg. clem. exiui. de Verb. sig.* cui nulla alia præscri-

ſcriptio nocere poſſet (vt nec reliquis Eccleſiæ immobilibus) quam annorum 40.
Atque hi quidem ſic loquuntur, quaſi nihil aliud conſuetudo ſit, quam præſcriptio, cum tamen in conſuetudine (vt dicebam [δ]) prçſcriptio vtique videatur eſſe quaſi vnum ex requiſitis, ſed non quaſi vnum, & idem, vel (quod aiunt) a tota natura. Quam vero decepti in hac re fuerint, demonſtrat id ſatis, quod paulo ante. [ε] Nam, ſi conſuetudinem metiri omnino volumus ex prçſcriptione, & adamuſſim in ea ſequi prçſcriptionum regulas, cum in eam cauſam inducatur, vt, vel legem ſua poteſtate denudet, vel ſibi arroget ſtatuendç quaſi legis ius, conſtat, ſolo eo tempore compleri illam poſſe, cuius initij memoria nulla ſit, nam non minori tempore prçſcribuntur Regalia
4 principum, vt ſupra. [ζ] Sic a pari procedunt in conſuetudine, & Canon, & lex, vt çſtimarunt veteres Iuris commentatores, quibus nuper acceſſit Leonar. Leſſ. [η]

α *Add c. vlt. n. 11.*
β *Vide Leſſ. de Iuſt. lib. 2. c. 6. dub. 14. n. 46.*
γ *Gl. d. c. vlt. in gl. vlt.*
δ *Sup. capp. prox.*
ε *Ibid.*
ζ *Ibid.*
η *Sup. & Vide Abb.*

Valeat ne conſuetudo, quç errore primum inducta. *Ad l. quod non ratione. ff. de ll.* Cap. CCLXXIX.

1 *In conſuetudine conſenſu populi opus eſt.*
2 *Qui errat conſentire non videtur.*
3 *Quod ab errore eſt, nec rationabile eſſe, nec legitime præſcriptũ (poteſt.*
4 *Conſuetudo extenditur ad ſimiles caſus.*

NEgant comm. [α] quia in conſuetudine conſenſu populi opus eſt, & quaſi conuentione quadam. *l. de quibus. l.*

ſed

sed & ea. ff. de ll. §. ex non scripto. Instit. de Iu. nat. non videtur autem, qui errat, consentire. *l. nihil consensui. in fi. ff. de*
2 tur autem, qui errat, consentire. *l. nihil consensui. in fi. ff. de*
3 *Reg. Iur.* Quod etiam ab errore est, id neque esse ex ratione potest, nec legitimæ præscriptionis capax. § *error. Instit. de Vsucap.* cum tamen, & rationabilis esse, & legitime præscribi consuetudo debeat. *cap. vlt. de consuet.*

Sed obstat Cels. *in d. l. quod non ratione.* h. v. *Quod non ratione introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in alijs similibus non obtinet.* Habes, consuetudinem errore obtẽtam valere quidem in sua specie,
4 sed ad similes causas minime extendi, cum alioqui tamen ius consuetudinis ad similes casus porrigatur. *d. l. de quibus.*

Auctores nostri, [β] cum negare oppositum non audent, fatentur vtique, verum esse; at, dum componere leges volunt, tunc referre putant interdum, an ex toto error consensui obstiterit, vel ex parte aliqua; interdum vero nocere errorem volunt in consuetudine illa, quæ contra legem est, non quæ præter legem, huic enim officere errorẽ posse, si error facti est. *l. si per errorẽ. ff. de Iurisd. om. Iud.* nõ si Iuris, nam si Iuris error sit, valere cõsuetudinem, licet extendi non posit ad similes casus. *d. l. quod non ratione.*

Sic itaque, aut diuinant hi, aut generales legum sententias plus stringunt, quam æquum esse videatur. Et prima quidem distinctio, quæ populi consensum quasi diuidit in partes, aut non facile redigi ad praxim potest, aut vera non est. Posteriorem vero eo dilemmate impugnat Suar. [γ] quod, aut contra legem consuetudo est, aut præter legẽ. Si contra, iam fatentur illi, consistere eam non posse, si fuerit ab errore profecta. Si præter, tunc consistere error

non poteſt, niſi in duplici re; nam, vbi quid conſuetudine inducebatur, aut credidit populus, prohiberi id a lege, aut cenſuit, id præcipi ab eadem. Si primum, non potuit conſuetudo valere, fuit enim animus derogandæ legis, non inducendæ, cumque nihil eſſet, cui detractum populus vellet, id vtique, quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit. Si ſecundum, iam nec valuit quidem cōſuetudo, nam ſeruandæ legis voluntas fuit, & quæ ſecundum legem conſuetudo eſt, verius obſeruantia legis dicitur, quam conſuetudo [δ].

α *Vide ſcripta ad.c. vlt.de conſuet. vbi Gl. Card. Abb. &c. ad d. l. de quibus. vbi Bal.l.2.C.quæ ſit lon.conſ. vbi Bar. De comm. Suar.de ll lib.7.cap.12.n. 1. & 2. Adde relatos per Salas.de ll.diſp.19.ſect.6.n.61.*

β *Gl.& Bal. ad l. 1. C. quæ ſit lon.conſ. Bart.d.l de quibus.n 5.l.diuturna. ff de ll. Abb.d.c.vlt.n.12.vbi Roch.ſect.4.in princ.& paſſim reliqui. Coras.d.l. quod non ratione.*

γ *Sup.n.4.*

δ *Sup.cap.108.*

De eadem re, & exploſa ſententia Suar. *Ad eand. l. quod non ratione.* Cap. CCLXXX.

1 *Præſcriptio non extenditur ad cauſas ſimiles.*
2 *Obtentum aliquid eſſe quo ſenſu intelligatur.* *(pari.*
3 *Conſuetudo non valet, quæ piſcari quem prohibeat, vel aucu-*
4 *Conſuetudo extenditur ad ſimilia.*

REm aggreditur Suar.[α] & reſponſum Celſi bifariam explicat. Credit autem, defendi primum poſſe, ne illud de legali conſuetudine accipere debeamus, ſed de vera præſcriptione. Obſtabant vero duo. Alterum, quia lex Celſi ſub Rubrica illa continetur, quæ *de legibus* eſt, & quę eam præcedunt, vel ſequūtur leges, de conſuetudine

omnes ſunt. Alterum, quia quod legitur in *d. l. quod non ratione (In alijs ſimilibus nõ obtinet)* non poteſt ſimplici prę-
3 ſcriptioni conuenire, quippe quæ vltra propriã causã extendi nõ poteſt ſuapte natura. Occurrit his Suarius, ſed quam frigide? Nec deeſſent forte alia, quæ ſi Suario objiciantur, protinus obmuteſcat doctiſsimus iſte vir.

In ſecunda itaque explicatione pręmittit, reſpõſum Celſi de conſuetudine eſſe, ſed negat, verba illa. *In alijs ſimilibus non obtinet*; eum ſenſum habere, quem vulgo docent; nam neque aliud Celſo propoſitum fuiſſe credit, quam vt oſtenderet, durare non poſſe conſuetudinem huiuſmodi, ſcilicet, vt intelligeremus, cõperto demum errore, nõ eſſe ad ſimiles cauſas producendum id, quod obtentu receptæ per errorem conſuetudinis ſeruatum inter Ciues fuit, cum ambiguum valde ſit, an etiam conſuetudo vndique rationabilis ad conſimiles caſus protrahatur.

Subtile hoc quidem, ſed nõ video ſatis, cur dubitare Celſus debuerit, an conſuetudo, quæ in propria cauſa conſiſtere nõ valet, ad cõſimiles cauſas dilatari poſsit. Eſt etiã valde remotus Suarij ſenſus a ratione literæ, vt conſtat ex
2 ſe, & quod ait Celſus (*deinde conſuetudine obtentum eſt*) indicat ſatis, ſuperque, fuiſſe conſuetudinem immutabiliter receptam in ſua materia, neque aliud quicquam prohiberi, quã extenſionem ad cauſas ſimiles. Quid .n. obſecro ſit, obtentum eſſe aliquid? Audi quod Tull.[a] *Ad Iudicem hoc modo venimus, vt totam litẽ, aut obtineamus, aut amittamus.* Et rurſus.[b] *Malas cauſas sẽper obtinuit, in optima cõcidit.* Nec longe eſt Vlp. *in l. 1. ff. de off. quæſt. Hodieque obtinuit indifferenter, quæſtores creari tam patritios, quã plebe-*

ios. Et *in l. si in aliā. ff. de off. Procons. Et ferias secundum morem, & consuetudinem, quæ retro obtinuit, dare, &c.*

At etiam, si consuetudo nec in sua quidem materia valere posset, non decuisset, vti legislatorem verbis eo modo ambiguis. *In alijs similibus non obtinet.* Potuit enim expresse eam reprobare, vti factum legimus *in l. iniuriarum. 13.*
3 *in fi. ff. de Iniur.* h. v. *Et est sæpissime rescriptum, non posse quē piscari prohiberi, sed nec aucupari, nisi quod ingredi quis agrū alienum prohiberi potest. Vsurpatum tamen & hoc est, tametsi nullo Iure, vt quis prohiberi possit ante ædes meas, vel Prætorium meum piscari, &c.*

4 Sed nec dubium quidem est, legalem, & veram consuetudinem protendi ad similes casus.[δ]

α *De ll lib. 7. c. 12. n. 6.*
β *Pro Comæd.*
γ *De Pomp.*
δ *Inf. c. 282.*

De eadem re, & veriori interpretatione *d. l. quod non ratione.* Cap. CCLXXXI.

1 *Consuetudo vincere rationem non potest.*
2 *Quæ per errorem acceptæ consuetudinis fiunt, comperto errore non retractantur.*
3 *Quod receptum contra Iuris rationem est, non producitur ad consequentias.*

ANt. Faber.[α] non tam nouum quid afferre videtur, quā, quod Suarij fuerat, exornare. Itaq; verba illa; *In alijs similibus non obtinet.* eo modo interpretatur, vt non obtineat in ijs casibus, qui comperto iam errore incidunt, quia nec ius facit huiusmodi consuetudo, cum rationem

vincere nõ possit. *l. 2. C. quæ sit lon. cons.* Nam si ius faceret (ait ille) non tantum obtineret in alijs causis similibus specie, sed etiam traheretur ad consequentias, hoc est, ad alias causas, quæ saltem genere pares essent. Quapropter eam sententiam esse credit responsi illius, vt consuetudo non ratione, sed errore primum inducta, non solum ad consequentias produci non debeat, sed neque in simili-
2 bus illis causis obtinere, quibus ante obtinuit. Iungit tamẽ ex interpretatione Celsi, ea, quæ obtentu illius consuetudinis ante compertum errorem inualuerunt, non reuocari, sicuti neque ea, quæ decreta a seruo sunt, qui per errorem, & liber, & Prætor putabatur. *l. Barbarius. ff. de off. Præt.*

Sed obstant eadẽ prope, quæ & Suario. [β] Puto ego loqui Celsum de consuetudine, quæ non ex alio quopiam irrationabilis est, quam quod errore primũ introducta est, & ideo potuit deinceps, quantũuis cõperto errore, quasi iusta foueri quidem, sed non trahi ad causas similes. Dico itaq; consuetudinem dari posse, quæ inceperit quidem ab errore, sed nec peccatum nutriat quoquo modo, nec communi Ciuium bono contraria sit. Hæc itaque ab errore progressa primum consuetudo, si deinceps comperto errore obtinuerit penes populum scientem, & volentem, seruanda omnino erit in ea causa, ob quam introducta est, nam detecto errore iam ex toto pendet a scientia, & consensu populi. Quia tamen primitus ab errore processit, non est ad similes casus porrigenda, sed in suis quasi limitibus constringenda, optima sane ratione, ne multiplicari errorem facile eueniat, qui vix in sua ipsa causa

3 alendus videatur; sic enim dicimus, id, quod contra rationem Iuris receptum ex causa est, non esse producendũ ad consequentias, sed consistere debere in propria materia. *l. quod vero contra. ff. de ll.* Exemplum forte habes *in l. 3. §. vlt. ff. de supell. leg.* & verba ipsa Celsi, quibus nihil melius conuenire posse videatur, vel aptius. *Quod non ratione* (inquit) *introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in alijs similibus non obtinet.* Sic discrimen primo constituit rationis, & erroris, deinde erroris, & consuetudinis, vt ibi; *errore primum, deinde consuetudine*; quasi dicat; *errore primum, post, & scientia, & consensu populi consuetudinem faciente, &c.*

α *Ad d. l. quod non ratione. In Ration.*
β *Sup. cap prox.*

An simile consuetudinis plus valere Iudici debeat, quam legis. *Ad l. de quibus. ff. de ll.* Cap. CCLXXXII.

1 *Lex dignior consuetudine.*
2 *Lex si deficiat, ad id, quod proximum legi est, recurritur.*
3 *Incrementum alluuionis an cedere Emphyteutæ debeat.*
4 *Et an Vsufructuario, & feudatario.*
5 *Mansum quid.*
6 *Consensus non inducitur, præterquam ex facto.*
7 *Vbi eadem ratio, illic & idem Ius.*

IVlianus *in d. l. de quibus. De quibus causis* (inquit) *scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine introductum est. Et si qua in re hoc defecerit, tunc, quod proximum, & consequens ei est.* Ei, hoc est, consuetudini, sic enim sonant Iuliani verba, & sic exponit

nit Corasius [a].

Sed dubitabatur; nam deficiente lege, & consuetudine, simile legis spectandum videbatur, non simile consuetu-
1 dinis; tum, quia lex dignior est [β], tum, quia solum defi-
2 ciente lege consuetudo vim suam obtinet. *d. l. de quibus.* nec dubium, deficiente lege, ad id, quod proximum legi est, recurri oportere. *l. non est nouum. l. ideo quia. l. non possunt. ff. de ll.*

Practici spectandum primo existimāt, quod similius est; Exinde quod plus rationi congruit, vel æquitati. At in pari causa similitudinis, & ęquitatis, in re quidem mere consuetudinaria, cuius scilicet nulla mentio sit in legibus scriptis (vtp. in quæstione aliqua feudali) simile consuetudinis recipi oportere, in re autē scripti Iuris simile legis[γ]. Cuiac. [δ] rem absoluit ex Basil. & quod scribit Iulianus, *ei*, exponit, hoc est, *rei, de qua agitur.* Qua retenta explicatione, si deficiat scripta lex, & cum ea in casu aliquo etiā consuetudo, id sequi tenemur tunc, quod rei, de qua agitur, propinquius est, seu ex lege, seu ex consuetudine. Si vero par causa propinquitatis videatur, non dubitandū, simile legis præualere; neque oportuit, vt speciem hanc Iulianus definiret, cum antea satis declarasset, consuetudini locum esse tunc, cum scriptis legibus non vtimur, sicut enim consuetudini locum lex præbet, vbi deficit scripta lex, ita & locum præbet simili consuetudinis, vbi desinit simile legis. Tunc autem desinit simile legis, cū, vel nullum omnino adest, vel remotius est, quam simile consuetudinis.

3 Exemplum habet Accurs. [ε] quod notatu dignum censuit

Zas. ζ Quæritur, an incrementum alluuionis cedere Emphyteutæ debeat, an Domino. Nihil de Emphyteuta scriptum in lege habemus, quo definiri quæstio posit; is vero, & Feudatario similis, & Vsufructuario est. In vsu-
4 fructuario certa, atque expedita res est, incrementum alluuionis ei cedere. *l. si Titio. ff. de Vsufr.* In feudatario di-
5 stinctio est. Nam si quis *Mansum* (hoc est, hæredium, seu fundum, vnde se, suamque familiam tueri satis commode posset, & præterea vectigal, seu censum Domino referre) in feudum acceperit, & per alluuionem aliquid fundo accreuerit, tunc alluuio sequitur dominum, si sibi Dominus aliquid reseruarit in *Curte*, hoc est, in villa ipsa, vtp. membrum aliquod habitandi causa, aut Viridariũ; Quod si nihil dominus sibi retinuerit, alluuio tũc ad Vasallum pertinet, vt plenius traditur *in tit. feud. Si de inuestit. feu. contr. fuer. §. similiter. ver. si quis de Manso. vbi Cuiac.* Cui nam igitur Emphyteuta comparabitur? Vsufructuario (inquit Zas.) quia fortius imprimit hic lex scripta, quam consuetudo.

Si cui displiceât hęc, & accipere malit, *ei*, hoc est, *consuetudini*, dicam propositum illic Iuliano fuisse, vt dubitabiliorem casum definiret. Certum vtique erat, deficiente lege ad simile legis eundum omnino esse, & id quidẽ ex Iuliano ipso ante legem hanc; quod enim scripsit *in d. l. non possunt.* depromptum est ex *lib. 15. suorum Digestorum,* & quod scribit *in d. l. de quibus.* promitur ex *lib. 94. eorund.* Sequebatur dubitatio, an deficiente, & lege, & consuetudine, quæ in puncto (vt dicitur) dirimere causam possent, simulque deficiente simili præscriptæ legis, recur-

6 curri ad simile consuetudinis posset. Et negandum videbatur, quia consuetudinarium Ius inducitur tacito consensu populi, consensus autem non inducitur nisi ex facto. Contrarium tamen respondet Iulianus; nam & facti affinitas ad arguendum populi consensum sufficit, ex eo .n. quod populus per longum tempus in causis quibusdam fecit, colligi satis potest, quid ille in similibus causis facturus fuisset, si casus contigisset, vbi enim eadem est ra-
7 tio, ibi ius idem constitui debet, seu expresse, seu tacite. *l. illud quæsitum. ff. ad l. Aquil. &c.*
Vel, ei, dixeris, hoc est, *rei,* de qua dictum ante fuerat. *Et si qua in re hoc defecerit.*

α d.l. de quibus. num. 2.
β Vide prælect. ad Rub. de const. & quæ Sac. Iu. contr. dissert. 1. c. 2. & seq.
γ Vide Zas. d l. de quibus. num. 46.
δ d.l. de quibus.
ε d.l. de quibus.
ζ Ibid.

An vere induci consuetudo non possit, præterquam sciente, & patiente eo, cuius est legem condere. *Ad d. l. de quibus.* Cap. CCLXXXIII.

1 *Ferendæ legis potestas penes quem.*
2 *Consuetudo altera lex.*
3 *Iurium præscriptio quid requirat.*
4 *Consuetudo primum transgressio legis est.*
5 *Et in facto consistit.*
6 *Consensus Principis duplex.*
7 *Lex semper loquitur.*
8 *Consuetudo an induci possit resistente lege.*
9 *Princeps consuetudini consentire quando videatur.*

Ne-

NEgant multi α, induci consuetudinem posse, nisi sciat is, penes quem statuendæ legis ius est, cum id satis expresserit Iulian. *in d.l. de quibus.* h. v. *Nam, cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneãt, quam quod iudicio populi receptæ sunt, merito & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?*

1 Et recte, inquiunt, nam vbi Princeps est, & populus, illic penes Principem, non penes populum ferendæ legis potestas est. *l. 1. ff. de constit. Princ.* §. *sed & quod Principi.*

2 *Instit. de Iu. nat. &c.* Atqui consuetudo altera quasi lex est. §. *ex non scripto. Instit. eod.* quam inciuile esset sic causam habere a populo, vt non eius rei conscius Princeps sit; cũque, vel in consuetudine præscriptio sit, vel sit consuetudo ipsa quasi species præscriptionis, liquet, ius hoc statuẽ-

3 dæ legis præscribi non posse, præterquam sciente, & patiente eo, cuius interest, vt de alijs vulgo dicitur, quæ incorporalia sunt.

4 Denique consuetudo a principio nihil aliud, quam transgressio legis est, quæ a se ipsa obtinere nihil omnino potest aduersus Principem, nisi sciens ipse consentiat.

Sed agere hæc non potuerunt, ne frequentioribus Scribentium placitis contrarium obtineret, β vel vno hoc, quod profitetur Rom. Pont. *in cap. 1. de constit. in 6.* ignorare se

5 consuetudines locorum specialium, quia facti sunt, & in facto consistunt, sic enim loquitur.

Potest tamen vtriusque sententiæ ratio haberi; nam reuera in consuetudine requiritur consensus Principis, & Legislatoris, cum; & posit Princeps resistere consuetudini

in-

inducendæ in posterum, & consuetudo a se ipsa nihil
6 valeat, sed mutuetur vim suam a lege [y]; Consensus vero
Principis discrimen recipit; aut enim personalis est, aut
legalis, & legalem dicere solemus, quem non personali
actu legislator prębet, sed generali aliqua lege in perpetuũ
valitura. Cum itaque sua lege Princeps consuetudinem
7 permiserit, aut receperit, nec minus efficax sit voluntas
statuentis, si per legem loquatur, quæ nusquam silet, quá,
si personaliter aliquid præcipiat (nam & lex nihil aliud
est, quam præceptum) non potest vsquá deesse consensus Principis, quo recepta consuetudo firmetur.

8 Hinc probabile illud, quod sæpius creditum [z], non valere consuetudinem, si prohibeat lex, ne induci posit, tunc enim legalis quoque consensus abrogatur, nisi eiusmodi illa sit, vt æquiparetur priuilegio Principis. *cap. super quibusdam. §. præterea. de verb. sig.*

Neque obstat Iulianus *in d. l. de quibus.* huic enim, vti & alijs, ex solo illo consensu fit satis, qui a lege est, & deficere nuspiam potest. Neque aliud pręseferunt verba illa Iurisconsulti. *Rectissime receptum est, vt leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Nam differentiam constituit fere inter Populum Legislatorem, atque imperantem, qui suffragijs decernit, & populum imperatum, qui tacito consensu inducit quasi legem; Enimuero, si ad introducendam consuetudinem requireretur personalis consensus populi, cum hic nisi suffragijs haberi non posit, concurrere in vnam, eademque consuetudinem videretur consensus duplex, neque aliunde dignosci consuetu-

do

do a lege posset, præterquam ab origine, quod absurdũ quibusdam visum est, qui inauditas quasdam subtilitates liberius consectantur.

At (rursum inquies) quo pacto, vel obtentu debuerit vsquam Princeps in errorem populi consentire, seu transgresionem iustæ legis?

9 Resp. tunc consentire Principem, cum impleta adamussim consuetudo est, atque inde abstergi maculam peccati, qua se populus inquinauerat.

α *Gl. ad c. vlt. de consuet. cum Panor. Gl ad l. 2. C quæ sit lon. consf. Innoc. ad. Rub. de consf. n. 4. Sylu. ver. consuetudo. q. 3. Sot. lib. 1. de Iustit. q. 7. art. 2. Alijq. penes Suar. de ll. disp. 19. sect. 6 n. 62.*

β *De comm. Panor. sup. n. 13. alijq. penes Suar. sup. n. 7. & Salas. 62.*

γ *Dixi in prælect. ad Rub. de constit. & Sac. Iu. contr. dissert. 1. c. 4.*

δ *Dixi in prælect. ad d. Rub. & inf. c. 295.*

An versari in eo consuetudinem oporteat, quod præscribi etiam potest. *Ad c. vlt. de consuet.* Cap. CCLXXXIV.

1 *Laici non præscribunt ea, quæ spiritualia sunt.*
2 *Ius patronatus Ecclesiasticum præscribi a Laicis potest, & cur.*
3 *Immemorabilis consuetudo an spiritualium rerum laicis acquisitionem faciat.*
4 *Præscriptio absque poßeßione non est.*
5 *Laici non poßident res spirituales.*
6 *Immemoralis consuetudo æquiualet priuilegio.*
7 *Prescriptio, cuius initij memoria non est, an valeat sine titulo, & bona fide.* 9.
8 *Et quid in eo, qui incapax posidendi est.*
10 *Consuetudinis, & præscriptionis discrimen.*

AFfirmat Panor. *a* nam vt laici (inquit) pręscriptione, acquirere non possunt ea, quæ spiritualia sunt, ita
1 nec consuetudine. *cap. causam. de præscript. c. Massana. c.*
2 *sacrosancta. de Elect.* Nec recte obijcitur præscriptio Iuris præsentandi, seu offerendi Clericum. *c. querelā. de Elect.* nam istud eo modo præscribitur, quo ex indulgentia Ecclesiæ quasi possidetur. *cap. consultationibus. de Iure patr.* *β*
3 Addit Panor. nec valere consuetudinem quidem posse, si tempus habeat, cuius initij memoria nulla sit. *cap. quanto. cum not. de Consuet.* & ideo statim quærit, valeat ne consuetudo hæc sciente Pontifice, nec contradicente in ijs, quæ cum spiritualia sint, possunt tamen Laicis a Pontifice speciali quadam concessione permitti. Negat vero cum communi Scribentium schola, quia (inquit) consuetudo
4 hæc rationem habere non potest. Addunt alij, præscriptionem absque vera possessione esse non posse. *cap. sine*
5 *possessione. de Reg. Iu. in 6. l. sine possessione. ff. de vsucap.* at non posse Laicum spirituales res vere possidere, sed leniori quodam verbo detinere. *cap. cum Apostolica. de his, quæ fi. a Præl.* Item valere consuetudinem ex consensu illius, qui legem condere potuit, consensu (inquam) legali, vt ante, *γ* at in spiritualibus non tantum non haberi consensum Pontificis per legem, sed dissensum omnimo-
6 do. Alij contra, nam immemorialem consuetudinem, probant æqualem esse priuilegijs Regum, vel Pontificū. *c. super quibusdam. §. præterea. de verb. sig.* & quę priuilegio acquiri posint, præscriptione etiam, vel consuetudine posse, vt *ibi, & cap. duo simul. de off ordin. c. cum contingat.*
7 *de fo. compet.* Ita (inquiunt) nec titulus requiritur in præscri-

ſcriptione huiuſmodi. *c. 1. de præſcr. in 6.* nec bona fides fortaſſe, [d] quia priuilegijs comparatur omnino. Sed repli-
8 cant primi, non valere hęc in eo, qui poſſeſsionis incapax eſt, vt Laicus. [e]

Credo equidem, communis ſententiæ veritatem negari non poſse, nam bona fides ſi deſit, nec immemoralis quidem præſcriptio valere poteſt. *cap. poſſeſſor. de Reg. Iu. in 6.* ſique exhibeatur titulus, qui vitioſus, iniuſtus ve ſit, minus
9 procedit. Et quod dicimus, in præſcriptione iſta non requiri titulum, vel bonam fidem, eo ſenſu accipi debet, vt bona fides, & iuſtus titulus præſumantur pręſumptione illa, quam dicunt Iuris, & de Iure; quapropter conſiliũ eſſe ſolet, & quaſi cautio ijs, qui probare eiuſmodi tempus ſe poſſe confidunt, vt, vel nullum exhibeant titulum ſuæ poſseſsionis, vel talem edant, quem colorare aliquo modo poſsint. [ζ] Et (quod rurſus pertinet ad cauſam poſseſsionis) ſi fides notorie mala, aut ſi titulus indubitanter iniuſtus inficere præſcriptionem poteſt, licet immemorabilem, certe, cum iniuſta poſseſsio rerum ſpiritualium nullo excuſari poſsit obtentu, nemo ambigit, valere pręſcriptionem non poſse, quantum vis antiquam, vel cuius memoria nulla ſit. Sic non ſemper vera eſt regula illa, quæ docet, ea, quę priuilegio quæri poſsunt, etiam conſuetudine poſſe, quę immemorialis ſit, nam Romanus Pontifex ſpiritualia multa conferre Laicis poteſt, quæ nullo vſquã tempore præſcribere ipſi queant.

Hæc fortaſse non ſatis opportune; vbique enim confun-
10 ditur conſuetudo cum præſcriptione, & ibi maxime, cũ de poſſeſsione diſputatur; conſuetudo autem, vt ſic, non
poſ-

posseßionem exigit, sed actuum frequentiam; quin nec bonam fidem desiderat (cum a transgreßione incipiat iustę legis) nec titulum, vel alia quędam η.

α *Ad c. vlt. de consuet. n. 15.*
β *Dixi Sac. Iu. contr. differt. 9. c. 3.*
γ *Sup. c. prox.*
δ *Vide scripta ad d. c. vlt. c. 1. de præscr. in 6. & quæ Pet. Barbo. in Rub. C. de præscr. 30 ann. n. 322. & 348.*
ε *Vide Fely. ad c. accedentes. n. 6. de præscr. Couarr. Variar. lib. 1. c. 17. n. 6. scripta ad d. c. vlt.*
ζ *Vide Barbo. sup.*
η *Sup. cap. 275.*

An poßit vnico actu consuetudo induci. *Ad cap. cum de beneficio. de præb. in 6.* Cap. CCLXXXV.

1 *Consuetudo quid, & vnde dicta.*
2 *Et quibus inducatur.*
3 *Ex actu vnico non elicitur consensus populi.*
4 *Beneficium possessum quasi sæculare, cum regulare esset, mutat conditionem suam.*
5 *In præscriptione sufficit vnus actus, & cur.*
6 *Consuetudo debet esse diuturna.*

Consuetudo, & *ius* dicitur *moribus institutū*, & ab eo dicitur, *quia in cōi est vsu. cap. consuetudo. 1. dist.* At nō
1 potest esse huiusmodi, quin actus habeat frequentes, quos etiam nominatim requirunt Diui Principes. *l. 3. C. de æ-*
2 *dif. priu. l. 1. C. quæ sit lon. cons.* Rebus itidem, factisque inducitur populi, vt loquitur Iulian. *in l. de quibus. ff. de ll.*
3 quod ipsum quoque frequentiam implicat agendorum. Ex vnico demum actu, quantumcumque notorius iste sit, elici non potest assensus populi; & valet protritum illud.

lud. *Vna hirundo non facit ver.*
Explodenda itaq; est distinctio quędam Abbatis Panor. [α] qui, cum non nihil obstare videretur, interesse putat, an actus successiuam causam habeat, vel interruptam. Nam, si successiuam habeat per id tempus, quo possit consuetudo impleri, sufficere eum credit ad inducẽdam consuetudinem, quamuis vnicus sit, non multiplex;
4 idque & Iure, & exemplo. Nam, si Clerico sęculari prouisum de regulari beneficio fuerit, & in eo manserit toto illo tempore, quo perfici consuetudo queat, beneficium illud, & sęculare efficitur deinceps, & appellatione venit beneficij sęcularis. *d. cap. cum de beneficio.* Idemque est, si pons ędificatus in publico diu steterit, &c.
Sed Abb. suo more permiscet consuetudinem cũ pręscriptione, nam de pręscriptione nominatim loquitur Pont. *in d.c.cum de beneficio.* ibi, *vt præscriptio legitima sit comple-*
5 *ta*; & in hac quidem vnicus actus sufficiens est, quia veluti initium est possessionis, per quam præscriptio fit. Nõ itaque durat actus iste, nec successiuam causam habet (cũ prouisio de beneficio, & constructio pontis sint actus successiui, nõ continui) sed effectus solus durare intelligitur, seu terminus illius actus, hoc est, possessio beneficij, & Pontis. At in cõsuetudine impossibile est introduci ius posse, nisi per actuum multiplicationem, nam isti
6 actus per se durare non possunt, cumque consuetudo debeat esse diuturna, [β] vtique talis esse non potest, nisi vel centuplicato factum probare quid valeas, ne dum semel, aut bis. Vide Suar. [γ]

Ad

α *Ad cap. vlt. num. 17. de Consuet.*
β *Sup. cap. 276.*
γ *De ll. lib. 7. cap. 10. num. 2.*

De eadem re, & quot actus requirantur. *Ad l. 3. C. de Episc. aud.* Cap. CCLXXXVI.

1 *Frequenter fieri quid dicatur.*
2 *Habitus ex actibus frequentatis fit.*
3 *Frequens populus, aut Senatus quando dicatur.*
4 *Mos quo pacto confirmetur.*
5 *Consuescere, & consuetudo quid.*
6 *Consuetudinis parens vniformitas obseruationis.*

VEtustiores Iuris Interpretes (referente Bart. [α]) bis, aut ter factum aliquid volunt, vt consuetudo inducatur,
1 hoc enim satis frequens videri posse existimant *ex l. 3. C. de Episc. aud.* vbi Impp. consuetudinem peccandi vocat, si plus, quam semel admissum quid in legem fuerit.
Respondet Bar. nec male; sed meliori nota Cuiacius docet [β], non pertinere id, quod in ea lege dicitur, ad communem vnius Ciuitatis, vel Prouinciæ consuetudinem, de qua disputatio nostra est, sed ad mores dumtaxat vnius hominis, & deinceps ex Græca locutione rem absoluit. Ego, quid illic consuetudo sit, non aliunde percipi volo, quam ex eo, quod relatiue opponitur. Verba hæc sunt. *Qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quam consuetudini deputauerint.* Quod igitur emendatio non est, id in ea lege consuetudo est.
Hæc itaque sententia obtinere non potuit penes eruditos viros, inter quos Connanus [γ] post Aristotelem non patitur, frequens dici posse, quod non sæpius, non pluries re-

petatur; nam ex eo (inquit) quod ſemel, aut bis fortiter geſſit quis, titulum, aut morē ſibi fortis animi non confirmauit, nec geminatũ alicuius virtutis opus hominem vnũ
3 ad habitum virtutis illius perducere dicitur, aut creditur; prout nec frequentem populum, aut Senatum dicimus, ſi duo, vel tres congregati fuerint, ſed bene multos congregatos fuiſſe oportet, valet enim rurſus protritum illud. *Vna, vel altera hirundo non facit ver.*

Et cum dixerimus [δ], ex more reſultare ius conſuetudinis, tot ſubinde actus eſſe debent, atque exempla, quot eſſe oportet ad conſtituendum morem; at hercle mos non cõ-
4 firmatur abſque multa actuum exercitatione, vt ex Tullio [ε] Connanus probat. [ζ]
5 Confirmantur hæc demum vocabulo ipſo *conſuetudinis*; Nam *conſueſcere* eſt applicari ad aliquid, & tã frequenti vſu agere, vt conſuetudinē faciamus, ſic enim legimus in promptuario linguę. Et M.Tull. [η] conſuetudinem definit eſſe *id, quod in Ciuitate ſolitum eſt fieri.* [θ]

Reſolutio itaque huius ſententię eſt, non eſſe in hac ſpecie definiendum certũ aliquē numerum (nã nec definiri quidē poſſe) ſed prudenti hominis arbitrio relinquendũ; deniq; eum actuũ numerũ eſſe oportere, qui ſatis eſſe videatur, vt Ciuibus voluntatis conſtantiã, perpetuitatemq; afferat, quod pro rei magnitudine, grauitate, & conditione poterit bene peritus Iudex æſtimare. *l. 3. C. de ædif.*
6 *priu. l. 1. C. quæ ſit lon. conſ.* Addit Faber, [ι] conſuetudinis parentē eſſe vniformitatem obſeruationis, adeoq; eos actus interuenire oportere, quibus de vniformitate illa conſtare poſſit. *l. nam Imperator. ff. de ll.* vbi quod I. C. ait, *perpe-*

tuo

tuo, actuum pluralitatem significat, & quidem sine interruptione aliqua, vt etiam voluere Abb.[κ] & Cuiac.[λ] quod vero iungit, *similiter*, significat vniformitatem. Sic tot actus numerare oportet, quot requiri videantur, vt verisimiliter transierit ad notitiam populi, quod & receptum comm. apud Canonistas fuit[μ].

Sunt, qui tot actus requiri existiment, vt primorum nulla omnino memoria haberi possit. Et hi quidem obtinent, si obtinere & illud potest, quod alibi disputo[ν], prescriptam non videri consuetudinem, quæ id ipsum non habeat temporis, vt eius initij memoria nulla sit.

α *Ad l. de quibus. ff. de ll.*
β *Obs. lib. 20. cap. 1.*
γ *Lib 1. cap. 10. n. 6.*
δ *Sup. cap. 107.*
ε *2. de Orat.*
ζ *Sup.*
η *In Topic.*
θ *Vide Coras. d. l. de quibus. num. 8. Conna. sup. num. 6.*
ι *Ad l. si de interpretatione. ff. de ll.*
κ *Ad cap. vlt. de consuet. num. 19.*
λ *d. l. si de interpretatione.*
μ *Vide Abb. sup. n. 17. Suar. de ll. lib. 7. cap. 10. num. 5.*
ν *cap. 277. & seq.*

De eadem re, & quid si actus illi iudicarij sint. *Ad l. nam & his. ff. de inoff. test.* Cap. CCLXXXVII.

1 *Assiduum, & frequens quid.*
2 *Stylus bifariam capitur.*
3 *An duæ, vel tres sententiæ consuetudinem faciant.*
4 *Aliud consuetudo, aliud sententia.*
5 *Perpetuo fieri quid dicatur.*
6 *Ex sententijs iudicantium quando consuetudo fieri censeatur.*

SI actus iudiciarij sint, sufficere duos ad inducendam cõsuetudinem, seu stylum plerique autumant, quos reijcit Suar.[a] forte enim de stylo est, quod legitur *in d. l. nam & his.* ibi, *& obtinere aßidue solent.* & quod rursus *in l. 1.*
1 *C. quæ sit lon. consuet.* ibi, *frequenter, &c.* & scimus, quid assiduum dicatur, aut frequens. [b] Rem tamen componit
2 idem author, vt stylum bifariam capere debeamus, vel vt vim legis habentem, & tunc ea omnia requiri ad stylum docet, quæ ad consuetudinem exigi diximus; vel vt non habentem vim legis, sed vt quasi adsuetum quid, quod imitari bene est omnibus ob prudentiam, & conuenientem quendam modum procedendi, & tunc sufficere duos, aut tres actus iudiciales credit, quod & verum est.

3 Sed obstat rursus; nam si duæ, aut tres sententiæ, quæ iudicatam rem fecerint, consuetudinem inducunt, nemo dubitauerit, stylum quoque ex duobus, vel tribus iudiciorum actibus confici posse. De sententijs autem sic loquitur Calistr. *in l. nam Imperator. ff. de ll. Nam Imperator noster Seuerus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum authoritatem vim legis obtinere.*

Credit Cuiac. [c] aberrare eos, qui putent, duas sentẽtias Iu-
4 dicis in eodem genere litis consimiles consuetudinem facere posse; aliud enim consuetudo est, aliud res iudicata; & quod Calistratus ex Seuero respondet, magis retorquetur, cum consuetudinem disiungat ab authoritate rerum iudicatarum per alternatiuam, *aut*, quam extra propriam naturam trahere non oportet, vt infra [d].

At (inquies) fatemur, aliud esse consuetudinem, aliud rē iudicatam, sedcōtendimus, ex iudicatis rebus effici consuetudinem posse, quasi ex notorijs quibusdam exemplis; *d.l.nam Imperator.*

5 Ego vero ex Calistrato contrarium habeo; sic enim loquitur. *Aut rerum perpetuo similiter iudicatarum.* Quid est, quod ait, *perpetuo?* Numquid perpetuo factum dici potest id, quod bis, ter ve factum fuerit? Rursus, si duæ sētentiæ consuetudinem faciunt huiusmodi, an non exemplis iudicabitur? Videbis, quā districte prohibeat id Iustin. *in l.Nemo. C.de sentent.&c.* ibi, *cum nō exemplis, &c.*

6 Sic autem, ni fallor, dirimenda quęstio est. Alia est consuetudo a populo, alia a Magistratibus per Iudicia, atque ideo per alternatiuam, *aut*, disiungi potuere, cum tamen vtraque, & dicatur consuetudo, & sit. Si itaque res iudicatæ complures sint, & similes, aut si de re aliqua, quæ legibus ambigua esset, iudicatum diu fuerit, Iudicia illa vim legis sortiuntur, consuetudinemque inducunt. Nam si populus maxima ex parte rudis, atque illiteratus perenni, & diutina exercitatione consuetudinem facere potest, quanto magis poterunt id Iudices, qui causæ cognitionē habent? quod enim Magistratus faciunt, & Iudices, ipse etiam populus, ipsi (inquam) Ciues facere videntur. At, si duæ sententiæ sint, vel etiam plures duabus, neque accedant requisita alia veræ consuetudinis, hoc est, præsūpta Ciuium conuentio, quæ morem fecisse credatur ex actuum frequentia, temporis etiam diuturnitas, &c. vtique sententiæ illæ eius erunt authoritatis, vt inter litigatores facere ius possint, non inter Ciues.

α *De ll. lib. 7. c. 11. n. 11.*
β *Ex promptuario linguæ, & Briss.*
γ *Obser. lib. 20. c. 1.*
δ *Cap. prox.*

An contradicto Iudicio consuetudinem firmari oporteat. *Ad l. cum de consuetudine. ff. de ll.* Cap. CCLXXXVIII.

1 *Consuetudo publica esse debet.*
2 *Et quomodo inducatur.*
3 *Et per quos actus innotescat.*
4 *Consuetudo existere, & probari Iudici debet.*
5 *Res inter alios acta alijs non præiudicat.*
6 *Magistratus Princeps est Ciuitatis.*

AFfirmant Glosatores[α], quasi qui legerint, oppositum fuisse alicubi, ne valere consuetudo posset, propterea quod non erat in contradicto iudicio obtenta. *cap. Abbate. §. ad hoc autem. de verb. sig.* Sed & Vlp. *in l. cum de consuetudine. ff. de ll. Cum de consuetudine* (inquit) *Ciuitatis, vel Prouinciæ confidere quis videtur, primum quidē illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando Iudicio consuetudo firmata sit.*

1 Et re vera, vix potest consuetudo prouulgari quasi in populo (vt oportet) nisi publice obtinuerit, hoc est, in contradicto partium.

Et quia videbatur obstare *l. nam Imperator. ff. de ll.* ibi, *cōsuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum authoritatem, &c.* quasi vero aliud consuetudo sit, aliud, quod contradicto firmatur, propterea explicant *aut* pro *&*, cū nouum non sit, alternatiuam dictionem disiungere interdum. *l. si ex toto. §. 1. ff. de leg. 1. l. Titio. ff. de leg. 2. l. ille*

aut

aut ille. in princ. ff. de leg. 3. interdum coniungere. *l. ſæpe. ff. de verb. ſig.* [β]

2 Sed contrarium obtinuit frequentioribus votis [γ], & bene; Nam conſuetudo inducitur tacita Ciuium conuentione. *l. ſed & ea. ff. de ll.* tacito itaque Ciuium conſenſu, quem diuturni temporis curſus adprobauerit. *l. de quibus ff. eod. §. ex non ſcripto. Inſtit. de Iu nat. &c.* In ijs autem, quæ induci poſſunt ſolo conſenſu, neceſſaria non eſt authoritas,
3 aut præſentia iudicantis. arg. *l. ſiue apud acta. C. de Tranſact.* conſenſus enim per actus quoslibet, etiam minus ſolemnes, atque extraiudiciarios ſatis ſuperque declaratur. *l. vlt. ff. de reb. eorum, &c.*

Addes, de contradicto bifariam diſputari poſſe. Primo, vt quæſtio fuerit penes Magiſtratum, an conſuetudo eſſet de re aliqua, & Magiſtratus pronunciauerit, conſuetudinem eſſe de illa re, aut ſaltem ſententiam ſuam in laudata illa conſuetudine expreſſim fundauerit. Deinceps, vt nihil Iudex de conſuetudine nominatim expreſſerit, ſed bis iuxta conſuetudinem, cuius non meminiſ-
4 ſet, iudicarit. Vtcumque autem ſe res habuerit, non potuit certe Iudex æquum litigatoribus iudicium ferre, quin probata ei conſuetudo fuerit. At quomodo probari ei legitime conſuetudo potuit, ſi nondum penes alium Iudicem obtenta contradicto Iudicio erat?

At (inquies) erat conſuetudo quidem, ſed non ſatis firma. *d. l. cum de conſuetudine.* pronunciante vero Magiſtratu firmata deinceps fuit. Subſiſto; nam primus ille Iudex, qui pro conſuetudine Ius dixit, id vtique non aliter agere potuit, quam ſi conſuetudo legis vicem obtineret; At quo

pacto vim, aut vicem legis assequi potuit consuetudo illa, quæ contradicto iudicio firmata non fuisset, si necessaria contradictio ista est? At etiam, si rebus iudicatis consuetudo fieret, vt sic, vnicum Iudicium satis esset, saltem in primo illo capite, quo pronunciasset Iudex, de re controuersa consuetudinem esse; nam hęc sententia ius faceret
5 inter omnes, si credimus Zasio; [δ] quod enim vulgo dicimus (ait ille) res inter alios actas alijs non præiudicare, verum quidem est quoad iura Titij, vel Sempronij, sed
6 non quoad publicum ius Ciuitatis, cuius Princeps est Magistratus. *l. spadonem. §. si Ciuitas. ff. de excus. tut.* quapropter, quod is facit, videtur facere ipsa Ciuitas. *l. 1. §. omnia enim. C. de Vet. Iu. enucl.*

α *Ad c. vlt. de Consuet. ad Rub. C. quæ sit lon. cōsuet. ad d c. Abbate. ver. cōtradicto.*
β *Vide Barbo. in dict.*
γ *De comm. Abb. d. c. vlt. n. 16. Aym. cons. 55. n. 6. Socc. cons. 99. n. 3. lib. 1. Vlt. in §. ex non scripto. n. 10. Inst. de Iu. nat. Suar. de ll. lib. 7. c. 11. n. 2. Et pro hac sententia Conna. lib. 1. c. 10. n. 11. Cuiac. obs. lib. 20. c. 1. Coras. d. l. cum de consuetudine. &c.*
δ *Ad l. de quibus. n. 29. ff. de ll.*

De eadem re, & obiectorum conciliatione. *Ad d. l. cum de consuetudine. &c.* Cap. CCXIC.

1 *Confirmari interdum dicitur, quod sat firmum ex se est.*
2 *Sententia Iudicis non constituit seruitutem, sed declarat.*
3 *Confeßio depositarij non inducit obligationem, sed probat.*
4 *Consuetudo difficilis est probationis.*
5 *Nouum non est, a Iurisconsultis consilia dari.*

QVod allegabatur, publicam debere esse consuetudinem, verissimum quidem est, sed non eo sensu, vt contradicto opus sit. Confert istud quidem maxime, vt con

consuetudo probetur, & quasi prouulgetur, sed necessarium non est; cum enim consuetudo, vt dicebamus, præsupponatur nota priori illi Iudici, qui in ea iudicium protulit suum, nec potuerit esse per contradictum nota, satis liquet, notitiam aliunde acceptam, quam ex contradicto, esse ,,.

Habet itaque sententia Iudicis hoc maxime, vt probare consuetudinem possit, si quæ inducta prætenditur, neque aliud Vlpianus voluit *in d.l.cum de consuetudine. Cum* (inquit) *de consuetudine Ciuitatis, vel prouinciæ confidere quis videtur* (hoc est, secundum Cuiac.[a] Si vnus asserit, talem esse consuetudinem, alter vero negat, talem esse) *illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquo Iudicio firmata consuetudo sit.* Sententia Iudicis (ait Cuiac.)
1 confirmauit consuetudinem, quæ iam inualuerat, sic .n. sumitur confirmandi, firmandi, & stabiliendi verbum aliquando. *l.penul.C.de ll. l.ergo.ff.eod. cap. in istis. §. leges. 4.dist.* Confirmauit autem contradicente aliquo, & sic causa cognita, vt in *glosis antiquis* scriptum habetur. Ex contradictione igitur sentētia Iudicis declarauit cōsuetudinem, quæ erat, non etiam fecit consuetudinem, quæ
2 non erat. Sic dicimus, sententiam Iudicis non constituere seruitutem, sed eam, quæ est, declarare. *l. sicut. §.*
3 *sed si quæritur. ff. si seru.vind.* Sic per confessionem depositarij non induci obligationem depositi, probari tamen depositum, quod nisi re non contrahitur. *l. Publia. §. vlt. ff. depos.* Hæc ille, cum quo & alij.[β]

Nec displiciturum credo, quod de eadem re docuit Alber. Rosac. vetustissimus Iuris interpres ,, probante Corasio.

ſio.[δ] Credidit ille, ab Vlpiano conſilium plus dari, quam neceſſitatem vllam imponi, quod ipſum Abb.[ε] Inſtruens quippe Iuriſconſultus eum, qui conſuetudini innititur, monet, animaduertendum eſſe primum, num quandoque iudicatum pro conſuetudine fuerit, hoc enim patefa-
4 cto (inquit) explicatior res fiet, & conſuetudo, quæ valde difficilis eſt probationis,[ζ] ſatis enituerit. Nec nouum
5 eſt, a Iuriſconſultis conſilia dari. *l. 1. ff. de inoff. teſt. l. is qui. ff. de rei vend. &c.*

Minus nocet, quod obijcitur ex *d. cap. Abbate. §. ad hoc autem.* Nam primo diſputabatur illic de præſcriptione Iuris eligendi, non de vera conſuetudine. Deinceps verba illius capitis non ſunt in deciſione Pontificis, ſed in allegatione partis, aduerſus quam definitum a Pontifice eſt; & quatenus a Pontifice eſſent, non interponuntur, vt probent, ſententiam in contradicto Iudicio neceſſariam eſse ad præſcriptionem (hoc enim tam falſum eſt, vt nec potuerit quidem ſomniari) ſed vt oſtendatur, conſuetudinem illam non ſatis indicijs illis probari, quibus aduerſarius niti vellet. Quod itaque in canone iſto legitur, ſemel, aut bis retorquetur. Vide Suar[η].

α *Lib. 20. obſ. c. 1.*
β *Zaſ. l. de quibus. n. 29. ff. de ll. Conna. lib. 1. c. 10. n. 11. Coras. & Fab. d. l. cum de conſuetudine.*
γ *d. l. cum de Conſuetudine.*
δ *Sup.*
ε *conſ. 73 num. 11. par. 2.*
ζ *Z ſ ſup. num. 25.*
η *De ll. lib. 7. cap 11 n 5.*

Qualem oporteat eſse populum, per quem inducenda conſuetudo ſit. *Ad l. de quibus. ff. de ll.* Cap. CCXC.

1 Con-

1 *Consuetudo a populo est quasi imperato.*
2 *Capax legislatiuæ potestatis quis populus.*
3 *Duplex capacitas perfectæ communitatis quoad legem, & consuetudinem.*
4 *Imperfectæ communitati lex non datur.*
5 *Communitas Mercatorum, & Monialium an consuetudinis inducendæ capax.*
6 *Et numquid familia.*

Fatemur vtique, consuetudinem non posse induci, nisi a populo, Ciuitate, communitateque perfecta. Vide *l. sed & ea. d. l. de quibus. ff. de ll. §. ex non scripto. Instit. de Iu. nat. &c. cum not.* Sed falsum esse contendimus, quod plerique existimant, solum illum (populum videlicet) inducere consuetudinem posse, qui & leges condere posit, [a] nec dubitare nunc valemus de hac re, cum ostensum
1 alibi fuerit, [b] consuetudinem a populo non quasi imperante esse, sed quasi imperato, quippe quæ a trasgressione semper incipit iustæ legis.
2 Quocirca in eam sententiam facile descendimus, vt inducere consuetudinem populus valeat, qui posit & legé condere, si liceret, qui (inquam) legislatiuę potestatis capax sit. Esse autem capax tunc creditur, cum perfecta eius populi communitas est, in tantum scilicet, vt legem condere ipsa poset, si libera eset, nec subiecta Principi. Verum, quia nonnihil obstare videbatur, seu a Clericis, qui consuetudinem enutrire aliquam aduersus Canones posunt. *cap. vlt. de consuet. cap. 1. de Constit. in 6.* cum legem condere non posint contra eos; seu a Laicis magis, qui

qui introducunt ſæpe aliquid in materia Religionis, & diuini cultus ex conſuetudine, quod non æque poſsent ex lege (ſaltem hoc tempore, quo ferendæ legis poteſtas in ſpiritualibus eleuata ad ſuperiorem ordinem eſt, & Paſtoribus Eccleſię ſolis demandata) proinde reſolutum eſt,
3 duplicem eſse capacitatem integræ, ac perfectæ communitatis quoad conſuetudinem, & legem, vnam, quæ ferendæ legis ſit, alteram, quæ recipiendæ. Explicant vero ſic. Lex ferri non poteſt, niſi communitati, quæ per-
4 fecta in ſuo ordine ſit; (imperfectæ enim communitati, vt & ſingulis hominibus, non leges fiunt, ſed pręcepta [δ]) cum itaque, & Clericorum, & Laicorum communitates perfectionem eam habeant in ſuo ordine, vt recipere leges queant, nihil obſtabit, ne conſuetudinem quoque in-
5 ducere valeant, nam, ſi quid deeſt, id ſupplet coniunctio Principis, vt alibi dico [ε]. Atque ita prorſus defendendæ conſuetudines ſunt, quas, aut Mercatorum communitas induxerit, aut mulierum (vtp. Monialium) cũ talis vtraque ſit in ſuo ordine, vt recipere leges poſsit; alleg. *l. vlt. C. quæ ſit lon. conſuet.* cum gl. [ζ]
6 Non idem forte de vnica familia diceremus, iſta enim, vt non legis capax, ſed præcepti, quaſi non communitas, aut non ſatis perfecta, conſuetudinem alere nequaquam poſset aduerſus legem. Vide tamen Roch. Curt. [η]

α *Vide Suar. de ll. lib. 7. cap. 9 num. 7.*
β *Sac. In contr. diſſert. 1. cap. 2. & in prælect.*
γ *Ita colligitur ex D. Tho. 1. 2. q. 97. art. 3. ad. 3. vt per Suar. ſup.*
δ *Suar. ſup. lib. 1. cap. 9.*
ε *Sup. cap. 283.*
ζ *Ver. cognoſcitur. & vide Bar. in l. 2. C. de conſt. pec. l. 2. C. quæ ſit lon. conſ. d. l. de quibus.*
η *cap. vlt. de conſuet. ſect. 4. n. 62.*

An consuetudine lex firmetur, aut quomodo. *Ad l. ergo. ff. de ll. &c.* Cap. CCXCI.

1 *Lex vsu non recepta an valeat.*
2 *Lex initio recipienda ab omnibus est.*
3 *Tacito consensui datur, quod negatur expresso.*
4 *Quomodo confirmari consuetudo dicatur contradicto Iudicio.*
5 *Consuetudo nouam legem stabilire dicitur, & quo sensu.*
6 *Iuris causæ effectrices, quæ explicantur latius.*

PRotritum illud est omnibus, vsu non receptam legem non valere [a], quod nō minus falsum, quam vulgo cre-
1 ditum, sed de hac re alibi satis. [b] Si consuetudo legem nō receperit, hanc fateor peremptam iure esse. *l. de quibus. ff. de ll. cap. vlt. de Consuet.* sed vsu abijci legem posse, si dicat quis, reum hunc facio maiestatis, quasi qui inter Principem, & populum ius diuidat sanciendæ legis, quod solius est Principis. *l. 1. ff. de Constit. Princ. §. sed & quod Prin-*
2 *cipi. Instit. de Iu. nat. &c.* Denique non potest populus latam legem non recipere expressa abnuentis destinatio-
3 ne, sed receptam paulatim potest contrarijs vsibus antiquare; sic tacito consensui relinquitur, quod expresso negatur, non enim contumacia fouenda fuit, aut ferenda, sed tantum conniuente Principe reuerens, non renuens, immo laudabilis, moribusque, ac legibus probata transgressio, licet peccati labem continuo contraxisse intelligantur, qui primi statutam legem transgressi, aut qui primos hos fuerint imitati, neque excusabiles efficiantur, quousque contrarius vsus in morem transierit plurimorū. Atque ita quidem credidi olim, & nunc credo; nec me

quæ-

quædam amouent, vel a Iuriſconſultis, vel a Diuis Principibus conſtitutæ leges, quę in eum modum loqui videãtur, vt legem moribus armari velint, ac ſtabiliri, quaſi a ſe ipſa nutantem, ſi fulcrum non habeat conſuetudinis; nam, quid iudicandum de iſtis ſit, explicauimus iam ſatis ex Cuiac.γ cum firmari conſuetudinem ipſam diximus
4 contradicto iudicio, quæ ante contradictum fixa ſatis, firmaque, ac ſtabilis a ſe ipſa eſt. *l. cum de conſuetudine. ff. de ll.* Ita olim intelligebamus, δ quod Gratianus ſcribit poſt Auguſtinum in *cap. in iſtis.* §. *leges 4. diſtin. leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Firmat enim conſuetudo leges, quando populus, qui illas potuit non quidem contradicto, ſed tacito quodam receſſu paulatim abrogare, maluit tamen in perpetuum recipere, cuſtodire, & obſeruare, vt ibi, *ſicut enim moribus, &c.* Et quod ait, Teleſphori legem moribus vtentium approbatam non fuiſſe, idem valet, non enim Clerici repudiarunt legem Pontificis (vti nec poterant) ſed legitima deſuetudine antiquarunt. Eodem modo accipimus nunc, quod reſcribunt duo illi Impp *in l. penul. C. de ll.* ibi. *Cum de nouo Iure, quod inueterato vſu*
5 *non adhuc ſtabilitum eſt, &c.* nam ſtabilire illic nihil aliud, quam interpretari, eſt; loquuntur enim de ambigua lege, quę, cum noua eſſet, claritatem ſumere ab vſu potuit. *l. ſi de interpretatione. ff. de ll.*
6 Aliquanto aſperior eſt Modeſtini locus *in d. l. ergo.* h. v. *Ergo omne ius, aut conſenſus fecit, aut neceßitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo.* Et poſſet ſane hic locus euitari ex multiplici interpretatione Scribentium, vt ecce. *Conſen-*

ſus

ſus (inquiunt) ſcilicet expreſſus Populi, vel Principis, vt in legibus, plebiſcitis, & poſt legem Regiam Diuorum cõſtitutionibus. *Neceßitas*, hoc eſt, Senatuſconſulta, quibus legis ſtatuendæ ius dare neceſſum fuit, cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, vt difficile eſſet in vnũ eũ cõuocari legis ſanciẽdæ cauſa. §. *ſenatuſconſultum. Inſtit. de Iu. nat. &c. l. 2. §. deinde. ff. de orig. Iur.* Vel, *neceſſitas*, hoc eſt, ius gentium, quod vſu exigente, & humanis neceſſitatibus ſibi homines conſtituerunt. §. *ius autem gentium. Inſtit. de Iu. nat. &c. Conſuetudo* denique, hoc eſt, ius Ciuile non ſcriptum, quod fluxit ex interpretatione prudentum ad leges 12. tab. & quia non ſcriptum. *l. 2. §. 2. &* §. *nouiſſime. ff. de orig. Iu.* receptum tamen legis vice, & longa vtendi conſuetudine comprobatum, propterea quoque conſuetudinis nomine nuncupatum eſt. *l. 2. ff. de Vulg. l. 1. ff. de donat. int. vir. & vx. &c.*

Vel (ſi ita mauis) conſuetudo ipſa, de qua loquimur, ius firmauit, non enim ipſa inducit ius non ſcriptum, ſed tacitus populi conſenſus. Conſuetudo itaque, ſi ſuis numeris abſoluta, ſi in eum modum perfecta eſt, vt legalem Principis conſenſum habere videatur, inductum ius firmat, ne poſsit dubitari, quin ius ſit, quod alioqui pro Iure, & lege haberi in poſterum non deberet. Vide Coraſ. & Fab.

Addere etiam poſſis, ius eſſe, quod æquum, bonumque eſt, licet nulla ſtatuta fuerit de eo lex, ius (inquam) eſſe, quod, vel naturali ratione ſuadetur, vel Ciuium bono. Hoc itaque Ius firmari a lege, ſi de eo fiat lex, vel a conſuetudine, ſi vſu conſtabiliatur populi.

α *Gl. ad c.1. ver. frangere. de treg. & pa. vbi Pan. Fely. & alij comm. teste Azor. to.1. Instit. lib.5 c.4. q.1. De comm. Iurist. Suar. de ll. lib.3. c.19. n.1. Gutier. de Iuram. conf. par.1. c.38. n.9. Felic. de Censib. lib.1. c.9. n.2. De comm. Theol. Becan sum. Theol. par.2. tract.3. c.6. q.8. n.2. & 3.*
β *In prælect. ad Rub. de Constit. pag.20. & Sac. Iu. contr. diss.1. c.4.*
γ *Sup. c.289.*
δ *Sup. in d. prælect. & d. diss.1. c.4.*
ε *Vide Merill. Var. lib.1. c.1.*
ζ *d. l. Ergo.*
η *Ibid. in Ration.*

An consuetudo vincat legem. *Ad l. de quibus. ff. de ll. & l. 2. C. quæ sit lon. consue.* Cap. CCXCII.

1 *Rationabilis esse consuetudo debet, & præscripta.*
2 *Item & lex rationem habere debet, qua nitatur.*
3 *Consuetudo, & facti nomen, & Iuris est.*
4 *Vsus est quid facti.*
5 *Copula inter genus, & speciem declaratiua est.*
6 *Ius Canonicum, & Ciuile mutuo si refouent.*

QVęstionem olim a me ipso latius disputatam, nec semel [α], *an consuetudine abrogari lex possit*, non repono, sed solum Constantini locum refrico *in d.l.2.* nam neque mihi ipsi satis, neque alijs feci. Negat Constant. eam esse vim consuetudinis, vt vincere legem queat, quod tamen negare nequaquam potuit. *l. de quibus. ff. de ll.* si subtilitas non valet Græcorum interpretum, hoc est, verbalis quædam consuetudinis a desuetudine differentia, quá recepit Connanus [β] quidem, sed reiecit Cuiac. [γ], & bene. Dixi [δ], ex Iure Pontificio temperãdam rem esse, &, quod ait Constant. consuetudinis, vsusq; longoeui non vilem esse authoritatem, licet non adeo tantam, vt rationem vincere possit, aut legem, sic intelligi oportere; *nisi rationa-*

na-

nabilis consuetudo sit, & legitime præscripta. nam sic temperasse Gregorium Pont. *in c. vlt. de consuet.* a quo Canonum, legumue interpreti recedere nefas sit, nec enim dubium, ijsdem Constantini verbis locutum Pontificem sic antinomiam istam conciliare voluisse, nec minimam pati iniuriam, si ariolatum dixeris præclaræ legis conditorem. Addidi, recipiendum eodem modo esse, quod scribit Alex. Pont. *in cap. cum causa. de sentent. & re iudic. & cap. sane. de tempor. ord.* vsus scilicet, & consuetudinis non minimam esse authoritatem, sed quæ tamen veritati, aut legi non præiudicet; nihilque vltra consuetudinem posse, quam vt eos excuset, qui non paruerunt. Nunc addo etiam, eiusdem Constantini verbis sic explicari, quod dico, vt nisi valde peruicaci ingenio negari non possit. Verba hæc sunt. *Consuetudinis, vsusq́ longæui non vilis authoritas est, verum non vsque adeo sui valitura momento, vt rationem poßit vincere, aut legem.* Hic itaque vnico contexto dicuntur duo, videlicet. *Consuetudo non vincit rationem. Consuetudo non vincit legem.* Sic consuetudinem sibi proponit Constant. quæ sine ratione est, non enim cum ratione pugnaret, si rationem haberet, & hæc ipsa est, quæ nec vincere legem valet. Puto autem consuetudinem nihil aliud Constantino esse, quam inueteratum quendam vsum, qui ex duobus necessarijs alterum habeat, altero deficiat, qui (inquam) requisitum habeat temporis, & quidem longæui, sed non rationis, seu rationalitatis, cum tamen, & rationabilis cõsuetudo esse debeat, & legitime præscripta. *d. cap. vlt.* Certe enim Proculus, qui Principi quæstionem proposuit,

sola temporis vetustate nitebatur, cui iste nõ eam esse so-
lius temporis vim respondet, quantũcumq; illud sit, vt ra-
tionem vincere possit, aut legem, cum nec lex quidem va-
2 leat, si rationem non habeat. *cap. erit autem. 4. dist.*
Hinc, cum dixisset Imperator, *consuetudinis*, statim adiũ-
3 xit, *vsusq; longæui*. Nam, quia consuetudo & nomen facti
4 est, & Iuris; [e] *facti*, prout idem est cum vsu, qui itidem fa-
cti est, neque aliud significat, quam actuum frequentiã.
c. 4. dist. 1. Iuris, prout ex facto ius elicit quasi legis. *c. 5. eod.*
propterea, vt intelligeremus, de quanam consuetudine
tractatio esset, bene apposuit, *vsusque longæui* (nam vsum
5 facti esse dubitandum non est [s]) interiecitque copulam
(que) de cuius natura est, vt non tam coniungat, quam
declaret, quando inter genus ponitur, & speciem; [n] est
enim consuetudo genus, vsus autem species consuetudi-
nis.
Recte itaq; Gregor. Pont. *in d. c. vlt.* cum agnosceret, de
ea consuetudine Constantinum loqui, quæ solo tempore
commendaretur, non ratione (quæ, inquam, facti es-
set, non Iuris, adeoque neque Iuris vim habere posset, vel
si æuo quidem constaret) iisdem Constantini verbis pro-
pemodum vtens, ambiguam Principis constitutionem
quadam quasi paraphrasi explicauit *h. v. Licet etiam lon-
gæua consuetudinis non vilis sit authoritas, non tamen est vs-
que adeo valitura, vt, vel iuri positiuo* (ne dum rationi
scilicet) *debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabi-
6 lis, & legitime præscripta*. Porro Ius Canonicum, &
ius Ciuile mutuo se refouent, adiuuant, declarantque.
cap. 1. de No. op. nunc. &c.

In

α *In Pralect. ad Rub. de Constit. pag. 33. et Sac. Iu. contr. dissert. 1. c. 5.*
β *Comm. lib. 1. c. 10. n. 9. & 10.*
γ *Ad d. l. 2.*
δ *d cap. 5. num. 7.*
ε *Vide sup. cap. 107.*
ζ *Ibid. num. 3.*
η *Vide relat. per Barbo. dict. 110.*

De eadem re, & an certo aliquo Iure probetur, consuetudini hærere assensum Principis. *Ad d. l. de quibus. ff. de ll.* Cap. CCXCIII.

1 *Consuetudo a se ipsa non vincit legem.*
2 *Receptum esse quid quo sensu accipiatur in Iure.*
3 *Naturæ ius immutabile, Ciuium mutabile, &c.*

EX innumeris prope, qui Constantinum componere cum Iuliano tentarunt *in d. l. de quibus. & l. 2. C. quæ sit lon. cons.* placuit mihi olim [α] Vsquez subtilis Theologus: [β] Is, quod ait Constant. *in d. l. 2.* non esse eam vim consuetudinis, vt sui momento vincere legem possit, explicat,
1 *sui momento*, hoc est, *sui ipsius authoritate*, non enim (inquit) quasi a se ipsa vincere legem potest, sed quasi Principis accessione, & placito.

Dixi [γ], consuetudini Principem adsensum præbuisse iam suum per legem generalem; nec dubium, si Pontificiũ ius inspexerimus. *cap. dilectus. cap. vlt. de cons. cap. nouit. de Iudic. cap. in istis. §. leges. 4. dist.* At, si Ciuile ius vel totum perquiramus, aiunt, nullam esse legem, quæ id satis expresserit. Ego vero (si discrimen abroges consuetudinis, & desuetudinis, de quo ante [δ]) nihil opinor tam claruisse in Iure isto, etenim de hac re sic scribit Iulian. *in d. l. de quibus. Quare rectißime illud receptum est, vt leges non solo*

ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur. Legunt aliqui, *reſcriptum eſt*, ſed non bene, ſi tamen reſcriptum de hac re eſſet, iam nihil prohiberet, ne explicatiſſimum haberemus conſenſum legislatoris. *Receptum* vero, non *reſcriptum* dicit Iulianus, & quidem *rectiſſime*, nam & Solon interrogatus, quas le-
2 ges optimas condidiſſet Athenis, eas, reſpondit, quas populus condidiſſet [ε]. Quid autem eſt, receptum aliquid eſſe? Vtique, aut legibus, aut moribus. Et legibus quidem ob vtilitatem. *l. ſeruum. ff. rem pup. ſal. fore* [ζ]; Moribus vero, hoc eſt, vel ipſo gentium Iure. *l. libertinus. l. ſororis. ff. de Ritu. Nupt.* vel interpretatione prudentum, quæ proprio Iuris Ciuilis nomine nuncupata eſt. *l. 2. §. 2. & §. Nouiſſime. ff. de Orig. Iur.*

Denique, ſi Iuliani reſponſum haud ſatis nitidum videri cuipiam poſſit, Iuſtinianus tamen vel primam adoleſcẽtium ſcholam de hac re non ſinit dubitare, cum ait *in §.*
3 *vlt. Inſt. de Iu. nat.* naturale quidem ius fixum, immutabileque eſſe [η], iura autem Ciuilia mutari ſępenumero, *vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata.*

α *In prælect. ad Rub. de Conſtit. par. 1. pag. 39. n. 21.*
β 1. 2. q. 177. c. 17.
γ *cap. 285.*
δ *cap. prox.*
ε *Adde Ariſt. 2. Polit. 7.*
ζ *Vide Briſſ. de Verb. ſig. l. r.*
η *Vide quæ ſup. cap. 101.*

De eadem re; Et an Municipale ſtatutum generali legi pręiudicet. *Ad l. 3. §. Diuus. ff. de ſep. viol.*

Cap. CCXCIV.

1 *Qua*

1 *Quæ pœna olim tenerentur, qui in Ciuitate ſepelirent. 4.*
2 *Imperialia ſtatuta vim vbique obtinent ſuam. 5.*
3 *Statutũ municipale non valet, niſi confirmatum a Principe.*
6 *Et abrogatur per ſequentem legem generalem.*
7 *Statutum de humandis intra vrbem corporibus an rationem habere videatur.*

SI Municipalis conſtitutio communem, ac generalem legem auferre non poteſt, minus hercle poterit conſuetudo. At municipale ſtatutum eo venire poſſe, vt communi legi pręiudicet, negaſſe creditur Vlp. *in l.* 3. §. *Diuus.*
1 *ff. de Sepul. viol.* h.v. *Diuus Hadrianus reſcripto pęnam ſtatuit.* 40. *aureorum in eos, qui in Ciuitate ſepeliunt, quam fiſco inferri iuſsit, & in Magiſtratus eadem, qui paſsi ſunt, & locum publicari iuſsit, & corpus transferri. Quid tamen, ſi lex Municipalis permittat in Ciuitate ſepeliri? Poſt reſcripta principalia an ab hoc diſceſsum ſit, videbimus, quia ge-*
2 *neralia ſunt reſcripta. Et oportet, imperialia ſtatuta vim ſuam obtinere, & in omni loco valere.*
5 Reſpondent nouiores Theologi, [a] eam legem eſſe de ſtatuto, quod Princeps non confirmarit. Alij deciſionem reſpuunt vti maxime ambiguam, & quam pro ſuo quiſq; capite interpretari ſolet. Alij aliter. Placent ij nunc, qui tuentur, fuiſſe illic ſtatutum Municipale conditum ante legem generalem, nam id literæ accommodatius eſt, licet aliter ſenſerim *in prælect.* [b] Sic itaque facti ſpeciem tibi effingito.
Erat lex Municipalis in Ciuitate, quę mortuorum corpora ſepeliri intra Muros permittebat. Succeſsit reſcriptum

Hadriani Principis, quo indicta pœna aureorum 40. in
4 eos fuit, qui intra vrbem ſepelirent, &c. Quæſitum *poſt reſcripta Principalia an ab hoc diſceſſum ſit*, hoc eſt, an reſcripta principalia conſtitutionem illam Ciuitatis abolerent.
5 *Et oportet* (inquit Vlp.) *Imperialia ſtatuta ſuam vim obtinere, & in omni loco valere*. Sic Vlpiani locus ad rē
6 non facit, nam nec diſputat, an Municipalis conſtitutio generali præiudicet, ſed contra.

At (inquies) non creditur Princeps generali lege ſtatutis, conſuetudinibuſque locorum ſpecialium derogare, quia facti ſunt, & in facto conſiſtunt, & ideo probabiliter ignorantur. *cap* 1. *de conſtit. in* 6.

7 Reſp. non reuocari ſtatuta locorum ſpecialia per generales Principum, vel Pontificum conſtitutiones, ſi rationabilia ſunt. *d. cap.* 1. At ſtatutum de humandis intra Vrbē corporibus irrationabile fuiſſe apud Ethnicos, declarant, & legibus indictę pœnę *d.* §. *Diuus*. & verba Impp. Diocletiani, & Maxim. *in l. Mortuorum. C. de Relig. & ſumpt. fun.* h. v. *Mortuorum reliquias, ne ſanctum Municipiorum ius polluatur, intra Ciuitatem condi, iampridem vetitum eſt.* Quaſi (inquit Couar. [γ]) contra bonos mores; quod & nuperrime teſtatus eſt excellentiſſ. olim Collega meus Paganinus Gaudent. Rhetus, Theologiæ, ac I. V. Doctor peregregius [δ], qui inſuper qua ratione euerſa lex iſta fuerit, &c. [ε]

α *Suar. de ll. lib. 7. cap. 18. num. 21.*
γ *Ad Rub. de Conſtit. pag. 40. num. 23.*
γ *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 4.*
δ *De Iuſtin. ſæc. morib. cap. 28. par. 1.*
ε *Ibid. cap. 30.*

An

An obstare lex possit futuræ consuetudini. *Ad cap. 1. de Constit. in 6.* Cap. CCXCV.

1 *Per clausulam (Non obstante quacumque consuetudine) quid abrogari videatur.*
2 *Consuetudo non valet, nisi ex consensu Principis.*
3 *Lex semper loquitur, & quomodo.*
4 *Prout & scriptura obligationis.*
5 *Adueniente consuetudine paulatim silet lex.*
6 *Consuetudo duplex.*
7 *Specialis consuetudo an nota Principi.*
8 *Desuetudo quid.*
9 *Consuetudinem Princeps quando approbet.*
10 *Irrationabilis consuetudo nulla est.*

QVæstionem maximi ponderis inter quosdam olim iuuentæ meæ lusus [a] non satis bene disputatam, euolutamque per alios sæpe, sed non adhuc (ni fallor) reuolutam breuibus repono; sæpe enim legibus, & statutis
1 adijci clausulam hanc vidimus. *Non obstante quacumque consuetudine*, & dubitauimus, an consuetudo illa dumtaxat, quæ legem anteiret, retundi videretur, de qua re Dec. [β] Couarr. [γ] Salas [δ], &c. Nunc posthabita hac disputatione, quæ ex infra dicendis satis enituerit, supponimus in lege dictum. *Non obstante quacumque consuetudine, vel quæ ante obtinuerit, vel quæ in posterum inducenda sit.* & quærimus, an induci tamen consuetudo possit, quæ legem sic derogantem valeat abrogare.
Negauerit vtique communis Scribentium schola, cum

obtentum per eandem fuerit, omnem consuetudinem, etiam quæ in posterum induci posset, abrogari ex simplici illa clausula. *Non obstante quacumque consuetudine.*
2 Vide Dec. Salas, &c. Argumentum est omnium, quia consuetudo non valet, nisi ex scientia, & patientia Principis, seu legali consensu eiusdem. Vbi itaque lex resistit futurę consuetudini, ibi certe, & patientia deficit, & consensus, nam semper dissentit Princeps per legem, cum & lex, quæ contradicit, semper loquatur. Vide *l. Arriani, C. de Hæret. &c.*
3 Respondebat Aret. id, quod vulgo dicimus, legem, quæ lata semel fuerit, semper loqui, non simpliciter verũ esse, sed ex analogia quadam, vel similitudine, quasi significare velimus per hunc loquendi modum, euulgatæ semel legis virtutem, & obseruantiam perpetuo durare. Denique scripturam quidem semper loqui, sed non semper consentire, aut dissentire, fieri enim id dumtaxat ipso
4 Legis initio. Ita quoque scripturam obligationis semper loqui, nec tamen semper de nouo obligare.
Confirmabam ego, nam vulgo dicimus, legem, dum consuetudo nascitur, atque adolescit, paulatim ipsam cõsenescere, antiquari, abrogari, & silere. At, si lex, quę consuetudinem prohibet, per contrariam consuetudinẽ
5 paulatim silet, non ergo semper loquitur, nec semper dissentit in ea Princeps, sed ad modum silentis paulatim legis ipse etiam paulatim conticescit.
Nunc statuo, non deficere consensum Principis, vtcum-
6 que consuetudinem sua lege prohibuerit. Nam consuetudo, quæ generalem Principis legem cum derogatoria il-

illa Clausula abrogatura proponitur, aut ipsa quoque generalis est totius Regni, vel prouinciæ, aut particularis alicuius loci. Si generalis, hæc certe non potest esse ignota
7 Principi, cum sit nota omnibus. Si particularis, aut localis, potest hæc quidem Principi non esse nota, cum facti sit, & ideo non credatur generali lege reuocari. *d. cap.* 1. sed non potest esse ignota Magistratibus, atque officiarijs Principis, quibus vti Procuratoribus, & mandatarijs permissa custodia legum est. Per hoc itaque Princeps, & scire dicitur, & consentire cum derogatione, quam volumus, legis derogantis.

8 Et hæc certiora quidem, si sentiamus cum Connano, nõ abrogari legem contraria consuetudine, sed desuetudine antiquari, & quasi silentio suo, nam non alius tunc erit eius clausulæ profectus, quam, vt Ministros, subditosque simul moneat, ac terreat; cum enim desuetudo (ait ille cum Græcis Interpretibus) non a rebus, & factis populi pendere videatur, sed a patientia Principis conniuentis, non minus profecto lex, quam derogatoria illa clausula ex eadem patientia statim antiquatur, cum statim restituere legem Princeps valeat, nec curet tamen.

At (inquies) officiarij Principis, dum hæc patiuntur, egredi videntur mandatorum suorum fines. *l. diligenter. ff. Manda.*

Resp. excedi etiam fines, si nulla interposita clausula sit, tenētur enim illi legibus perpetuo inuigilare, ne contrarijs vsibus antiquentur.

9 Sed postquam completa consuetudo est, statim sequitur adprobatio Principis, quæ non tam præsumitur, quam ne-

necessaria omnino sit; est enim lex commune iugum, cui non tenentur pauci, atque ij quidem obedientiores colla submittere, si reliqui frequentius renuant; quamobrē non aliter sibi consulere Princeps potest, quam, vt legē contrarijs vsibus prope dilapsam, interemptamue in integrum restituat.

Nec probo, quod nonnulli docent, satis fore, si Princeps
10 consuetudinem prohibuerit quasi non rationabilem, vel abusum quendam pessimum, ac detestabilem. *cap. vlt. de Consuet.* Nam, si vere abusus non est, tunc corrumpere legem poterit, quasi id, de quo etiam condi lex posset.[κ] Sique abusus vere est, potest tamen, mutatis circumstantijs, in eam causam venire, vt talis non sit, & legem cum sua clausula abrogare; arg. *l. si hominem. ff. Manda.*[λ] Hæc quamuis ita sint, non tamen inutilis clausula ista est, scilicet, vt Ministros excitet, moneat, terreat, & cū his subditos male obsequentes[μ].

α *Vide prælect. ad Rub. de Constit. pag. 43.*
β *Ad c. : n. 11. de Probat.*
γ *Varia lib. 3. c. 13. n. 4. Barb. clausula. 87. n. 12.*
δ *De ll. disp. 19 sect. 7. n. 1.*
ε *Sup.*
ζ *Sup.*
η *Vide sup. c. 283. & 293.*
θ *Ad c. vlt. de constit. n.* 10.
ι *Lib. 1. c* 10. *n* 9 *&* 10.
κ *Vide sup. c. 273.*
λ *Vide sup. in prælect. ad d. Rub.*
μ *Ibid.*

An consuetudo, quæ pręter legem est, posse aliquid plus videatur, quam possit lex. *Ad l. de quibus. ff. de ll. & cap. ex multis.* 1. *q.* 3. Cap. CCXCVI.

1 *Consuetudo valet, vt nouus Canonicus in vtilitatem Ecclesiæ, vel sacrarij erogare aliquid debeat.*
2 *Et an statutum valeat de eadem re.* 5.
3 *Consuetudinis, & statuti differentia quædam, quæ reijcitur.*
4 *In simoniaca re quale tempus inspici soleat.*

Iam

IAm, quid ſentiendum de hac re ſit, ex multis patet, quæ ſupra [a]. Vnicus manet ſcrupulus in Decreto. Dicunt [b],
1 valere conſuetudinem poſſe, vt nouus Canonicus in vtilitatem Eccleſiæ, vel Sacrarij dare aliquid teneatur, de
2 qua ipſa re ſtatutum ſi fieret, non valeret. Authorem memorant Alexandrum. 2. Pont. *in cap. ex multis. prope fi. 1. q. 3.* qui Simoniacę prauitatis dolos auertere ſollicitus, atque emendare, ſtatuit, nihil exigi a beneficiarijs poſse, quod in conſtructionem, aliamue Eccleſię neceſſitatem conferatur, ne videantur beneficia precio dari.
3 Reſponderi tamen ſolet, ſtare differentiam hanc legis, & conſuetudinis plus in honeſtate cauſæ, quam in ratione potentiæ; nam conſtitutio (inquiunt) principium nō habet voluntarium, ſed coactiuum, adeoque ſimoniacū; cum tamen Conſuetudo principiū habeat voluntarium, nec niſi a liberalitate inducentium; quare, &c.
Quis non rideat? Nihil enim referre intelligo, habeat ne
4 conſuetudo principium voluntarium, vel coactiuum magis, cum in Simoniaca hæreſi ſpectari tempus ſoleat, quo ſpiritualis res cum temporali precio cōmutatur, quo quidem tempore inducta per vſum conſuetudo non minorem neceſsitatem Prębendario facit, quam ſtatutum, qualecumque demum fuerit principium conſuetudinis, aut eſſe potuerit [γ].
Alij itaque, nec ſtatutum valere poſſe exiſtimant, nec conſuetudinem. Ego vtrumque recipio libens; nec me remouet Alex. *in d. cap. ex multis.* nam illic eorum fraudibus occurri debuit, qui, vt Eccleſiaſtica beneficia conſequerentur, aliquid obtuliſſent, quod in rem Eccleſiæ,

vel

vel pauperum verteretur. Nos de Clericis illis loquimur, qui nulla tali oblatione præmissa Præbendas, aut dignitates laudabili collatione promerentur, sed earum fructus habent statuto, vel cõsuetudine obligatos ad aliquid dandum, vel soluendum, in qua re nec somniari quidẽ aliquid posse, quod Simoniam sapiat, plusquam manifestum est.

α *cap. 283. & 290.*
β *Vide Fely. ad c. cum M. n. 20. de Constit.*
γ *Rip. ibid. n. 127.*

De sententia Pauli *in l. si vnus. §. pactus ne* peteret. ff. de Pact. Cap. CCXCVII.

1 *Pactum pacto eliditur.*
2 *Pactum de petendo an resolutiuum pacti de non petendo*
3 *Pactũ de non petendo an resolutiuũ præexistentis cõtractus.*
4 *Pactum non agendi de iniuria* totam *obligationem subuertit.*
5 *In stipulationibus ius continetur, in pactis factum, quod explicatur.*
6 *Pactum pacto vt tollatur ipso Iure, quæ requirantur.*
7 *Iniuriarũ, & furti actiones ipso Iure tolluntur pacto, & cur.*

P*Actus, ne peteret* (inquit Paul.) *postea conuenit, vt peteret: prius pactum per posterius elidetur, non quidem ipso*
1 *Iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationem, si hoc actum est, quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum versatur, & ideo replicatione exceptio elidetur, &c.* Difficilis sane nodus; nam si conuenerit, *non peti*, & deinceps conuenerit, *peti*, nouum videri poterat, pactum, quod solo consensu perficitur (*l. 1. ff. de Pact.*) contrario

con-

consensu tolli nō posse. *l. nihil tam naturale. ff. de Reg. Iur. l. prout. ff. de Solut. l. 2. C. de remiss. pig.*
Iustior credi possit explicatio, quæ & nuper obtinuit, tunc pactum contrario pacto funditus aboleri, cum alterum altero vndequaque dissoluitur, quod tunc euenit, cum paciscentes volunt in secunda cōuentione id, quod priori destinationi contrarium omnino est, vtp. si emptum quid fuerit, pro inempto esse. *d. §. pactus. vers. idem dice-*
2 *mus. l. ab Emptione. ff. de Pact.* Non ita in pacto hoc, de quo disputamus, qui enim pactum nouum facit, vt, *petere licere*, is obligat se, ne prohibeat, ab aduersario peti; non itaque resoluit pactum præcedens, nam possunt stare simul duo hæc, videlicet, obligatio non petendi ex parte
3 te conditoris, & obligatio non impediendi a parte rei. Hæc ipsa causa est, cur pactum de non petendo anteriorem obligationem non dirimat ipso Iure, est enim indirecta quædam cōuentio, & possunt stare simul hæc duo quoque, scilicet, vt debeas mihi aliquid, & tamen non posim petere [a], petitio enim non obligationem respicit, sed exactionem.
Mihi vero quod de vtroque dicitur suspectum omnino est, securus tamen an cadere posit talus, si iacere incipio, est cur verear maxime. Pactum non petendi, si totum respicit contractum antecedentem, esse plene resolutiuū eiusdem contractus, dubitare non possum fere, verum tamen, si contractus ille solo cōsensu constitit. *l. cum Emptor. ff. de rescind. Vend.* Hinc & acceptilationis, vt *ibi, & d. l. si vnus. §. si acceptilatio.* & donationis, seu liberationis, aut etiam solutionis vicem habet. *l. contra Iuris. §. si filius.*
ff.

4 *ff. de Pact. l. in ædibus. in princ. ff. de donat. l. Creditori. C. de Pact.* Sed & pactum non agendi, cum de iniuria quæri poterat, totam obligationem ſubuertit ipſo Iure. *d. §. pactus. ver. ſed ſi pactum.* Pactum etiam, quod petendi eſt, continere promiſsionem, quæ directo non feriat pactũ ante factum, mihi certe non ſuadebitur, niſi in ore paciſcentium talia componamus verba, vt noſtrę huic intentioni valeant deſeruire. Adde, quæ Iuſtin. *in §. 1. Inſtit. de Replicat.* ibi. *in contrarium pacti ſunt, &c.*

Quid ergo eſt, quod habet Paulus, exceptionem elidi per replicationem oportere? Quid (inquam) quod iſte docet, pactũ pacto quantũuis contrario ipſo Iure tolli nõ poſſe?

5 Reſpondet illic Paul. h. v. *Quia in ſtipulationibus ius continetur, in pactis factum verſatur.* Hoc eſt; Quia licet ſtipulatio quoque facti ſit (nam ſtipulari non minus facti eſt, quam paciſci) in ea tamen verſatur Ius, hoc eſt, authoritas Iuris Ciuilis, quæ facit, vt ſtipulatio per ſtipulationem ipſo Iure ſtatim perimatur, licet nulla fuerit de ſtipulatione exceptio propoſita. In pacto autem nullum Ius Ciuile, nulla (inquam) authoritas verſatur Ciuilis Iuris, cumque nullum in eo Ius verſetur, nihil etiam in eo fieri ipſo Iure dici poteſt, quocirca, niſi de pacto excipiatur, nihil etiam excidit ab anteriori obligatione, nihil (inquam) anterior obligatio patitur detrimenti.

Sique obieceris forte, ſaltem in pactis verſari Prætorium Ius. Occurrit Fab.[g] eſſe quædam pacta, quę ius iſtud ſpecialiter approbat, & quibus tum obligationem præbet, tum actionem, qualia hypothecæ, & pecuniæ conſtitutæ (vt enim ita fieret, ſuaſit vtilitas. *l. 7. ff. de Iuſt. & Iu.*)

ſed

ſed generaliter pacta plus defēdi ex facto Prætoris viuentis, quam edicto eiuſdem. Non enim (ait ille) ita Prætor conſtituit, vt dicat, pacta ſeruanda eſſe, ſed pacta ſeruaturum ſe. *l. Iuriſg. §. ait Prætor. ff. de Pact.* quæ verba non tam Prætorium ius, quam factum præſeferunt Prætoris, a quo exceptionis opē capiunt, vel replicationis. Hinc bene loquitur Paulus, pactum pacto elidi, ſtipulatione vero ſtipulationem tolli; nam tollere eſt ipſo Iure, & Iuris, elidere autem facti, eſt enim *elidere* nihil aliud, quam tollere quaſi conflictu, & concurſu corporum, quo verbo noſtri frequentiſsime vtuntur [y].

Hæc cum ita ſint, fit tamen interdum, vt ipſo Iure con-
6 tractus auferatur contrario pacto, *vt d. verſ. Idem dicemus. & d. verſ. Sed ſi pactum.* Tu igitur aduerte, verius ne forte ſit, requiri coniunctim duo, vt contrario pacto pactum auferatur ipſo Iure; alterum, vt reſolutiuum plane ſit præcedentis obligationis, alterum, vt & Iuri probetur nominatim, ſic, vt auxilio Prætoris opus non ſit; forte enim alterum non ſufficit, vt credebatur, neque ab re Paulus contractus memorat bonæ fidei, qui ſolo conſenſu conſtant, & iniuriæ actionem, quę pacto remittitur non agendi, ſi quidem lege 12. Tab. ſcriptum erat.

Si membrum rupit meum, e pacto talio eſto.

7 Paciſci itaque licebat de iniuria, ſed extra pactum talio erat iniuriæ pęna, referen. Gell. [z] Adde *l. ſi tibi. ff. de pact.* vbi idem de furto. h. v. *Quædam actiones per pactum ipſo Iure tolluntur, vt iniuriarum, item furti* [a] Res denique eo redit, vt tunc pactio ipſo Iure aliquid operetur, cum auxilium habet Iuris Ciuilis, & cum pactum, quod de petendo

do

do est, legi probatum non reperiatur in ea specie, quam sibi proposuit Paul. quamuis forte resolutiuum credas, ipso tamen Iure obligationem non auferet præexistentis obligationis; vt enim auferat, iustum esse oportet. *l. Stichum. §. naturalis. ff. de solut.* vbi Papinianum sic interpretor, licet alij aliter, & præcipue Alc.[ζ] & Gouea.[η]

α *Vide Eguinar. ad l. si tibi. ff. de Pact. latiss. Ioan. Bolognet. hic.*
β *In Rational.*
γ *Cuiac. & Fab. hic. Acute Conna. lib. 5. c. 2. n. 11.*
δ *Vide Eguinar. sup.*
ε *Vide Gouea. Variar. lib. 2. c. 26. Aliter. Conna. sup. circa fin.*
ζ *Ad l. lege obuenire. ff. de Verb. sig.*
η *Ad l. 1. §. id quod n. 16. ff. ad l. Falcid.*

An pactum non petendi naturalem obligationem ipso Iure tollat præhabitæ conuentionis. *Ad d. l. si vnus. §. pactus. ff. de Pact.* Cap. CCXCVIII.

1 *Pactum non petendi an præcedentem conuentionem perimat ipso Iure.*
2 *Iustum pactum quod.*
3 *Quæ facti sunt non se mutuo tollunt, sed elidunt.*
4 *Naturalis obligatio iuris ne, an facti.*
5 *Pactum quando tollatur pacto ipso Iure.*
6 *Vt ipso Iure aliquid fiat, quid requiratur. 8.*
7 *Pactum non petendi an paciscentem obliget naturaliter.*

PActum non petendi re integra dirimere contractum valet, qui solo consensu perficitur, si totum respicit, si
1 (inquam) id agere videtur, vt a negocio discedatur. *l. cum Emptor. ff. de resc. vend.* At si contractus præcedens re forte constat, aut verbis, secus est. *l. nihil tam naturale. ff. de Reg. Iu.* Hunc autem sibi proponit Paul. *in d. §. pactus.* dú

cos

eos contractus statim excipit, qui solo consẽsu fiunt. ibi *Idem dicemus, &c.*

Volunt tamẽ (hęc enim cum Bartolo [a] communis schola est) obligationem naturalem præexistentis contractus auferri ipso Iure, si conuentum pacto fuerit, *non peti*, idque authore Papin. *in l. Stichum.* §. *naturalis. ff. de solut.* *Naturalis obligatio* (inquit) *vt pecuniæ numeratione, ita iusto pacto, vel Iureiurando ipso Iure tollitur, quod vinculum æquitatis, quo solo sustinebatur, conuẽtionis æquitate dissoluitur.*

2 Sed quid Papin. senserit, iam liquet satis [β]. Iustum pactũ credidi esse, quod iuri probaretur, quale non est pactum de non petendo in ea specie, cum nec resolutiuum quidem sit præcedentis conuentionis.

Alijs itaque argumentis rem tuentur, quæ partim reuoluta iam sunt [γ], partim se ipsa demonstrant [δ], cum tamen contraria pars solidissimis nitatur fundamentis. Vide *l. si tibi decem.* §. *de pignore. ff. de Pact. l.* 3. §. *nunc de effectu ff. de lib. leg. l. siue apud acta. C. de Transact.* Vnum est, quod dissimulare nec possũ, neque æquo animo ferre. Nam si eos interrogem, an pactum de petendo naturalem auferat obligationem prioris pacti, quod de non petendo est, negabunt vtique. *d.* §. *pactus.* At, si rursus peto ab eis, quæ sit ratio discriminis, vt pactum non petendi naturalem obligationem perimat contractus præcedentis, nec tamen naturalem obligationẽ pacti, quod de non petendo est, extinguere pactum possit de petendo initum, prorsus obmutescant necesse est.

Sic itaq; constituo. Duo facta non ipso Iure tollere se pos-
3 sunt inuicem, sed elidere; sunt enim duo facta quasi duo

corpora, vt dixi ante [ε], nec poteſt ipſo Iure operari aliquid, niſi id, quod a Iure eſt, vt ſtipulatio. *d.* § *pactus*. Atqui naturalis obligatio (vt bene Alciat [ς]) licet Iuris quoad ſe ipsã ſit, cum a naturali ſit Iure, reſpectu tamen Ciuilis Iuris eſt
4 facti, quapropter, ſicut pactum non tollitur pacto ipſo Iu-
5 re, niſi in quibuſdam cauſis, quæ miniſteriũ habent Iuris Ciuilis. *d.* § *pactus. l. ſi tibi. ff. de Pact.* ita & naturalis obligatio naturali cõtraria obligatione tolli nequaquam po-
6 teſt, niſi adſtiterit Ius Ciuile. Denique, vt ipſo Iure aliquid fiat, ab imperio eſt Ciuilis legis, non a ratione, vel inſtinctu Naturę.

Hæc agnoſcẽs Tribun. *in* § *præterea. Inſtit. de Except. Præterea debitor* (inquit) *ſi pactus fuerit cum creditore, ne a ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet, quia pacto cõuẽuento obligationes nõ omnino diſſoluuntur.* Obligationes (ait) in numero pluriũ, vt ſcias, elidi vtramque, vel naturalis illa ſit, vel Ciuilis, ſed neutram diſſolui omnino.

Neque allegare mihi debes, ex pacto illo, *non peti*, obliga-
7 tionem contrahi naturalẽ, *quominus liceat petere*, arg. *l. vbi pactum. C. de Tranſact.* ergo & auferri illam poſſe, quę prę-exiſtit.

Nam & illud fatearis neceſſe eſt, ex pacto etiam de petendo nouam naſci naturalem, vnde ſimul diſquirendum tibi eſt, cur hæc non contrariam continuo abroget pacti anterioris, quo conuentum erat, *non peti*. Scio, dubitatum fuiſſe, an ex pacto iſto non petendi oriatur obligatio, ſed dum aliud diſputo, id proponere mihi debeo, quod verius eſt. Statues igitur, obligationem, quæ non ipſo Iure inducitur, ſed naturæ eſt, & facti, non poſſe aliam

ipſo

ipso Iure auferre, sed elidere, quapropter, si pactum naturalem pariat obligationem, non ideo sequi tamen, vt naturalem perimat ipso Iure.

α *d. §. pactus. n. 8. vbi scriben.*
β *Sup. c. prox.*
γ *Ibid.*
δ *Vide Bolognet. latiss. d. §. pactus. n. 30. vbi omnes.*
ε *d cap. prox.*
ζ *Lib. 1. Parad. c. vlt.*

An donatio facta Ecclesiæ infirmetur ex *l. si vnquam. C. de Reuoc. donat.* Cap. CCIC.

1 *Factum insigne Aurelij Episcopi Carthaginensis.*
2 *Ecclesia filiorum vice est.*
3 *Salus animæ filiorum commodis præferri debæt.*
4 *Laicorum Principum legibus an obligetur Ecclesia.*
5 *An constitutio actum irritans ad vim directiuam pertineat, vel coactiuam.*
6 *Dispositio* d. l. si vnquã. *vltra libertos nõ extenditur & cur.*
7 *Libertus quid Patrono debeat, aut liberis Patroni.*
8 *Quod receptum contra Iuris rationem est non trahitur ad consequentias.*

CVm per multas ambages disputatum de hac re esset α, visum denique, totum momentum quæstionis esse in D. Augustino, qui hæc scribit peregregie in *cap. vlt.* 17. q 4. *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio nullum inueniet. Quam laudabile factũ*
1 *sancti, ac venerandi Episcopi Carthaginensis? quomodo impleuit os omnium, qui sciunt, laudibus Dei? Quidam enim*

cum filios non h aberet, neque speraret, res suas omnes (retento sibi Vsufructu) donauit Ecclesiæ. Nati sunt ei filij postea, & reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, quæ donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed Iure fori, non iure poli.

2 Sed cur, obsecro, iure fori? Forte (inquiunt) quia Ecclesia
3 filiorum vice est; Aut, quia salus animæ filiorum commodis præponi debet, cum sic donatum videatur Deo. Sed perperam, & Augustinus quidem neminem reperiendum fore existimat, qui donationem recipiat, nam præualituram filiorum commiserationem.

4 Aliorum sententia fuit, non debuisse Episcopum reddere Iure fori, quia Laicorum Principum lex obligare Ecclesiã non potuit. *cap. Ecclesia S. M. de constit.*

Hic error omnis; immo enim Ecclesia Ciuilium legum, quas ipsa non reiecerit, dispositionem sequi nõ dedignatur. *c. 1. & 2. de No. op. nunc.* neq; earundem respuit famulatũ, vbi ęquitatis, Iustitiæque vestigijs insistunt. *cap. super specula. de priuil.* Atqui maximam esse æquitatem Ciuilis constitutionis ipse te Augustinus docet cum præclarissimo exemplo Aurelij Episcopi, ipse (inquam) te Iure poli, iure Dei, te denique conscientiæ tuæ lege *obstringit,* vt superuenientibus filijs bona restituas. Conclamant Thelogi, ac Iurisperiti omnes, subijci Ecclesiam Ciuium legibus, si iustæ sunt, si communem totius Reip. bonum tuentur, si Ecclesiasticam dignitatem cum immunitate, libertateq; eiusdem reuerentur, statum Clericorum non turbant, Põtificijs legibus non repugnãt; nã Ciuiles leges

quasi

quasi Canonicas Ecclesia seruat, vtp. per sacrosanctos Canones generatim probatas, ac receptas [d].
5 Addidimus alibi [e], Ecclesiam non teneri legibus secundũ vim coactiuam, sed bene directiuam. Enimuero, si quęratur, an constitutio actum irritans ad directiuam referatur, vel coactiuam legis potestatem, sic distinguunt Theologi frequentius; vt, si irritandi actus mere pœnalis sit, tunc in vi coactiua totus esse videatur, neque afficiat Clericalem statum. Sin non mere pœnalis sit, sed honestatem aliquam pręseferat circa bonos Reip. mores, (qualia sunt testamentorum, contractuumque solemnia, & donationum ob liberorum superuenientiam discrimina) ad directiuam potestatem reduci omnino debeat.

Quid ergo est, quod August. ait, *Iure fori?* Quantum conijcio, est hoc. Incertum maxime est, an verba illa Augustini sint [n], qui fuit procul dubio post Constantinum, & Constantem æquissimę illius legis Authores. Forte igitur alterius fuere, qui duos istos Principes præcessisset. At etiam, si Augustini sunt, erat ille quidem iuris disciplina valde eruditus, vt eius scripta indicant [o], sed non Iuriscõsultus; qui si etiam talis fuisset, bene vtique sensisse vide-
6 retur, beneficium *d. l. si vnquam.* non aliter ad filios, qui nati ex insperato essent, pertinere, quam si donatum liberto foret, de quo nominatim loquũtur Diui Principes. Id cum plurimi olim credidissent, fuit deinceps tam bonis rationibus cõfirmatum a Donel. [p] vt iam dubitari de
7 hac re nequaquam possit. Sunt enim in libertis singularia quædam ob beneficium manumissionis, ob quæ pati æquis animis debeant, ad patroni filios reuerti ea, quæ

donata essent, cum & ipsos filios alere teneantur ex suo, si egeant. *l. si quis a liberis. § solent. & §. vtrum. ff. de lib. agnos.* eosque habeant hæredes certis conditionibus. *§. sed nostra. Instit. de success. libert.* Cumque contra generalem Iuris rationem statutum in libertis fuerit, donata reuocari, & quidem ipso Iure [ι], nec produci ad consequentias
8 debeat id, quod contra Iuris rationem receptum est. *l. quod vero. ff. de ll. l. quod contra. ff. de Reg. Iu. cap. quæ a Iure. eod.* sequitur, non fuisse ad alios protrahendum, quod de his fuisset speciali ratione constitutum. Ergo donatio Ecclesiæ facta, vt & alijs, qui liberti non sint, stare iubetur, licet filij superuenerint, atque ita Augustin. optime respondet, non Iure fori reddere Episcopum debuisse, sed Iure Poli, hoc est, æquitatis, charitatis, & miserationis.

α *Vide scripta ad d. l. si vnquam. vbi Tiraq. cum relatis ver. libertis. n. 79. Rip. n. 49. Donel. n. 18. Fach contr. lib. 3. c. 86.*
β *Vide, quæ ego Sac. Iu. contr. differt. 32.*
γ *Vide relatos d. differt. 32. n. 9.*
δ *Ibid. post relatos. n. 11. & 12.*
ε *Ibid. n. 20. & sup. c. 125.*
ζ *Omnes cum Sal. de ll. disput. 14 sect. 9. n. 108.*
η *Fachin. sup.*
θ *Sup.*
ι *Donel. ibid. post alios.*

De generali Vrbium distinctione ex Modest. Et singularibus quarundam laudibus. *Ad l. 6. ff. de Excus.* Cap. CCC.

DIALOGISMVS

1 *Authoris vita, & vices.*
2 *Trium Senatorum laudes.*
3 *Venetæ Vrbis admiranda. 7. 24.*
4 *Bartholomæus Vecchius laudatus.*

§ Ia.

5 *Iacobi Mancini dotes, atque exitus.*
6 *Iustinianus Imp. defensus, & commendatus.*
8 *Patauinæ Vrbis Encomia, ac viri celebres.*
9 *De nouo* Paduæ *nomine lusus.*
10 *Liceti Philosophi laus; Et*
11 *M. Alberti Campanæ Ord. Præd. scripturæ Sacræ Interpr.*
12 *Bononiense Athenæum laudatum.*
13 *Pisani studij Antecessores cum laude memorati.*
14 *Virgilius Vecchius nobilis Iurisconsultus.*
15 *Paganinus Gaudẽtius, et Io. Michael Pieruccius cõllaudati.*
16 *Pisanum archigymnasum exornatur.*
17 *Gasparis Leonici dotes.*
18 *Quæ Iurisconsultum scire oporteat.*
19 *Regina artium Iurisprudẽtia hodie quasi pedissequa, et cur.*
20 *Legum laudes.*
21 *De Abb. Fely. Dec. & alijs similibus iudicium.*
22 *Trãsalpinorum Interpretum notabilis industria.*
23 *Vrbium distinctio ex Modest. & professorum immunitas.*
24 *Georgius Moralius, et Io. Nardius Politian. insignes medici.*
25 *Vrbium nobilitas vnde.*
26 *Angelus Politianus ex Cina familia, & Card. Rubertus Bellarm. æternæ memoriæ viri.*
27 *Politianæ Vrbis descriptio, & laudes.*
28 *Politiana vina.*
29 *Clanarum palus nota.*
30 *Politiani nomen explicatum.*

QVam dictum bene? [a] *Sors incerta vagatur; fertque, refertque vices.* Me inter Florentinæ Vrbis vicissitudi-

1 nes, quæ Mancinæ ſobolis prima habuit, iam non Florentino, ſed Politiano genitum Patre, Liguſtica matris vterus produxit in ora. Excepit lactentem Alphæe Vrbs nobiliſsima, & ex naufrago Ciuem fecit, cum me quaſi euomuiſſent aquæ. Alumnus per annos plures inclyti Piſarum archigymnaſij, mox in eodem per annos quatuor, & viginti, ter legum, bis Canonum profeſſor, me totum (fateor etenim) cariſsimæ Vrbi deuoueram, cum poſt edita legalis notitiæ documenta, & nomine auctũ, & omine allexere me, atq; euexere ſimul ad primam Patauij ſedem Illuſtriſsimorum, atque Excellentiſſimorum
2 Mauroceni, Nanij, & Contarenorum prudens humanitas, & loci gloria. Sic mihi trinus ſe obtulit Mæcenas, & Venetæ ſapientiæ quaſi robur, & æs triplex. Primus virtute gigans, & quaſi MAVRVS ille Antheus, quē magna vi præditum eloquentiæ, ac veluti MAVRISIA inclytum arundine nemo vicerit, niſi Hercules, hoc eſt, Deus. Alter vel nomine ipſo magnus, bella quadam Ironia, belliore geſtarum rerum gloria. Tertius, pro Sereniſsimo Veneto, & quaſi Diuorum conſeſſu ad Orbis Reges continue ANGELVS, & qualis munere, talis re, talis nomine, talis morum ſuauitate, atque elegantia.

Vix tenui præclaræ Vrbis limina, cum ex improuiſo oblatam oculis cymbulam conſcendi impatiens, Heroas vt viſerem meos. Delatuſque ad eum, cui primus honos debebatur, audio virum a Clientibus diſtineri. Me interim excipit moratus puer, deducitque ad podium ſupra mare, vbi tres inuenio ſedentes in hemicyclo. Aſſurgunt, inuitant, rogant, quis ſiem, cur venerim. Pauca reſpon-

deo

deo mirabundus. Subrident illi quasi attonitæ mentis stupore correptum, attonitis ue oculis videntem aliquid,
3 cum ego. Numquid me forsan hoc parturijt mare? Nouos hosce vndarum fœtus aspiciam nouus, neque obstupescam? Quem (obsecro vos) non præstringat Serenissima hæc lux totius Italiæ, venustissima hæc facies totius Europæ? Quem non miris afficiat modis supra naturæ modum Vrbs posita, quam excitare ab aquis voluit mirabilis Deus, vt e salo fabrefactura solum sublunaris Orbis fieret firmamentum?

Tunc illi. Maiora sunt, quæ non vides. Hæc illa Vrbs, quæ Troadum olim beata quies, nunc Regnorum dominatrix, Religionis Asylum, virtutis delicium, fælicitatis domicilium, Mundi arbitra; quæ ad imperandum nata, & quasi in sublimi sedens, publici regiminis formá præbet liberis Ciuitatibus, ipsi etiam Romanę Reip. latura leges, si stetisset. Nam, quod bene Vates, quem rapuerat forte supra Idealem illam (sic loquebantur) Platonis Rempub. status optimus Ciuitatis.

Si pelago Tybrim præfers, vrbem aspice vtramque;
Illam homines dices; hanc posuisse Deos.

Hæc vnus sermone graui, & perquam modesto; ac sermo quidem elegans, & carmen apte redditum, & vultus honesto quodam pallore suffusus literati hominis argumenta. Me itaque cupido incessit noscendi hominis, nec pri-
4 mum BARTHOLOMÆI VECCHII primarij legũ Interpretis nomen auditum, cum me fama viri, & Iurisprudentiæ laude, & multiplici tum linguarum, tum rerum notitia spectatissimi, me quasi conciuis amor ad venera-

tio-

tionem, atque amplexum furialibus ſtimulis incitarunt. Is, vt primum ſe collegit, tu ne (inquijt) Mancinus ille? Duos ab hinc annos de tuo ſperabamus aduentu, cur obſecro tam ſero? LÆL. Me optimi parentis detinuit charitas, quem ſenio affectum, vel eneruatum potius, & in Patria relinquere, & huc adducere paris erat diſcriminis.
5 VECCH. Viuit ne? LÆL. Oh vtinam; licet talis eſſet, ſi viueret, vt conſueuerim ego ex Patre Iuſtiniani ſenis lapsũ excuſare, ſi verus ille tamen ʒ, nec forte ex virulento quodam Procopij libro, quem in Iuſtinianum, Theodoramque iam mortuos iniurioſe edidit. VECCH. Habeo te, ſed patris hiſtoriam quæſo ne retice, ſolabitur enim illa nos, ſi quid forte immaturius egerit Dea. LÆL. At hic quidẽ quaſi nonagenarius obdormiuit. VECCH. Vtinam in Domino, quod ſperandum de honeſtiſsimo, religioſiſſimoque viro. LÆL. Hic (noſti enim) eloquentiæ laudibus ſupra omnes ſui ſæculi profeſſores facile excelluit, & ipſo adoleſcentiæ ſuę tempore a ſecretis fuit Reip. Genuẽſis, cum Ciuili bello conflagraret, nec prius inde receſsit, quam ſibi Angelicã ex nobiliſsima familia VOGERIA Sauonenſi vxorem deſponſaſset, cuius pereleganti forma captus exarſerat. Mirum dictu, quam integris eſſet moribus, quam conſilijs potens, quam rerum memor, quam promptus ingenio, quam dicendo ſapiens, quam agendo prudens. Mirum, quam frequens Dei cultor, quam pius, quam Dei laudibus, quam Orationi ſemper intentus. Cum miſer, irruentibus annis, reuerſus puer eo venit, vt, neque aliquid vſpiam didiciſſe videretur, nec proferre ſermonem ſciret. Oblato paulo ante mortem ex-

tremæ Vnctionis sacramento, quid illud esset, quo vngeretur, petijt sacramenti oblitus, cumque rem esse sacrã accepisset, se pie, ac sancte composuit. Mirum, quam rerum omnium memoria excidisset. Interroganti aliquid si respondebatur, illud idem post momentum temporis reposcenti dicendum erat. Filios ipsos, quos cernebat quotidie, interdũ non agnoscebat, & vix, ac ne vix quidẽ proprij, ac paterni prenominis memoriã retinuerat. Quid
6 non credat bis puer, immemor rerum, atque omni animi iudicio destitutus? Miramur, potuisse Principem fide catholicum, in operibus rectum, in Iudicijs iustum ", labentibus annis, suggerentibus forte impijs, ac bene callidis Consiliatoribus, errore aliquo implicari? VECCH. Si sic virum tueretur Nicephorus, non male audiret a Baronio. At vice versa pietatem augustissimi Imperatoris leges, Templa, Monasteria, Ptochotrophia, populi ad fidem conuersi, hæresum oppugnationes (vel ipsa Theodora inuita, quæ Eutychianos fouebat) Synodi, & alia eximiæ sanctitatis illustria monumenta non tam cõtestantur, quam (si licet) apotheosi dignum faciunt. LÆL. Credo equidem. Tu autem quid hic rei? Forte
7 exilium putas extra vrbem hanc esse, de qua tuus ille cecinit bene. Sed nec male hic, ni fallor.

Vt mare nil, nisi aquæ, Cælum nihil est, nisi stellæ,
Sic sunt Venetiæ nil, nisi diuitiæ.

Et, vel diuitiæ, vel miracula, quæ nouo expresit carmine Ouuenus. Vtinam domus hic eset, quam mihi iam mente constitui. Credo equidem, postquam recesero, dicturum me cum Terent.

Vbi

Vbi mutem? perij, nam Domo exulo.
8 VECCH. Exilium ne dicito; manet te nunc ANTENOREA illa nobilis, quæ decantati Herois nomine, & sepulchro, Poetarum præconijs, Oratorum laudibus, historiarum commendationibus micat inter Vrbes. Illic Liuij, Pauli, Stellæ, Valerij, Volusij, alijque, quos, vel anterior, vel nostra hæc suspicit ętas. Illic percelebre archigymnasium, literatorum insigne decus, perpetuum, ac pene Vrbi coæuum bonarum artium Seminarium, vnde Padus immortalibus chartis, & quæ stylo aureo dignius exararentur, onustus superbit. LÆL. Cũ PADVM
9 nominas, vir doctissime, hęreo statim, cur enim ANTENORIS nomen exuerit Padua? VECCH. Fælix illa quidem vetusto, plus etiam fælix nouo hoc nomine, vel ei illud flumen indiderit, vel augur, par enim erat, vt quæ aquarum Imperio obsecutura esset, ab aquis diceretur, & tanto hoc augurio, si minus Imperij, saltem honoris particeps redderetur. LÆL. Ludis, atque interim doces bene; nam quid poterat in ea Vrbe esse non auguratum, quæ fluuij decus meruisset, ac nomen, inexhaustos inde fontes paritura, qui toto orbe diffluerent, vt totum replerent? Sed missa hæc quæso. Quid de LICETO illo Phi-
10 losophorum Antistite? Quid de CAMPANA Theolo-
11 gorum Coryphæo? Vbique enim refulgent iam locorũ, aut gentis, duo hęc Italiæ lumina. VECCH. Insudant equidem gloriose, & supra inuidiam vterque. Licetum dicunt Bononiæ receptum plusquam honorifice. LÆL.
12 Gratulari viro fas est, non .n. abs re dictũ. BONONIAM DOCERE, totumq; repleuit Orbem immortalibus litera-
rum

rum documentis auguſtiſſimum illud, & glorioſiſſimum
13 Athenæum. VECCH. Quid tu autem de Piſano celeber-
rimo Lyceo? LÆL. Sereniſſimi Ferdinandi profuſa libe-
ralitas vndique accerſit viros. Iam FACHINEOS habue-
14 rat, BONAPARTIOS, GALVANOS, alioſque non in-
teriturę memorię Anteceſſores, cum ecce ſubito VIRGI-
LIVM gentilem tuum, virum ingentis famæ, ac ſpiritus
honorabili ſtipendio inuitat, qui in Florentino Audito-
rio per annos plures doctrinæ, atque integritatis monu-
menta nuper reliquerat nullo vnquam tempore peritura.
15 VECCH. Iam pridem perlata mihi gloria viri, & quidem
eius filij ſicut nouellæ oliuarum. Sed tu reliquos memo-
ra. Valet ne bene PAGANINVS ille veſter, cuius fama
tam celebris inter nos? LÆL. Valet, & qui multiplici ſcri-
ptorũ genere Theologos, Philoſophos, Oratores, atque
alios bene multos in ſui admirationem traxit, iuſ quoque
noſtrum non impari calamo honorauit. VECCH. At
PIERVCIVS, iuuenis ſane egregius, ſequetur ne ille te?
LÆL. Vereor equidem, adeo bonus, adeo moratus,
adeo doctus, adeo pulcherrimis ijs artibus plene
imbutus, quæ carum Principi fecerint. Crede, Piſanum
16 Lyceum, quod nulli concedere vſquam potuit, nobilita-
te, opibus, Principum largitionibus, apud exteros fama,
atque eleganti ædium ſtructura, ita miſerrimo hoc ſęculo
floret bonarum artium profeſſoribus, vt pene dixeris, il-
lic hodie Muſas conſidere cępiſſe. VECCH. Age, Muſęũ
noſtrum cum reuiſeris, idem fortaſſe licuerit æſtimare.
17 Hæc dum loquimur, addit ſe nobis GASPAR LEONI-
CVS. Aſſurgimus dignitate, prudentia, Religione, diui-
narum,

narum, humanarumque legum, ac rerum plurimarum notitia ſpectabili Viro, cuius eximia virtus in delicijs eſt Sereniſſimæ Venetæ Reip. Et poſt ſalutem ad me ſtatim verſus. Aduenere (inquit) primum libri, quibus Iuriſprudentiam feciſti diuitem, nunc tu ſequeris, gratulor, me quidem nuſpiam pœnituerit laudaſſe te. Vix hęc audiui, cum (loquar cum Vate [μ])

Senſi me totis erubuiſſe genis.

18 Tum ſtatim ego. Abſit, vir optime, vt, vel docendo, vel ſcribendo Pontificium, vel Ciuile ius ditaſſe, aut crediderim, aut ſperauerim; quotus enim quiſque eſt, qui ſupra Solis quaſi currum in Padua Padum nõ extimeſcat? Euntibus ego calcaria ſubdam, vel (quod ait Lyric. [ν]) fungar vice cotis.

-------------------- acutum

Reddere quæ ferrum valet, ex ſors ipſa ſecandi.

Vt quod mihi vix, ac ne vix quidem obtigit, meo ductu alij fæliciter conſequantur. Egi tamen, ne, quantum in me eſſet, vel diuinæ ſapientiæ lumine deficerer, vel moralis Philoſophiæ, hęc enim ſi deſint, quæ deinceps Iuriſconſulti ratio, vel artis? Multis, multique nominis Interpretibus abundant Cęſarum Iura, multiſque affluunt, ſed non multi nominis Pontificia decreta, vt quæ Iuriſprudentiæ nitedulis haud facile innoteſcunt, niſi diuinæ ſcientiæ nitor affulſerit. Habent, fateor, & Ciuiles leges ſine lege interpretes complurimos, ſed multo plures Canonica Iura haud ſatis canonice interpretantur, illud moralis Philoſophi proprium, hoc Theologi quoque, vtrumque literati hominis. LEON. Agnoſco equidẽ, at (quod

plu-

plurimum hodie fit) Iuriſprudentiæ limina ingredimur, neque aperit Dialecticus, penetralia illa, quibus Dei, naturæque leges claudűtur, prætermus, moralium dogmata aſpernamur, temporum documenta neſcimus, quid
19 inde? VECCH. Regina artium Iuriſprudentia eo venit, vt pediſſequa omnium ſit. LEON. Et pluſquam pediſſequam faciunt hi, qui ea tantum volunt Iuriſperito conuenire, quæ (vt loqui ſolemus) de pane lucrando ſunt; oh vtinam ſileant aliquando, tanta panis confecta mole,
20 vt ſemel repleantur. LÆL. Parum fuerit, ſi dixero, hos legũ profeſſores iactare ſe, ſed nullas vidiſſe leges. LEON. Bone Deus, quot eæ ſunt, tot ſunt fętus vere Philoſophiæ, nec deſunt notiones temporum, Poetarum obſeruationes, Orationis grauitas, atque elegantia, plena diuinarum, humanarumque rerum notitia, experientia, vſus. LÆL. At quotidie percutit aures protritus ille Verſiculus.

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Quid tu Leonice? LEON. Tentas? Sic nihili faciemus eos, qui literis pene intermortuis, alta ve caligine conſepultis
21 vitam, animamque redidere? Valet Abbas Panor. ſi Canonum quæris Interpretem; hunc ſibi aurigam volunt omnes, ne Tyrannũ dicam, qui eis imperitet; huius nomen & ſcholæ reſonant, & fora; valet (inquam) ſed prudentia, ſed labore improbo, non ſtylo, non eloquentia, non methodo, non æqua diuinarum, humanarum ve rerum facultate. Valet Felynus, ſed ſtudio, & honeſto ſudore, non ornatu, non ſubtilitate, non alio pene, quam nominum apparatu. Valet Decius, & hic quidẽ acumine ingenij clarus, & quo authore prope reuixit Pontificium

cium ius vulgaribus antea disciplinis parere assuetū, sed præterea quid? aut quis eum, eos ve interdum patienter relegat? Ab his, & alijs eiusdem notæ Commentatoribus valde paucos excipere est, penes quos aliquis fuerit literarum honos, scientiarum ve decus; qui prudentum, ac Theologorum dogmata Pontificiorum placitis adiunxerint, & nostris prope insitam barbariem remis ipsi, velis-
22 que effugerint. VECCH. Ita (si fas vera loqui) nos denudant, derident, mordent, laniant, ac prope discerpunt Transalpini authores, patimur, neque interea nostræ consulimus dignitati. Fuisse Italos exteris magistros, vere dicimus, sed hac laude contenti nimis, margaritas, quas habemus, in puluere, cęno, ac stercore peruolutamus, vt eas deinceps illi auide suscipiant, erudiant, perpoliant, exornent, loco, atque ordine componant, disponant, suas faciant, nulli interdum acceptorum gratiam referentes. LEON. Satis iam; vos, qui Iurisprudentiæ proceres, eritis vos alterius viæ duces.

23 Liceat nunc inter seria hęc legum studiosis serio ludere. Modestinum forte legeris, Læli, qui in *l. 6. ff. de Excus.* Ciuitates omnes, quotquot vniuersus ambiat terrarum Orbis, ita distribuit, vt minores alię sint, quę possint quinque Medicos immunes habere, tres Sophistas, & Grammaticos totidem; Aliæ maiores, quę septem habeant, qui curent, quatuor, qui doceant vtramque doctrinam. Alię maximę, quę decem Medicos capiant eiusmodi, & Rhetores quinque, & Grámaticos totidem. Et maximo quidem numero vti Metropoles gentium ait, secundo, quę habent, vel forum causarum, vel locum Iudiciorum;

ter-

tertio autem reliquas. Quot ergo dabis Venetę Vrbi medicos, Sophiſtas, aut Grãmaticos? LÆL. Dabo equidem pro ſingulis ſingulos. LEON. Iocaris mehercule. LÆL. Dicam, amiciſsime Leonice, habetis in vnaquaque re
24 doctiſsimos, qui plurimorum explere ſinguli valeant vices. An non Georgius ille Moralius, quẽ ſtupuere olim Piſę imberbem tunc Logicę artis abſtruſa quęque palam aperientem, explicantemque, quaſi nouus nunc, idemque magnus Hippocrates inter vos? Nam, ſi ita non eſſet, in Vrbe hac maximarum maxima nec in ſingulis quidẽ cauſis trecenti ſufficerent. LEON. Non plus æquo Moralium laudas. Sed & veſter ille Ioan. Nardius (ſi alios prętereo, qui Florentię degunt) an non quaſi Aeſculapius inter homines? LÆL. Credo equidem; ſed & Modeſtinum credo nimis arcto locutum ore, cum decem Medici ſat eſſe vix poſſint Politiano meo. LEON. Nihil porro non honorificum ab Vrbe hac tua; vtinam, vel illa propior eſſet, aut vacarem ego ſemel, viſurus, ni fallor, ingeniorum Matrem. Deſpero tamen. LÆL. Deſperare te ita velim ſemper, Leonice, nam non valde expedit li-
25 terarię rei, te in ocio eſſe. VECCH. Si nobilitas a virtute eſt hominis, eam vtique Ciuitatem vere nobilem eſſe fas eſt, quę ſublimiũ virtutũ decora in Ciuibus oſtentare va-
26 leat ſuis. Sat eſt vrbi huic, ſi vnum memoret Angelum Politianum, aut ſi Bellarminum illum Eccleſię Purpuratum. Oh non homines, ſed Deos. LEON. Audio, per exiguo annorum curſu viſas quaſi pluere ſuper Vrbem iſtam, mitras purpuras, & Pontificia diademata; quin & conſediſſe Etruſcos in ea veteres, a quibus ſpecioſum il-

 lud

lud POLITIANI nomen. At, qui, obſecro, iſti? aut quis modus peregregię Ciuitatis? VECCH. Opus hoc tuum Lęli. LÆL. Exequar, atque vtinam ex improuiſo bene, ſyncere tamen.

27 Politiana Vrbs medium Etrurię tenet, & ſupra celſi Mõtis verticem ſe ſe attollit cunctis apertum Ventorum Flatibus, a quibus ſalubre Cœlum, & ab hoc productiores hominum ętates. Mons inter molles cliuulos, amenioreſque valleculas aſſurgit oleis conſitas, quas gelidæ fontium perlabuntur aquę, adeo bene cultas, vt nuſquã tam dubius artis cũ natura conflictus. Hinc ſaluberrimorum fructuum admirabilis copia, ſed aptior, quam alibi,

28 Vinetis locus, ex quibus adeo precioſę vuę, adeoque ſapida ab his vina, vt neque acumen obtundat lenitas, nec dulcedinem retundat auſteritas. His ſingularis quidam odor, cuius hucuſque ignotę cauſę. Diu perennant corrumpi neſcia. Politiana vina cum dico, & Ciuium diuitias dico, & Principum delicias.

Cliuulos exinde vides in vaſtam, apertamque planiciem ſenſim quaſi delabi, quæ ſegetum, ac pecudum adeo locuples, vt & propriam Vrbem ditare poſſit, & vicinas replere, nulla enim Etruriæ pars eſt, quæ vilioribus precijs comparet meliora.

29 Planiciem Clanæ interluunt, celebris palus, & nata piſcibus, qui tanto puriores, quo ipſa mirabilius, abſterſa prope Vrbem caligine, pulcherrimæque Vrbi quaſi obſequens, purgatiſsimum funditur in lacum. Ibi ferarum, atque auium tam promptæ Venationes, vt aeris ſalubritatem, ſolique fęcunditatem vel animalia ipſa comprobent, commendentque.

Lo-

Locum hunc fuisse olim inter delicias Porsennæ Regis, perpetuo creditum, & ob id MONTEM POLITICVM
30 olim, deinceps, corrupto vocabulo, POLITIANVM nuncupatum. Quin destructo CLVSII insigni oppido, quod nouem millibus passuum longe distat, eo se totam Clusinorum gentilitatem recepisse, plebe in alias digressa partes, quam verisimiliter docent eo in loco constitisse, qui nunc CIVITAS PLEBIS dicitur. Hæc quidem intuenti patent, nascentis Politiani oppidi habitationem fuisse in Montis culmine, vbi nunc platea eiusdem visitur, auctoque deinceps Incolarum numero, auctam quoque per plures continentium ædificiorum circuitus Ciuitatem, mœnibusque ac Turribus fortiter munitam, licet hodie obsidionibus, ac bellis diruta pene omnia sint, constat enim historiarum monumentis, hanc solam in causa fuisse, cur tot inter Florentinam, & Senensem Remp. bella, seditionesque perpetuo exarserint.

Prodiere ex hac semper, & nunc prodeunt homines sanctitate, literis, militiaque insignes, quos mirum valde est, veterum Etruriæ nobilium, qui in ea primi consedere, magnanimitatem conseruasse. Eandem Summorum Pontificum, & Cardinalium gloria claram, augustissimisque templis, ac magnificetissimis instauratam ædificijs Ferdinandus Primus Magnus Etruriæ Dux Serenissimæ Christinæ Lotharingiæ Regiæ Coniugi, quoad viueret, esse voluit, amoris, quo nullus maior vsquam extitit, argumentum, ac pignus.


Sed puer ecce redit; soluta iam Clientela est; saluete; si dimittor citius, reuiso vos denuo. LEON. I felix, sat enim oble-

oblectasti nos cum Politiano tuo.

α *Lucan.2.Pharſ.*
β *Franc. Maurocenus Procurator.*
γ *Io.Nanius Procurator.*
δ *Angelus Contaranus Eques.*
ε *SanaZar.*
ζ *Vide Giph ad proem. Inſtit.*
η *Paul.lib.1.de geſt.Langob.*
θ *Lib.17.c.29. Adde quæ in Concil.6.gen.act.4.in Ep.S. Agat.*
ι *Ann.563.c.8.*
κ *SanaZar.*
λ *Eund.3.5.*
μ *Ouid.2.Amor.Eleg.8.*
ν *In Poët.*

Laus Deiparæ, &c.

FINIS.



005646924

